UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S. Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica, Seu Libri, De Theologicis Disciplinis

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

urn:nbn:de:hbz:466:1-83707

Visual Library

Th. 889a.

C. IX. 10.

R. P. JOANNIS LAURENTII BERTI,
Ord. Eremit. S. Augustini,

THEOLOGIA HISTORICO-DOGMATICO-SCHOLASTICA,

SEU LIBRI,
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS:

OPUS

CALCULO DOCTISSIMORUM VIRORUM SANE PRÆSTANTISSIMUM,
IN DECEM TOMOS DIVISUM
JUNCTO AD QUODVIS CAPUT SUMMARIO MATERIARUM
NEC NON NUMERIS MARGINALIBUS, AC IN FINE CUJUSVIS TOMI INDICE LOCUPLETISSIMO:

TOMUS VII.

IN QUO
PLURA TRADUNTUR, QUÆ
AD
CONFIRMATIONIS,
EUCHARISTIÆ, ET POENITENTIÆ
PERTINENT SACRAMENTA.

Editio prima in Germania multum auctior atque correctior.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

Monachii, & Pedeponti, Vulgò Stadt am Hoff,
Sumptibus JOANNIS GASTL, Bibliopolæ.
Typis, Josephi Dominici Gruber, Typographi Cath. Anno 1749.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER TRIGESIMUS SECUNDUS,

In quo de Sacramento CONFIRMATIONIS *instituitur Dogmatica, Polemica, & Scholastica Dissertatio.*

QUUM perdifficile sit de argumento quolibet Theologico accurate & exquisite differere; difficilius est de re Sacramentaria excultos edere commentarios: pertractare autem de Sacramento CONFIRMATIONIS, ut par est, atque pro dignitate, laboriosum magis, ac difficillimum. In pluribus enim Theologiæ quæstionibus, modo polleas ingenii acumine, & arte ratiocinandi, videberis insignis Scholasticus, & à multis quoque appellaberis acutissimus disputator; at dum versaberis postrema hac in parte, in qua agitur de Sacramentis, nisi ad mentis aciem, usumque Dialecticæ accesserit assiduus labor, apparatus eruditionis, Ecclesiasticorum Rituum cognitio, nec parva notitia novæ, ac veteris disciplinæ, honestissima nomenclatione Theologi censendus eris indignus: quod sane tibi accidet præsertim differenti de Confirmationis Mysterio; in quo intelliges optimè quanta sit cum Orthodoxis, & cum hæreticis altercandi materies, si tantum arripias manu Sirmondi, Petri Aurelii, & Calvinistæ Dallæi, (ut mittam alios mille) lucubratas atque expolitas commentationes. Versatur propterea in proloquio apud viros doctissimos, dijudicari in hujusmodi controversiis Theologicarum scientiarum cultores, num sint à Sophistarum grege secreti. Ego itaque, etsi dedi operam, ut alii quoque tractatus rerum varietate, & eruditionis ornatu redderentur venustiores, ac præter antiquorum subtilitatem referrent doctrinam & gravitatem recentiorum, & insuper, si fieri posset, frequentissime novi aliquid exhiberent; quod an fuerim assecutus, judicabit Lector sapientissimus, atque humanissimus: ego, inquam, libros istos exornans in id studium incumbo, ut ea, quæ præstantissimi viri convenientia arbitrantur, non videantur à me penitus prætermissa. Quamquam verò de Confirmationis Sacramento post Scholasticos fere innumeros, & post Bellarminum cæterosque Controversiarum Scriptores, prolixè ac diligenter pertractarunt Basilius Poncius Instituti nostri vir celebris, Guilielmus Beyer, Joannes Morinus, & posterioris

rioris ætatis quamplurimi, inter quos aliorum industriam superasse creditur Anonymus Continuator Wiraſſii; in ſpem tamen inducor eos, qui benignè legerint hunc triceſimum ſecundum librum, niſi probaverint laborem meum, rationem, diligentiam, ſedulitatem, quæ omnia cum in me tenuiſſima ſint, promerentur commiſerationem, non laudem, percepturos ſaltem aliquam divinarum rerum notitiâ uberiorem; neque in graviſſimis quæſtionibus ſuſpenſuros eſſe judicium, uti fortaſſis eveniet parvolutanti elaboratum egregiumque opus nuperrime commemoratum: ſed illas inventuros fore definitas, confirmatas, atque ad fidem, doctrinam, traditionem, diſciplinamque Romanæ Eccleſiæ propugnandam aptiſſimas. Quæ utique ſpes nequaquam inniſa eſt riganti mihi & plantanti, ſed ei primum, qui incrementum dat, Summo Deo; caſtiſſimæ deinde Virgini, inclyto Davidicæ ſtirpis Germini, quæ divinam nobis peperit Sapientiam; tum Auguſtino piiſſimo dulciſſimoque Parenti, ac poſtremo amicorum gratiæ, & facilitati: quibus præſidiis ſuffultus ad incœptum opus perficiendum libentiſſimus appello animum.

CAPUT I.

Traditur Sacramenti CONFIRMATIONIS multiplex nomen, ac definitio, variaque Impoſitionis manuum genera diſtinguuntur; tum hoſtes, cum quibus decertandum eſt, ſummatim connumerantur.

SUMMARIUM.

1. Definitio Confirmationis.
2. Varia ejusdem nomina.
3. Aliæ acceptiones Confirmationis.
4. Explicantur vocabula Chriſmatis & unctionis.
5. Impoſitio manûs non ſemper eſt Sacramentalis.
6. Quinam hæretici Sacramentum Confirmationis repudiârint.
7. Hoc Sacramentum repudiatur à Luhero, & Calvino.

1. Definitio Confirmationis.

CONFIRMATIONEM hac, aut æquivalenti definitione Theologi omnes circumſcribunt: *Confirmatio eſt Sacramentum novæ legis, quo baptizatis Spiritus ſancti robur & firmitudo confertur, ut Chriſtianam fidem firmiter teneant, animoque invicto profiteantur.* De qua definitione, ubi abſolutæ fuerint libri hujus quæſtiones, nulla dubitatio poterit ſupereſſe. Interim conſtat priora verba, *Sacramentum novæ legis*, cæteris inviſibilis gratiæ ſignaculis eſſe communia, & *generis*, ut inquiunt, ſtare loco; reliqua myſterii hujus ſignificare proprietatem, ſeu potius efficentiam. Nam quemadmodum per baptiſmi gratiam homines in novam creaturam generantur; ita per *Confirmationem* augeſcunt, animique robore perficiuntur: & idcirco ſicut generationem incrementum, ita baptiſma conſequitur Confirmatio. Eam itaque definitionem tradiderunt Theologi ipſa re, ſignorumque ſacrorum ordine diligenter ſpectatis. Arbitror temperanter, prudenterque ſe gerere qui hujuscemodi definitionem arripiunt, nec per *materiam* & *formam* Sacramenti hujus eſſentiam explicant; congruum enim eſt, ut in rerum definitionibus prætermittamus, quæ etiam inter nos maximè controvertuntur; cujus generis eſt quæſtio *de materia* Confirmationis. Video recentiorum quosdam Sacramentum iſtud definientes ordinarii quoque miniſtri, id eſt, *Epiſcopi*, meminiſſe, quod tamen ad explicandam rei naturam minime eſt neceſſarium. Tenebimus ergo allatam definitionem devitantes interim contentiones Scholaſticas, minutasque dialecticorum præceptiones haud pluris hac in re facientes.

2. Varia nomina Confirmationis.

Non uno autem nomine Veteres Sacramentum iſtud appellitarunt. Dixerunt *Confirmationem*, ut nuper animadvertimus, *ab effectu*: idemque nomen occurrit in 3. libro Conſtitut. Apoſt. cap. 17. in priori canone Concilii primi Arauſicani, & in 2. Concilii III. Arelatenſis, in Epiſt. 79. Leonis Magni ad Nicetam, in Florentino Concilio, & Decreto Eugenii, in Tridentino ſeſſ. 7. & eſt modo vocabulum iſtud in univerſa Eccleſia receptum atque uſurpatum. Appellatum quoque eſt *Perfectio*, ſeu *Conſummatio*, à Cypriano Epiſt. 73. ad Jubajanum, à canone 38. Illiberitano, & libro III. de Sacram. cap. 2. inter Opera Ambroſii; cujus nominis eadem eſt ratio, quòd perficit baptizatum, eumque plenio-

pleniori gratiâ roborat, & confirmat. Ab *unctione* autem dicitur ab Augustino libro 2. contra lit. Petiliani cap. 104. *Sacramentum Chrismatis*, & lib. v. de Baptismo cap. 2. *Oleum sanctificatum*; à Græcis pariter *Chrisma*, aut *Unguentum*, sive absolute, sive cum addito, *Chrisma spiritale*, *Chrisma sanctum*, *Chrisma supercœleste*. Græcorum quidam appellaverunt Confirmationem *Unguentum perenne*, suadentes Bulgaris Chrisma in illorum oriri patria, & ab illis per totum mundum distribui: quod Nicolaus I. rescribens ad Consulta Bulgarorum cap. 94. apertæ falsitatis revincit. Ab inungendi ritu, sive potius à *Charactere*, dicitur Confirmatio *sigillum* atque *signaculum*, apud Eusebium lib. III. H. E. cap. 17. & lib. VI. cap. 31. ubi Clementis Alexandrini & Cornelii Romani Pontificis verba afferuntur: idemque *signaculi* vocabulum in laudata Cypriani ad Jubajanum Epistola, & in libro Ambrosii de mysteriis cap. 7. aliisque in locis compluribus significat Confirmationem. Postremo Sacramentum istud vocatur *Impositio manus*, non solum à Rabano, Hugone, Victorino, & Isidoro, verum etiam à D. Parente Augustino lib. III. de Bapt. cap. 16. ut mittam canones *Omnes fideles*, *De his vero*, & *Manus quoque*, depromptos ex veterum Pontificum decretalibus, de Consecr. dist. IV. n. 1. 3. & 4. Pertractarunt de his vocabulis Estius, Poncius, Farvacquesius cæterique Theologi: exquisitè autem, & luculenter Lindanus in altera parte Apologiæ, & lib. IV. Panopl. cap. 6. Durantius de Ritibus Eccles. Catholicæ lib. I. c. 20. & Joannes Molanus lib. I. Theolog Pract. cap. 6.

3. Aliæ acceptationes Confirmationis, quæ non sunt ad rem.

Sunt tamen quæ his addamus nec pervulgata, nec inutilia. Et quod spectat ad nomen *Confirmationis*, nihil ad rem facit nostram illius apud Rhetores, & Jurisconsultos significatio: nam illis *Confirmatio* est orationis pars, per quam argumentando adjungitur causæ fides, auctoritas, & firmamentum, ut in primo de Inventione tradidit Cicero: hi vero, legum scilicet tractatores, *confirmari* asserunt quæ à testamentis tabulisque vim accipiunt; unde usitata apud illos phrasis, *Confirmati codicilli*, *confirmata libertas*, *confirmatio adoptionis*, *confirmare accepti lationem*, id est, solutionem imaginariam. Hæc, inquam, nil ad institutum nostrum; eaque leviter attigisse sat est. At nequaquam prætereundum silentio, apud rerum divinarum Scriptores dici etiam de Diaconis, *confirmari* ab his fideles, dum post porrectam à Sacerdote *sub specie panis* Eucharistiam, præbebant Dominici sanguinis poculum. Hinc de Diaconis habet Ordo Romanus: *Presbyteri jussu Pontificis communicant populum, & ipsi vicissim confirmant*, & passim legitur eo loci vox *Confirmare* sub hac eadem notione. Observarunt id Amalarius in Eclogis, Rabanus de institut. Clericorum, & in Glossario mediæ, & infimæ Latinitatis Du-Cangius.

4. Chrismatis unctionis vocabula explicantur.

Quantum ad *Chrismatis* & *unctionis* vocabula, acutè observavit in primo Myrothecio vir eruditissimus Fortunatus Scacchus hoc discrimen intercedere inter ἀλείμματα, & χρίσματα Græcorũ; quod priori voce significentur unguenta voluptariorum ac mollium, altera ea quibus utuntur sobrii, & ex virtute viventes: idque vir eximius demonstrat ex Clemente Alexandrino, qui lib. 2. Pædag. scribit *fœmineum* esse ἀλείφεσθαι, χρίεσθαι autem *utile atque honestum*. Significat verò utrumque verbum *liniri unguento*. Infert inde Scacchus *Chrismate* Sacramentum Confirmationis, aut inunctionem Spiritus sancti significari, ut Joannis Epist. 1. cap. 2. Καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, *Et vos Chrisma habetis à Sancto*: & Lucæ IV. πνεῦμα κυρίου ἐπ' ἐμὲ οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me*: ἀλείφειν vero idem esse, ac *unguento linire faciem* ut apud Matth VI. σὺ δὲ νηστεύων ἄλειψαι σου τὴν κεφαλὴν, *Tu autem jejunans unge caput tuum*. Verum nimis ingeniosè ex observationibus Casauboni ista proferuntur: nam *Confirmare* promiscuè à Græcis dicitur τῷ θείῳ χρίειν ἀλείμματι, *divino linire unguento*; ἀλείφειν τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, *perungere sacro oleo*; τῷ μύρῳ σφραγίζειν, *unguento consignare*; ut liquet ex Euchologiis, aliisque scriptis Græcorum. Rectè itaque dictum supra, Confirmationem indiscriminatim appellari *Sacramentum Chrismatis, unguenti, olei*.

5. Impositio manûs non semper est Sacramentalis.

Impositio autem *manus* non semper *Sacramentalis* est, atque *Confirmatoria*; quamquam Confirmatio frequentissime hujusmodi vocabulo designetur. Adhibetur enim manuum impositio ad faciendum Catechumenum, ut ait Augustinus lib. 2. de peccat. meritis cap. 26. ad dæmones expellendos, ut colligitur ex Rit. Rom. tit. de Exorcizandis: ad sanandos ægros, ut legimus capite postremo Marci. Præterea alia est manus impositio, quæ adhiberi solet in Diaconatus, Presbyteratus, & Episcopatus collatione; alia, quæ in reconciliatione pœnitentium, & receptione hæreticorum; alia demum, quæ baptizatis, ut

confirmentur in fide, impenditur ab Episcopo. Ac de priori manus impositione, quæ est sacrarum ordinationum materia, aperta sunt divinarum literarum testimonia, Act. VI. 6. in priori ad Timoth. IV. 14. & in 2. cap. I. 6. aliaque in disputatione de Sacramento Ordinis producenda. De altera verò impositione manus dicturi præmittimus quatuor, aut quinque fuisse olim Pœnitentium gradus, qui erant isti, προσκλαυσις, *fletus*, cum pœnitentes extra templorum portas consisterent: ἀκρόασις, *auditio*, cum intra portam cum Catechumenis starent sacras audientes conciones: ὑπόπτωσις, *substratio*, cum se substernerent, & illis Episcopi manus imponerent: σύστασις, *consistentia* dum orarent cum fidelibus, postquam Catechumeni abiissent; & μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων, *communicatio divinorum Sacramentorum*, cum absolutione obtenta accederent ad sacra mysteria. Atque hanc μέθεξιν, *communicationem*, potius Pœnitentiæ exitum, quam gradum appellan iam censet lib. 2. Observat. pag. 367. doctissimus Albaspinæus. In tertio itaque gradu *substrationis* pœnitentibus manus imponebantur: unde legimus in Concilio IV. Carthag. can. 8. *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur*: & in Laodicæno can. 19. fieri fidelium preces, *cum pœnitentes sub manum acceſſerint, & receſſerint*. Aque hanc manuum impositionem non fuisse *Sacramentalem*, inde constat, quod pœnitentes in quinto duntaxat gradu, sive, ut placet Albaspinæo, in exitu pœnitentiæ perciperent absolutionem. Eo ritu etiam hæretici excipiebantur ad Catholicam venientes; nam Stephanus in decreto, de quo prolixe egimus pertractantes de Anabaptismo, *Si quis ergo* (inquit) *à quacunque hæresi venerit ad nos nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*. Ex vetusta itaque traditione hæretici per impositionem manus recipiebantur. Hinc S. Gregorius lib. XI. epist. 67. scribit: *Et quidem ab antiqua Patrum traditione didicimus, ut quilibet apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem verò sancti Chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat.* Quod de Occidente scribit Gregorius Magnus, de Romana Ecclesia, conterminisque provinciis esse accipiendum, non de Occidente universo, apparet ex quo in Galliis, atque Hispaniis Ariani ad Catholicam redeuntes Chrismate fuerint consignati, ut constat ex Concilio 2. Arelat. can. 17. Arausi. 1. canone 2. & Gregorio Turonensi lib. 2. Hist. cap. 31. & lib. IV. cap. 27. Num hæc impositio manus, & Chrismatis unctio, qua recipiebantur olim hæretici, fuerint *Confirmatoria*, gravis est controversia, de qua infra: modò *Confirmatoriam* non esse supponimus. De impositione manuum, quæ ad Sacramentum hoc attinet, habetur in Ordine Romano, in Pontificali Romano, & in Scriptoribus innumeris postmodum laudandis Episcopum super capita confirmandorum manum elevare & extendere, illorum frontem signare, eisque largiri Spiritum Sanctum, sive potius *Spiritum Sanctum advocare, & invitare*, ut in libro de Baptismo loquitur Tertullianus. Non enim dant homines Spiritum Sanctum, sed orant, ut veniat in eos, quibus manus imponunt; quod & de Christi Discipulis ait lib. XV. de Trinit. cap. 26. præstantissimus Augustinus.

6. Quinam hæretici Sacramentum Confirmationis repudiârint.

Inter hæreticos, qui Sacramentum Confirmationis repudiaverunt, connumerant quidam Arianos, præsertim Orientales, quos supra diximus reformatos fuisse *per Unctionem*; at si Ariani hac de causa dicendi sunt negasse Confirmationem, idem profectò asserendum erit de Macedonianis, Tessaradecatitis, Apollinaristis, & aliis, quos *unctione* recipiendos præcipit Constantinopolitana I. Synodus, canone septimo. Verum *unctionem* illam *Confirmatoriam* non esse, sententia videtur nobis probabilior. Recensentur præterea Donatistæ, qui ex Optato lib. II. num. 12. *Ampullam Chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt*. Verum & Donatistas adhibuisse Chrisma liquet ex eodem Optato lib. VII. num. 4. pag. 103. nec alia de causa projecerunt sacri Chrismatis ampullam, nisi in execrationem Sacramentorum, quæ extra Ecclesiam suam conferebantur: qua impietate etiam Eucharistiam dedisse canibus, à quibus lacerati fuerint, narrat eodem loco Antistes Milevitanus. Sequuntur Novatiani, de quibus Theodoretus lib. 3. H. Fab. cap. 5. inquit: *Iis, quos baptizant, sanctissimum Chrisma non præbent*. Sed videntur potius Novatiani Sacramentum istud neglexisse, quam denegasse exemplo Novati, qui baptizatus in lecto, in quo decumbebat, *neque cætera, quibus post baptismum secundum Ecclesiæ canonem imbui*

oper-

oportuerat, acquisivit, nec Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit; ut ad Fabium scripsit Cornelius Papa, apud Eusebium lib. VI. H. E. cap. 35. Accedunt Valdenses, quos eprobasse Sacramentum Confirmationis affirmat Aeneas Sylvius in libro de Origine Bohemorum c. 35. Guilelmus Beyer in Appendice ad Tract. de hoc Sacram. Bellarminus c. 1. Estius dist. VII. §. 3. aliique permulti; idque constare ex Raynero scribit lib. 3. de Sacram. Confirmat. cap. 17. Calvinista Dallæus. Ex Raynero tamen hoc unum habemus, Valdenses mirari, *quare solis Episcopis liceat confirmare*, ut animadvertit Jacobus Bossuet lib. XI. Variat. num. 107. Imo ex Confessione Valdensium oblata Uladislao Hungariæ Regi, quam proferunt Witasse, ac Tournelius, apparet illos agnovisse *septem numero Sacramenta;* unde arbitramur Valdenses de ministro potius, quam de existentia hujusce Sacramenti hæsitasse. Numerantur deinceps Wiclefistæ, seu Lollardi, à Basilio Poncio, ab Estio, ac Bellarmino, ab aliis; eoquod Joannes Wiclefus lib. 4. Trialogi asserat hoc Sacramentum non probari ex Scripturis, & quibusdam videri à diabolo inductam cum ritibus suis Confirmationem Episcoporum: in libro autem altero, qui forte periit, apertè Sacramentum ipsum rejiciat. Attamen & hæc ambigua sunt, quoniam in Trialogo aliorum quidem, sed non ejusdem Wiclefi pronuntiatur sententia; nec in Synodo Constantiensi sess. 8. istud inter cætera hæretici hujus portenta damnatur; sed illud duntaxat num. 28. *Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.* De Ruthenis quoque affirmat Suaresius disput. 32. sacramentum Confirmationis negavisse; at contra Poncius, & Beyer contendunt Ruthenos caruisse utique aliquando Confirmatione, quòd in illa *balsamum* non adhiberent, sed *oleum infirmorum*, non autem ipsam Confirmationem negasse. Qui ergo de his, cæterisque hactenus commemoratis sentit Confirmationem de Sacramentorum expunxisse numero, aut errat, aut saltem in ambiguo versatur.

pudiatur quoque à Luthero, & Calvino.

7. Sacramentum Confirmationis re-

At extra dubitationem positum est, post duo Novatorum Capita, Lutherum & Calvinum, quotquot in horum abiere partes Confirmationem abjeciisse, secutos doctrinam istorum pestilentissimam. Lutherus enim in libro de Captivitate Babylonica Confirmationem *ritum quemdam Ecclesiasticum, seu ceremoniam Sacramentalem* esse concedit, esse *Sacramentum* præfractè negat: imo Melanchthon in Locis Commun. ceremoniam illam censet hoc temporis prorsus *inutilem*; nec aliter sentiunt cæteri hujus sectæ Theologi, tametsi Lipsienses & Withembergenses in Confessione anni 1568. receperint Sacramenta septem, ac nominatim ipsam Confirmationem. In qua tamen Confessione, ut moris est tergiversantium omnium hæresum, minimè perstitere. Calvinus autem in Antidoto Concilii Trid. sess. VII. can. 2. mendaciter scribit, Olei neminem veterum, imo nec eorum qui media ætate floruerunt, feciisse mentionem: & lib. IV. Inst. cap. 14. & 19. plura adversus Catholicam fidem comminiscens pronuntiare audet, à nobis justificationis causam, virtutemque Spiritus sancti vasculis, aut plaustris includi; nullam promissionem baptismati, gratiam vero omnem unctioni attribui; aquam nullo jam numero haberi, & oleum unum magnificè extolli; aliaque temeritatis mendaciorumque plenissima, abunde ex dictis de virtute baptismatis, atque ex producendis hoc in libro penitus refutata. Pari, nisi audaciori temeritate in Confirmationem acuit veneno tinctum, impudentissimumque stilum Kemnitius 2. p. Examinis, ubi & illud affirmat, unctionem Chrismatis prodiisse è schola Montani, hujusque pice non Tertullianum solum, verum etiam Cyprianum fuisse illitum, quòd unctionis aliquando meminerint; tametsi nec Epiphanius, nec Philastrius, nec Augustinus, nec aliquis eorum, qui hæreseon conscripserunt historiam, recensuerint inter Montani dogmata, Chrismatis, Oleique mysterium. His subcinuere protestantium reliqui, inter quos Theodorus Beza in Responsione ad Franciscum Balduinum, M. Antonius de Dominis lib. V. de Republ. Eccles. cap. 5. Joannes Dallæus in Opere de Confirmatione tres in libros distributo. Mitto Confessionem Saxonicam ann. 1551. Magdeburgenses Cent. IV. c. 6. aliosque permultos capite proximo refellendos.

CAPUT

CAPUT II.

Demonstratur Confirmationem esse verum, propriumque Sacramentum novæ legis.

SUMMARIUM.

1. Confirmatio est verum, & proprium sacramentum novæ legis.
2. Probatur ex scriptura.
3. Oppugnatio Calvini & Kemnitii.
4. Refellitur.
5. & 6. Alia instantia hæreticorum solvitur.
7. Confirmatur sententia Catholica.
8. Probatur insuper ex perpetua traditione.
9. Item ex Conciliis.
10. Afferuntur à Theologis modernis etiam alia Argumenta.
11. Id ipsum probatur ex SS. Patribus.
12. Ulterior confutatio Hæreticorum.
13. & 14. Objectiones solvuntur.

1. Confirmatio est verum, & propriumSacramentum novæ legis.

HAEC præsertim duo sunt, quibus hæreticorum frangitur pervicacia, divinarum nempe Scripturarum auctoritas, ac perpetuæ Traditionis firmitudo. Scripturis ergo comprobari Sacramentum Confirmationis tenent ferè omnes Theologi, idque peracutè demonstrarunt ante recentiores Jodocus Ravesteyn Tiletanus parte 2. Apologiæ, Tapperus ad art. 12. Confessionis Lovanienſis, Joannes Hesselius in Explicat. Sacram. cap. 14. Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 2. Basilius Poncius de Confirmat. P. 1. cap. 3. Guilelmus Beyer p. prima, Estius in IV. dist. 7. §. 3. ne commemorentur recentiores, Habert, Le-Droin, Tournelius, Witasse. Scribunt hi duo, oppositum sentire Scholasticos illos, qui de Institutione Confirmationis perplexe locuti sunt, aut auctores illius fecerunt Apostolos, iisdemque Scholasticis accensent Scotum in IV. dist. 7. At revera nunquam Scotus docuit Confirmationem non posse è Scripturis probari; sed apertè docuit in IV. dist. VII. q. 1. hoc Sacramentum institutum à Domino, *licèt tempus & modus hujus institutionis in Scriptura non legatur*: nec de veritate Sacramenti disputat Scotus, sed de ejus institutione, ut animadvertit Mastrius disput. 2. de Sacram. q. VIII. Commemorandus potius erat Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus, qui in Censura Confess. Augustanæ c. 7. scribit, τὸ δὲ τοῦ θείου μύρου μυστήριον οὐκ ἐμφέται ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, *Divini unguenti mysterium non extat in sacris literis*: quod avidè arripuerunt Lutherani, inde inferentes *Confirmationem esse* ἐπεξεύρεσιν τῆς ἐκκλησίας, *adinventionem Ecclesiæ*, Vide Poncium pag. 12. Arcudium pag. 62. Nos, quidquid Hieremias, aut alii quipiam sint opinati, arbitramur Novatores utroque ex capite, Scriptura scilicet, ac Traditione revinci; cum sola sacra Scriptura non sit, quod sæpe monuimus, regula dijudicandorum dogmatum, infirmumque sit Lutheranorum illud ex confessione Hieremiæ consectarium.

PROP. I. Catholica veritas firmatur divinarum Scripturarum auctoritate. 2. Probatur ex Scriptura.

Actorum enim Apostolicorum cap. VIII. 14. & cap. XIX. 6. describitur *Confirmatio* tanquam signum sensibile significandi & efficiendi gratiam ac virtutem Spiritus sancti vim habens. Hujus autem generis signa sunt verum propriumque Sacramentum. Acta ergo Apostolica *Confirmationem* tanquam Sacramentum proprie dictum delineant. Majorem probant quæ eo loci leguntur: *Cum autem audissent Apostoli* (ita extat VIII. cap.) *qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Et cap. XIX. de Baptizatis habetur: *Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.* Quibus in locis habemus rem sensui subjectam, sive visibile signum, id est, manuum impositionem; nec non invisibilem gratiam; virtutem scilicet Spiritus sancti. Habemus itaque quidquid constituit verum ac proprium novæ legis Sacramentum.

Hoc argumentum labefactare conati sunt Calvinus, & Kemnitius, reponentes deesse primùm in hac manuum impositione *promissionē gratiæ ac mandatum*; cum nullibi inveniatur Christum præcepisse Apostolis, ut hac ceremonia uterentur, ac multo minus ad illam promisisse collaturum se beneficia gratiarum. Addit Kemnitius, singulare fuisse privilegium Apostolicum, non Sacramentum diuturnum 3. Oppugnatio Calvini & Kemnitii.

turnum & permanens, per impositionem manuum largiri gratiarum dona; idque ex eo patefieri, quod modò imposita ab Episcopis manu confirmati non loquantur linguis, nec miracula perpetrent, qualia Apostolicis temporibus contingebant. Regerunt præterea, Spitum sanctum, quem Apostoli conferebant manus imponendo, fuisse linguarum donum, virtutemque mirabilia patrandi, non gratiam sanctitatis, quâ baptizati per regenerationis lavacrum fuerant cumulatè exornati. Affirmant insuper illam manuum impositionem fuisse oblationem quamdam, per quam initiati Deo externa hac ceremonia consecrarentur. Præter hæc, inquit Dallæus, nullum in his locis oleum sentiri, nullum odorari balsamum, verba etiam deesse, quæ nisi ad elementum accedant, nequit coalescere Sacramentum rebus, verbisque constans.

Refutatio contra Calvinum & Kemnitium.

Sed hæc omnia facilè refutantur. Ac primum quidem; nam temere asseritur præter mandatum, & institutionem Domini Apostolos ea ceremonia usos fuisse, & excogitasse quod tam eximia virtus, qualis est largitio Spiritus sancti, inesset ceremoniæ à se pro libito, & absque Magistri præscripto usurpatæ. Gratiæ verò non solum promissio, sed etiam collatio productis in locis exprimitur. Neque vero, ut ad alterum progrediar, *impositio manuum* ad gratiam miraculorum pertinens fuit privilegium Apostolorum singulare; id enim Ananiæ datum legimus Act. IX. 17. imo unicuique credentium, Marci ult. 18. Quod ergo peculiari titulo Apostolis concessum fuit, eorumque successoribus Episcopis, est baptizatos perficere, & illis signo sensibili conferre Spiritus sancti virtutem. Quam si elargiri potuisset Philippus, qui baptizaverat Samaritanos; non opus fuisset ut Samariam adirent Joannes & Petrus. Philippus *itaque, utpote discipulus, tantum baptizat* (inquit in Acta pag. 77. Oecumenius) *gratiam verò perficiunt Apostoli, quibus hujus doni concessa erat auctoritas,* ὅυτοσ ἐν βαπτίζει μόνον, ὡς μαθητής, τελείουσι δὲ τὴν χάριν οἱ ἀποστόλοι, οἷς ἡ τῆς τοιαύτης δόσεως αὐθεντεία ἐδέδοτο. Utique Apostolis, (reponunt hæretici) sed non Episcopis. At mentiuntur plane. *Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia,* ait Augustinus de impositione manuum, qua Apostoli conferebant Spiritum sanctum, lib. XV. de Trinit. c. 26. Similia Patres alii paulo infra laudandi. Nec officit, quod modo visibilia signa ad impositionem manuum Episcoporum minimè consequantur: ea namque signa divinæ virtutis argumentum sunt ab initio incredulis exhibendum, non spiritus interiori gratia animum exornans atque perficiens. Rectè prælaudatus Augustinus Tract. VI. in Epist. Joannis num. 10. *Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus Sanctus, & loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita significari in omnibus linguis Spiritum sanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, & transiit. Numquid modò quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur ut linguis loquantur? aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrum utrum linguis loquerentur, & cum videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis vestrum fuit, ut diceret, Non acceperunt isti Spiritum sanctum, nam si accepissent, linguis loquerentur quemadmodum tunc factum est?* Hoc Augustini testimonio conversionis suæ rationes confirmavit in Epistola ad Georgium Calixtum pag. 40. Christophorus Ranzovius. Diluitur iisdem verbis commentum subsequens hæreticorum. Testatur enim Augustinus baptizatos per impositionem manuum Spiritum sanctum accipere, etiamsi linguis non loquantur: ideoque distinguit Spiritum sanctum à dono ipso linguarum. Inverisimile præterea est, inquit in loca difficiliora Script. pag. 585. Guil. Estius, omnes, quibus Apostoli manus imponebant, linguis fuisse locutos, scribente Paulo I. ad Corinth. XII. 30. *Numquid omnes linguis loquuntur?* Accedit gratias gratis datas, inter quas connumerantur linguæ, etiam improbis aliquando conferri, ut apparet ex Matth. VII. 21. in improbis verò habitare *Spiritum sanctum* res nova est, repugnatque divino eloquio, Sapient. I. 5. At enim, inquiunt hæretici, nonne baptizati receperunt sanctitatis & gratiæ dona? Respondemus recepisse quidem ad renascentiam & adoptionem, non ad virtutis robur, ac firmitudinem. Varia sunt enim Spiritus charismata ac munera: ipsique Apostoli, justi utique, & gratia sanctificationis ornati, post Domini ascensionem acceperunt *virtutem ex alto*, ut Christus promiserat, Lucæ XXIV. 49. & Act. I. 8. Hunc ergo *Spiritum*, non solum linguarum dona impertientem, verum etiam fidelium animos interno illapsu corroborantem,

quem Apostoli singulari eventu, & absque visibili Sacramento sunt consecuti, hunc eundem Spiritum olim quoad utrumque effectum, interioris scilicet roboris, & linguarum, postmodum quoad primum, atque præcipuum, contulerunt, conferuntque Antistites Ecclesiarum. Atque hinc dispellitur commentatio altera Calviniana, videlicet, impositionem illam manuum fuisse oblationem quamdam, non autem Confirmationem. Ut enim mittam, etiam apud Judæos idem esse χεῖρα ἐκτεῖναι, *manum extendere*, ac deprecari divinæ potentiæ efficaciam, spiritusque augmenta, ut permultis Scripturarum exemplis ostendit in caput 9. Matth. Acatholicus Grotius, poterat sane Philippus, ut Samaritas baptizare, ipsorum quoque oblationes excipere, neque ad hoc necessum erat, discederent Jerosolymis duo Apostolorum. Quamquam & illud perspicuum est, baptisma ipsum esse personarum initiationem & oblationem; & si oblatio alia requiritur, hanc esse non regeneratorum, sed potius Catechumenorum ad baptisma accedentium. Quod tandem addunt de Chrismate, & de verbis, ad illam quæstionem attinet, in qua disputatur *de materia & forma Confirmationis*; ac modo sat est reponere, nostrarium plures hujus Sacramenti *formam* constituere in oratione, quam conjunctam impositioni manuum colligimus ex eodem cap. VIII. vers. 5. alios eandem *formam* assignare ex Apostolica traditione: de Chrismate etiam inter Scholasticos disceptari; nec aliud inquiri in præsentia, nisi, num in *Confirmatione* deprehendatur signum sensibile gratiæ, seu ratio veri Sacramenti, idque ex Apostolicis Actibus evincatur.

5. Instantia Hæreticorum ex duce Dallæo.

In sua adhuc pervicacia persistunt hæretici, ac duce Dallæo in Apostolicis Actibus de solo linguarum dono, spirituque visibili institui sermonem, hisce momentis ulterius jactitant. Principio, inquiunt, Act. VIII. 16. ubi, legunt Latini, *Nondum enim in quemquam illorum venerat*, id est, Spiritus sanctus, extat in autographo Græco, Οὔπω γὰρ ἦν ἐπ' οὐδενὶ αὐτῶν ἐπιπεπτωκὸς. Est autem ἐπιπίπτειν idem, ac *irruere, illabi*, exprimitque prophetici spiritus energiam. Deinde ille spiritus ab Apostolis conferebatur, de quo Joelis II. 28. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, &c.* Vide Act. II. 17. & Marci ult. 17. Hunc autem *spiritum* esse spiritum propheticum satis constat. Præterea Apostoli illum conferebant *spiritum*, quem Simon oblata pecunia expetebat dicens: *Date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum*, Act. VIII. 19. At Simon eum duntaxat *spiritum* cupiebat, *quo sibi quæstus, & pecuniarum occasio fieret*, inquit pag. 79. Oecumenius: ἀντὶ πορισμὸν αὐτῷ χρημάτων, ἢ ἀφορμὴν γενέσθαι τούτου, donum videlicet miraculorum, non robur animi. Postremò Apostoli dederunt *spiritum*, quem dare non poterat Philippus discipulus & diaconus. Atqui spiritum sanctificantis gratiæ etiam Philippus conferre poterat, quemadmodum illum contulit Ananias, Act. IX. 17. Igitur Apostoli per manuum impositionem dabant dona linguarum & miraculorum, non spiritalem atque invisibilem gratiam. Hinc in cap. VIII. Act. Apost. agi de adventu Spiritus sancti secundum externam aliquam & aspectabilem formam, quæque splendenti illustraret igne, & donum conferret linguarum, permulti quoque Catholici Interpretes tradiderunt, ut Caspar Sanctius, Gagnæus, Menochius, & alii.

6. Respondetur ad instantiam.

Verum neque ista roboris habent aliquid; fatemur enim externa specie apparuisse Spiritum sanctum, negamus non corroborasse interiori gratia cor, animumque baptizatorum. Non solum enim Spiritu sancto repleti prophetabant, loquebanturque linguis; verum etiam timore omni depositio annuntiabant Christi nomen, patiebantur lubenti animo contumelias, Evangelium apud incredulos contestabantur, nec quidlibet eructabant, sed spiritu interius movente promebant magnalia Dei. Duæ ergo diversæ res sunt, accipere Spiritum sanctum, & linguis loqui; seu virtute corroborari, & patrari miracula: quamvis istud præsentiæ spiritus, ejusque efficientiæ fuerit manifestum invictumque argumentum. Jam verò hæreticorum cavilla dispungamus. Ἐπιπεπτωκὸς est participium verbi ἐπιπίπτω, quod non est tantum *irruo*, & *cado*, sed etiam *supervenio*: nam Aristoteles in 3. Animalium *supervenientes* vocat ἐπιπίπτοντας, ut animadvertit Budæus tom. 1. pag. 706. Est ergo idem sensus hujus vocabuli ἐπιπεπτωκὸς, ac alterius quod occurrit Act. I. 8.. ἐπελθόντος, *supervenientis*: ubi legimus, λήψεσθε δύναμιν τοῦ ἁγίου πνεύματος, *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti*, sive, ut habet Arabicus, Tom. v. Bibl. Polyglot. pag. 517, *Accipietis robur per adventum Spiritus*

Spiritus sancti. Quare meritò τὸ ἐπιπεπτωκὸς reddidit à Latino Interprete, *venerat*; ab aliis, *aderat, descenderat.* Imo variant lectiones Græcæ: habeturque in codicibus optimæ notæ pro ἐπιπεπτωκὸς, imperfectum, ὑπῆρχον, *aderat, existebat.* Vide Variantes lectiones Græcas N. Test. ad Calcem vi. Voluminis Polyglottarum, pag. 22. Corruit ergo prior argutatio ex verbo ἐπιπεπτωκὸς petita: quamquam nec illud à nobis negatur, illapsum Spiritum *sub visibili forma,* quæ commonstraret gratiam inaspectabilem. Hæc verò proximum quoque argumentum elidunt & frangunt. Ad tertium responderi posset cum Tirino, Simonem ambiisse quoque Episcopatum; sed præeligenda est responsio Augustini scribentis Enarrat. 3. in Psalm xxx. num. 14. *Admiratus est ille* (Simon) *& stupefactus tanto divino miraculo, quod ad impositionem humanarum manuum venit Spiritus sanctus & implevit homines, & desideravit istam, non gratiam, sed potentiam, non unde liberaretur, sed unde extolleretur.* Et in Psal. cxxx. num. 5. *Plus illum delectavit potentia Apostolorum, quam justitia Christianorum. Ubi vidit per manus impositionem Apostolorum, & per orationes eorum Deum dare fidelibus Spiritum sanctum, & quia tunc per miraculum demonstrabatur adventus Spiritus sancti: (nec ideo modò non datur Spiritus sanctus, quia linguis non loquuntur qui credunt. Ideo enim tunc oportebat, ut linguis loquerentur, ut significarent omnes linguas Christo creditaras. Ubi impletum est quod significabatur, miraculum ablatum est.) Cum ergo hoc videret Simon, voluit talia facere, non talis esse.* En aperte Augustinus distinguit Spiritum sanctum à dono linguarum, sive potentiam miraculorum à gratia, traditque Apostolos utrumque dedisse. Simonem verò *potentiam* qua extolleretur, non *Spiritus sancti gratiam* postulasse. Atque hac distinctione suppositа corruunt quæcumque produci ab hæreticis possunt ex Patribus, sacrisque Interpretibus, asserentibus collatum Sammaritanis *spiritum, donumque signorum;* cum donum istud gratiam minime excluderet, sed illam comprobaret sensibili testimonio. Id verò scribunt præcitati Sanctius, Menochius, Tirinus, aliique plurimi, qui etiam docent designari his in locis sacramentum Confirmationis. Ad ultimum sunt, qui cum Luca Holstenio dissert. 1. de Minist. Confirmat. respondent Ananiam unum fuisse ex lxx. discipulis, discipulos autem Apostolorum collegas, illisque ad prædicandum Evangelium succenturiatos, non solum fuisse presbyteros, sed etiam Episcopos, cum ab iisdem lxx. fundatæ fuerint præcipuæ sedes Episcopales, ut Dorotheus, aliique Ecclesiasticæ historiæ Scriptores literis consignarunt. Quod si placet Ananiam meris presbyteris accensеri, illud tantum, inquiunt, consequetur, presbyteros accepta ab Apostolis facultate contulisse *Chrisma*; maximum verò esse Ananiam inter, & Philippum discrimen, cum is fuerit unus ex septem diaconis, *mensarum viduarumque ministris.* At nos arbitramur Ananiam per manus impositionem nequaquam dedisse Spiritum sanctum, sed cæcitatem avertisse, ut legitur versu 12. *Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manus, ut visum recipiat.* Quare impositio hæc manus non fuit *Confirmatoria* & qualis describitur Act. viii. 17. sed ejusdem generis, ac illa, de qua Marci ultimo, *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Et quidem hæc baptismum Pauli præcessit; illa baptismum Sammaritanorum est consecuta. Dum ergo ait Ananias, *Saule frater, Dominus misit me Jesus, ut videas & implearis Spiritu sancto,* significavit missum se, ut per impositionem manuum sanaret cæcum, ac deinde illum baptizaret in remissionem peccatorum. Hinc sequitur versu proximo, *Visum recepit, & surgens baptizatus est.* Quod si in Paulo propter insignem animi præparationem adstruere velimus quamdam sanctificantis gratiæ anticipationem, ut in Cornelio Act. x. 44. (de quo plura Volumine vi.) neque id juvare poterit heterodoxos.

7. Sacramentum Confirmationis probatur ex D. Paulo.

Hi ergo prædictis Scripturæ locis refutantur; quibus Basilius Poncius de Confirmat. cap. 3. Estius dist. vii. & Auctor de Re Sacram. lib. 2. cap. 2. addunt quæ Paulus scribit ad Ephesios i. 13. *In quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto:* in ii. ad Corinth. i. 21. *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris;* atque ad Hebræos vi. i. 2. *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis manuum, &c.* Plura de primis duobus Pauli locis scripsi præcedenti vol. ubi ostendi Apostolum loqui de charactere Confirmationis; tametsi non desint Theologi, qui accipienda hæc asserant de variis Spiritus sancti charismatibus: ut vi-

dit idem Estius tom. 1. in Paulum pag. 424. Tertius autem locus proculdubio *de Confirmatione* est accipiendus, cum baptizati per impositionem manuum confirmentur, ut supra diximus; Calvinus verò qui hunc locum detorquet *ad fidei professionem*, nulla auctoritate, nullaque ratione ducatur. Quippe non ad probandam fidem baptizatorum, sed ad conferendum Spiritum sanctum Apostolos imposuisse manus declarant Scripturæ, de quarum sensu hactenus cum hæreticis pugnatum est.

Propositio II. Eadem catholica veritas firmatur perpetua, atque exploratissima traditione.

8. Probatur ex perpetua Traditione.

Hujus traditionis argumentum sunt Summorum Pontificum testimonia; canones Conciliorum, scripta Patrum, universa denique Ecclesiæ Christi consensio. Et quantum ad primum attinet; extat apud Eusebium lib. VI. H. Ec. cap. 43. epistola ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ Præsulem scripta à Cornelio ad Pontificatum evecto anno 250. sive, ut censent alii, 254. in qua de Novatiano aqua baptismatis perfuso legimus, ἐ μὴν ἀδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὴν νόσον, ὤχρη μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα. τῆ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τῦ Ἐπισκόπυ; *Neque postquam liberatus est à morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est.* Quo sanè in loco soli offundunt tenebras qui ajunt Cornelium de baptismi ritibus fuisse locutum; tum quia nullibi ceremonias compleri dicitur σφραγισθῆναι, *consignari*, tum etiam, quia necessum non erat ritus baptismi ab Episcopo perfici, tum postremo, quoniam Cornelius attribuit huic signaculo Spiritum sanctum, è vestigio subjiciens: τῦτο δὲ μὴ τυχὼν; πῶς ἂν τῦ ἁγίυ πνεύματος ἔτυχε; *Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere?* II. Innocentius I. Epistola ad Consultationes Decentii, data anno 416. cap. 3. inquit: *De consignandis autem infantibus manifestum est non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere. Nam presbyteri licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolorum quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum.* Quibus in verbis agi de Confirmationis sacramento, inde manifesto colligitur, quod ceremonialis unctio etiam Presbyteris à Silvestri saltem ætate fuerit concessa; ac præterea signaculo facto ab Episcopis adscribat Innocentius collationem Spiritus sancti: quod proximis verbis idem Pontifex expressius insinuat: *Nam presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Atque hæc verba in canonem cap. *Presbyteris*, de Consecrat. dist. IV. n. 119. fuerunt relata. III. S. Leo Epistola 88. ad Germaniæ, & Galliæ Episcopos scripta circa annum 444. inter ea, quæ prohibentur Corepiscopis, enumerat *Chrisma conficere, & Chrismate baptizatorum frontem signare.* Et serm. 10. de Nativit. *Renati*, inquit, *per aquam & Spiritum sanctum accepistis Chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ.* IV. Sanctus Gregorius Epist. ad Januarium 9. lib. IV. *Presbyteri* (inquit) *baptizandos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte* Eadem Gregorius epist. 26. ejusdem libri repetens, indulget, ut ubi Episcopi desunt, *Presbyteri etiam in frontibus baptizandos Chrismate tangere debeant*: sed quoniam *baptizandos*, ait, non *baptizatos*, sunt qui negant Gregorium Sardis presbyteris jus Episcopale confirmandi post baptismum infantes concessisse: unde agam rursus de hoc testimonio infra cap. VII. Præterea Gregorius Epist. 45. lib. X. mandat Clusino Episcopo, *ut officium visitationis impendat, ut ii, qui illic Deo propitio baptizantur, inconsignati non debeant remanere.* Hinc liquet ob hunc præsertim finem consignandi regeneratos, ab Episcopis diœcesim lustrari; quo ex Dialogo Hieronymi adversus Luciferianos, de quo infra, recte monuit in VI. Notificat, sapientissimus Pontifex BENEDICTUS. In Sacramentario autem Tom. III. pag. 73. distinguit Gregorius unctionem chrismatis, quam presbyter facit in vertice, & illam, qua Pontifex, *levata manu super capita baptizatorum*, præmissa oratione, *& tincto pollice in chrismate facit crucem in fronte.* Laudat Carolus Vitasse, seu potius qui Auctoris hujus prosecutus est Tractatus Theologicos, ea Gregorii verba in caput 1. Cantic. *In Engaddi balsamum, gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur.* Sed expuncta hæc sunt ab editoribus Benedictinis eodem Volum. 3. pag. 415. utpote spuria, ac deprom-

deprompta ex Beda lib. 2. in Cantica. Satis nihilominus ex dictis constat, Gregorium Chrismatis sacramentum adstruere, & unctionem frontis à verticali sejunctam, ut diximus cap. ultimo de Baptismo. IV. Innocentius III. cap. *Cum venisset*, de sacra unctione, seu tit. XV. lib. I. decretal. hæc habet: *Per frontis Chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur & robur: unde cum cæteras unctiones simplex Sacerdos, id est, presbyter valeat exhibere, hanc nonnisi summus Sacerdos, id est, Episcopus, debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum Vicarii sunt Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat.* Exscripta hæc sunt ex Epistola Innocentii ad Archiepiscopum Trinonitanum, de qua Raynaldus Tom. XIII. Annal. pag. 126. scripta anno 1204. Prætermitto Epistolas Urbani Primi, & Melchiadis in Collect. Isidoriana, & tom. I. Conciliorum, ex quibus conflata sunt cap. *Omnes fideles, Spiritus sanctus, De his verò*, I. 2. & 3. de Consecrat. dist. IV. ne certa permisceantur ambiguis.

9. Probatur ex Conciliis.

Ut veniamus ad Synodorum canones; Illiberitanum Concilium celebratum, ut fertur, anno 305. sive potius 315. canone 38. ita statuit: *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate, ita ut si supervixerit ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit:* ubi *manus impositionem* intelligendam illam esse, quæ dicitur *Confirmatio*, pluribus argumentis demonstrat Ferdinandus de Mendoza lib. 3. pag. 569. Sat est illud modò animadvertere, baptismum à laico datum *integrum* esse, adeoque perfectionem ab Episcopo requirendam, esse *Confirmationem*. Sanè quid significet hoc in canone τὸ *lavacrum integrum*, non repetam, cum dixerim tomo VI. Vide ejusdem Illiberitani Concilii canonem 77. quem Alphonsus Pisanus inter Canones Arabicos, Burchardus verò inter decreta Concilii Turonici falsò recensuerunt. II. Concilium Laodicenum, quod alii celebratum tradunt anno 364. alii 367. edidit hunc canonem; n. 48. Δεῖ τοὺς Φωτιζομένους μετὰ τὸ βαπτισμα χρισθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, καὶ μετόχους εἶναι τῆς βασιλίας τοῦ Χριστοῦ, quem ita ad literam vertit Gentianus Hervetus; *Oportet eos, qui illuminantur, post baptismum inungi supercæleśti Chrismate, & esse regni Christi participes.* In hoc canone tum participium Φωτιζομένους, cùm præsertim quæ sequuntur μετὰ τὸ βάπτισμα, *post baptismum*, invicte revincunt Dallæum canonem de baptizandis, & de unctione catechumeni, quæ baptismum præcedit, ineptè, imperitè, ac nugatoriè exponentem. III. Concilium Arelatense III. anno 455. decrevit, *ut clerici, atque altaris ministri, à nullo nisi ab ipso* (Episcopo) *vel cui ipse injunxerit, ordinentur: Chrisma nonnisi ab ipso speretur: neophyti si fuerint, ab eodem confirmentur.* IV. Florentinum & Oecumenicum, sive Eugenius IV. in decreto pro Armeniis an. 1439. hæc protulit: *Secundum sacramentum est Confirmatio; cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est, Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, &c.* V. Tridentinum denique sess. VII. de Confirmat. anno 1547. hunc priorem canonem edidit: *Si quis dixerit confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.* Et canonem 2. *Si quis dixerit injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.*

10. Argumenta aliquorum Recentiorum.

Recentiores Theologi magnam vim inesse putant canoni VIII. primæ Nicænæ Synodi, ubi statuitur, *De his qui se nominant Catharos, id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant.* Tournelius inquit agi hoc in canone de sacramento Confirmationis, quoniam Novatiani, auctore Theodoreto lib. 3. hæret. fabul. cap. 5. Chrismate non utebantur. Vitasse autem idem sentiens oppugnat Gratianum & Morinum, qui censent Novatianos ad Ecclesiam redeuntes repetita ordinatione fuisse receptos. Gratiano tamen, ac Morino videtur favere versio canonis in collect. Concil. pag. 4. tom. I. *Si qui voluerint venire ad Ecclesiam Catholicam ex Novatianis, placuit Sancto Concilio, ut ordinentur, & sic maneant in Clero.* At Lupus tom. I. pag. 49. ita canonem illum interpretatur, ut nec de Confirmatione sit accipiendus, nec de iterata ordinatione, sed sensum reddat, *Novatiani jam ordinati, si ad Ecclesiam redeant, in Clero permaneant:*

neant: quod vir eximius comprobat testimonio Hieronymi, Innocentii I. Ferrandi, aliorumque. Potest & canon ille sic accipi, ut Novatiani in Clero maneant, *si ordinentur*, sive ut possint adsciscí inter Clericos; nam & hunc sensum patitur editio Græca: περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν αὐτὸς Καθαροὺς ποτὲ προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε χειροθετηθέντας αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. *De his, qui se cognominant Catharos, id est, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant.* Vide tom. 1. Conc. Harduini pag. 326. Hunc itaque canonem ad rem nostram non arbitror esse invictissimum. Idem censet Lupus de canone VII. Concilii primi Constantinopolitani, affirmans in eo, sermonem fieri de impositione manuum *reconciliatoria*, non *Confirmatoria*. Verum de hoc infra, ubi pertractabo de Confirmatione non repetenda. Sufficiat modò hæc præmonuisse.

II. Probatur ex SS. PP.

Veniamus ad Patres. Ac primò præmittendus minimè est Auctor Constitut. Apost. qui, etsi fortasse non sit Clem. Romanus, antiquissimus est tamen, priorumque sæculorum fidem commonstrat. Is ergo lib. 3. cap. 16. pag. 288. de baptizatis inquit: Καὶ μετὰ τοῦτο ὁ ἐπίσκοπος χριέτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ. *Et postea Episcopus baptizatos ungat chrismate:* atque seq. cap. eadem pag. τὸ μύρον (inquit) βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας, *Chrisma confirmatio est confessionis.* Quis hic non rideat Dallæum asserentem his in locis pertractari de *simplici oleo*, non *de Chrismate*, cum μύρον Auctor dicat, *unguentum*, distinguatque ab τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, *à sacro oleo*, quo catechumeni inunguntur ante lavacrum? Illud etiam quod sequitur, βεβαίωσις τ' ὁμολογίας, *confirmatio confessionis*, nonnè exprimit Confirmationis effectum, de quo in Rituali Græcorum p. 368. τὸ χρίσμα τοῦ μύρου βεβαιοῖ τὴν πίστιν, *Unguenti chrisma confirmat fidem*? Habes de eodem unguento in eodem Opere lib. VII. cap. 44. pag. 381. hanc deprecationem: σὺ καὶ νῦν τοῦτο τὸ μύρον δὸς ἐνεργὲς γενέσθαι ἐπὶ τῷ βαπτιζομένῳ, ὥστε βεβαίαν, καὶ πάγιον ἐν αὐτῷ τὴν εὐωδίαν, μεῖναι τοῦ Χριστοῦ σου, *Tu & nunc præsta, ut hoc unguentum efficax fiat in baptizato, quo firma & stabilis maneat in ipso fragrantia Christi tui.* II. Nec omittam Dionysium, sive Auctorem operis de Ecclesiastica Hierarchia, tametsi de hoc quoque discrepent eruditorum sententiæ. Decretoria enim sunt quæ habet c. 2. pag. edit. Plantin. 28. *Unguenti illa consummans unctio eum, qui initiatur, odoris suavitate perfundit*; ἡ δὲ τοῦ μύρου τελειωτικὴ χρῖσις, εὐωδῆ τῷ τελουμένον ποιεῖ. Vide & caput IV. pag. 339. ubi plura de Chrismate, inter quæ habentur ista, *Quin etiam ei, qui sanctissimo divinæ regenerationis sacro initiatus est, consummans illa unctio divini Spiritus illapsum elargitur*, Ἀλλὰ μὴν καὶ αὐτῷ τῷ τελεσθέντι τὴν ἱερωτάτην τῆς θεογενεσίας τελετὴν, τὴν τοῦ θεαρχικοῦ πνεύματος ἐπιφοίτησιν, ἡ τοῦ μύρου δωρεῖται τελειωτικὴ χρῖσις. III. Sequitur Irenæus 2. sæculi scriptor eximius, & auditor Polycarpi, qui lib. 1. contra hæreses cap. 18. ex distinct. Massueti 21. num. 4. inter errores Gnosticorum depravantium Ecclesiæ Catholicæ ritus, illud connumerat quod in baptismate aqua utantur quidem, sed profanas dictiones addant, & ipsi quoque adhibeant unctionem: *Atque ipsi quoque* (ait) *balsamum adhibent*, μυρίζουσι δὲ καὶ αὐτοὶ τῷ βαλσάμῳ. Notandum hoc in loco pronomen, καὶ αὐτοὶ, *Et ipsi*, quo demonstratur, uti in *aqua*, ita *in unctione* neophytorum post baptismum Gnosticos Ecclesiæ consuetudinem æmulatos. Vide Not. pag. 96. In lib. autem IV. cap. 38. num. 2. diserte scribit: οἷς γὰρ ἂν ἐπετίθουν χεῖρας (ἀποστολοι) ἐλάμβανον πνεῦμα ἅγιον, ὃ ἐστὶ βρῶμα ζωῆς, *Quibuscunque enim imponebant Apostoli manus, accipiebant Spiritum sanctum, qui est esca vitæ.* IV. Tertullianus, qui floruit sæculo tertio ineunte, in libro de Baptismo cap. VII. ait: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotio solebant:* & cap. proximo: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans, & invitans Spiritum sanctum.* Eo loci tribuit unctioni etiam spiritalem effectum, scribens: *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit; quomodo & ipsius baptismi carnalis actus quod in aqua mergimur, spiritalis effectus quod à delictis liberamur.* Habes ergo ex Tertulliano utramque Confirmationis materiam, chrisma scilicet, & manus impositionem, necnon sensibilis signi sacramentalem effectum. Legas & de Præscript. cap. 48. & de Resurrect. carnis cap. 8. &c. V. Clementis Alexandrini servavit nobis præclarum testimonium Eusebius lib. III. H. E. cap. 23. ubi de quodam Episcopo, qui baptizaverat juvenem sibi à Joanne Apostolo commendatum, inquit Clemens ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπισήσας τὴν σφραγῖδα

τοῦ

τῷ κυρίῳ, *cum perfecta illum custodia obsignasset*, id est, *signaculo Domini*, sive, *cum illi perfectam custodiam addidisset, signaculum Domini.* Porrò signaculum additum baptismati est confirmatio, ut ostendit in notis ad Sacramentarium Gregorii Menardus ex Ecloga Vitæ Athanasii in Biblioth. Photii cod. 257. τούτους ἐπιχρίσας διὰ τῆς ἐν Χριστῷ σφραγῖδος ἐτελείωσεν, id est, *Qui cum eos inunxisset, Christi signaculo confirmasset.* Utitur his locis vir Cl. Franciscus Blanchinus in notis ad Anast. tom. 2. pag. 297. ad demonstrandum, Constantinum Nicomediæ confirmatum quidem fuisse, non baptizatum; propterea quod Eusebius lib. IV. de Vita Constantini cap. 62. scribat ibidem accepisse θείαν σφραγῖδα, καὶ τιμίον φυλακτήριον, *divinum signaculum, & perfectum animi tutamentum.* At non videntur probationes istæ prorsus invictæ; olim quippe baptismus, & confirmatio simul conferebantur. Eusebius præterea utrumque commemorat, scribens pag. edit. Vales. 558. Χριστῷ μαρτυρίοις ἀναγεννώμενος ἐτελεῖτο, θείας τε σφραγῖδος ἀξιούμενος, *In Christi Martyriis renatus consummatus est, divinoque donatus signaculo.* Aliunde ergo, quam ex hoc loco, ad probandum baptisma à Constantino Romæ susceptum, petenda sunt argumenta: sed iste tamen locus commonstrat *signaculum* superinductum baptismo esse revera Confirmationem. VI. Cyprianus, qui martyr occubuit Valeriano & Gallieno Imperatoribus anno 258., non, ut Vitasius ait, 261. in Epist. 73. ad Jubajanum pag. 281. *Illi*, inquit, *qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant, & intus in Ecclesia, quæ una est, & cui sola gratiam baptismi dare, & peccata solvere permissum est, à Philippo Diacono, quem iidem Apostoli miserant, baptizati erant. Et idcirco quia legitimum & Ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id à Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita & manu imposita, invocaretur, & infunderetur Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.* Quis ex his non percipiat (ut verbis utar Auct. Præf. num. 7.) Confirmationem non esse appendiculam quamdam baptismi, sed verum & distinctum à baptismo Sacramentum, quod à Diaconis administrari non possit, quodque non ad exteriora tantum dona pertineat, sed maxime ad augendum & intensius roborandam baptismi gratiam? Scripserat supra Cyprianus cum aliis Episcopis Epist. LXX. ad Numidas, pag. 269. *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Nec aliquem moveat, quod eo loci addit Cyprianus: *Porro autem Eucharistia est unde baptizati unguntur, oleo in altari sanctificato.* Non enim Eucharistia est proprie *oleum*, ut visum Rigaltio, & Fello, deceptis mendosa editione, quæ habet, *oleum in altari sanctificatum*, sed Eucharistia est id, unde oleum sanctificatur, id est, in Altari & inter sacrificii preces: quare Cyprianus sequitur, *Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Ecclesiam. Unde nec unctio spiritalis apud hæreticos potest esse, quando constat oleum sanctificari, & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse.* VII. Cyrillus Jerosolym. catech. 3. mystag. p. 523. *Et vobis* (inquit) *postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus; hoc autem est Spiritus sanctus:* καὶ ὑμῖν ὁμοίως ἀναβεβηκόσιν ἀπὸ τῆς κολυμβήθρας τῶν ἱερῶν ναμάτων, ἐδόθη χρίσμα τὸ ἀντίτυπον ᾧ ἐχρίσθη Χριστὸς, τοῦτο δὲ ἐστὶ τὸ ὅγιον πνεῦμα. Et pag. 257. *Ut enim Salvator per baptismum, & illum sancti Spiritus adventum egressus in prælium devicit adversarium: sic & vos post sacrum baptisma & chrisma mysticum induti armis sancti Spiritus, adversus oppositam vobis potestatem consistitis, & præliamini, dicentes: Omnia possum in eo, qui me confortat, Christo.* ὥσπερ γὰρ Χριστὸς μετὰ τὸ βαπτισμα, καὶ τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοίτησιν, ἐξελθὼν κατηγωνίσατο τὸν ἀντικείμενον. οὕτω καὶ ὑμεῖς μετὰ τὸν ἱερὸν βάπτισμα, καὶ τὸ μυστικὸν χρίσμα ἐνδεδυμένοι τὴν πανοπλίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἵστασθε κατὰ τὴν ἀντικειμένην δύναμιν, καὶ ταύτην καταγωνίζησθε λέγοντες, πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ. Plura in ista Catechesi leguntur adeo aperta, ut Kemnitius Sacramentum Confirmationis appellaverit *Chrisma Cyrillianum.* VIII. Ambrosius de Myst. cap. 6. num. 29. hæc habet: *Post hæc utique ascendisti ad Sacerdotem: considera quid secutum sit. Nonne illud quod ait David: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron?* Lib. 2. de Sacram. cap. 7. num. 14. *Ergo mersisti, venisti ad Sacerdotem: quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipotens,*

omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam. Et lib. III. cap. I. *Accipis autem μύρον, hoc est, unguentum supra caput &c.* Nolo hic rem agere cum Sirmondo, qui confirmationem primis sæculis datam putat sola manuum impositione: adversus heterodoxos nunc decreto tam exquisitis testimoniis me communiens. Istic enim *Sacerdotem* Ambrosius appellat Episcopum, quod constat simplici locorum inspectione, in quibus aliquando legitur *summus Sacerdos*, ut cit. cap. lib. 2. paulo post verba præcitata. Alucinatur ergo Dallæus scribens loqui Ambrosium de unctione, quæ fit à presbytero. Errat etiam, dum consignationem illam recenset inter ceremonias baptismi, cum de ea ita prosequatur Ambrosius lib. 3. cap. 2. num. 8. *Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi; quia post fontem superest, ut perfectio fiat; quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* IX. Hieronymus Luciferiano dicenti, *An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus?* Respondet 2. p. tom. IV. pag. 295. *Non quidem annuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus excurrat.* Addit *baptizatos in Ecclesia, nisi per manus Episcoporum, non accipere Spiritum sanctum.* Quod pariter demonstrat ex cap. VIII. Act. Apost. S. P. Augustini testimonia plurima collegerunt Hieronymus Torrensis in Confess. Augustin. lib. 3. cap. 5. & Augustinus à Monte Ilcino, cujus egregium contra hæreticos Opus ante annum 1560. improbo labore conscriptum inter inedita delituit. Lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 104. num. 239. ita Augustinus loquitur: *Et in hoc unguento* (de quo Lucæ XXIV. 47.) *Sacramentum chrismatis vultis interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse & in hominibus pessimis*, id est, quantum ad characterem. Vide lib. III. de Baptismo cap. 16. num. 21. lib. XV. de Trinit. cap. 26. num. 46. in Ps. CXII. num. 9. & quæ produximus præcedenti prop. 1. Denique Theodoretus (hos enim collegisse sufficiat) in Cantica tom. 1. pag. 1002. exponens ea verba: *Unguentum effusum nomen tuum*, inquit: *Si magis etiam mystice vis intelligere, sacri baptismatis mysterium recordare, in quo qui initiantur, post tyranni abnegationem, & regis confessionem, veluti signo & nota quadam regia, spiritalis unguenti chrismate inuncti sub ea visibili unguenti specie invisibilem sanctissimi Spiritus gratiam suscipiunt.* Εἰ δὲ βέλει καὶ μυστικώτερον νοῆσαι, ἀναμνησον σαυτὸν τ' ἱερᾶς μυσαγωγίας, ἐν ᾗ οἱ τελέμενοι, μετὰ τὴν ἄρνησιν τὴ τυράννε, καὶ τὴν τοῦ βασιλέως ὁμολογίαν, οἱονεὶ σφραγῖδα τινὰ βασιλικὴν δεχονται, τοῦ πνευματικοῦ μύρε ὁ χρίσμα, ὡς ἐν τύπῳ τῳ μύρῳ τὸν ἀόρατον τοῦ παναγιε πνεύματος χάριν ὑποδεχόμενοι. Ergo Patres, ut ex accurata horum testimoniorum ponderatione facile quisque deprehendet, in manus impositione & in Chrismate, quo baptizati per Ecclesiæ Antistites liniuntur, agnoscunt divinum signaculum, invisibilis gratiæ typum, submistrationem virtutis ad dæmonem propulsandum, unctionem Dei & gratiam Christi, fidei confirmationem, ac donum Spiritus sancti. Certe qui tam amplis magnificisque notis delineant Confirmationem, atque in ea describunt visibilia signa gratiarum, connumerant illam inter Catholicæ Ecclesiæ sacrosancta signacula. Non ergo otiosa ceremonia est, non ritus aut appendix baptismi, non inventum Melchiadis, alteriusve Pontificis, non denique commentum scholasticum, aut posteriorum sæculorum figmentum.

12. Confutatio ulterior hæreticorum.

Facit denique ad confutationem hæreticorum, quod ostendimus lib XXX. cap. 5. Ecclesias omnes, Romanam matrem cæterarum, Africanam, Græcam, Aethiopicam, Coptam, aliasque omnes cum Occidentis, tum Orientis, imo & plerosque Novatorum conventus, nobiscum in Sacramentis enumerandis convenire; & quod hostes veritatis nequeant ostendere quis inter mortales primus Sacramentum istud cæteris accensuerit. At juxta saluberrimam Augustini regulam lib. 2. de Bapt. cap. VII. num. 12. quod universa tenet Ecclesia, nonnisi ab Apostolis creditur traditum & commendatum. Apostoli ergo nobis sacramentum Confirmationis commendaverunt: Apostoli tradiderunt doctrinam, quam propugnamus: atque, ut ajebat Tertullianus de Præscript. cap. 21. *Constat omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum,*

rum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.

REFELLUNTUR OBJECTIONES.

13. Objectiones variæ Hæreticorum.

Quoniam præcipua hæreticorum argumenta aut præcitato capite 5. libri tricesimi fuerunt refutata, aut præoccupata in hoc ipso; erunt summatim & quambrevissimè perstringenda. Contendunt itaque primò, argumenta à nobis allata esse fracta prorsus & imbecillima: quæ proferuntur ex Scriptura, quoniam ibi de dono linguarum fit sermo; cumque istud modò cessaverit, consequitur impositionem manuum otiosam jam esse, & quæ nulli usui sit, ceremoniam. Addunt nullam ibi *chrismatis* mentionem fieri, ideoque frustra nos inde confingere Chrismatis sacramentum. Quæ verò ex Patribus depromuntur, torqueri à nobis, falsò intelligi, & pluris quædam, quam sit opus, æstimari. Enimverò permulti Confirmationem describunt tanquam ceremoniam baptismatis, cum ajunt neophytos statim post lavacrum unctione obliniri; ipsique unctioni tribuunt baptismatis effecta, gratiam, animæ signaculum, & spiritum sanctitatis. Alii autem Patres, maxime Apostolicis temporibus proximiores, de sacro chrismate ne γρὺ quidem; ut Justinus, Athenagoras, Tatianus. Nonnulli è cœnosis rivulis errorem biberunt, ut Tertullianus in Montani deliramenta prolapsus, & Cyprianus, ut baptismum hæreticorum, ita illorum unctionem reprobans. Quidam denique sub falsis nominibus à nobis ad plebem decipiendam celebrantur, dum Opus de Ecclesiastica Hierarchia Dionysio Areopagitæ, Constitutiones Apostolicas Clementi Romano, librum de Initiandis, seu de Mysteriis, & alios sex de Sacramentis Ambrosio adscribimus, nostram ostentantes in pervolutandis, dijucandisque veterum scriptis, sive fidem malam, sive oscitantiam. Hoc ergo præcipuum adversariorum momentum, quod contentione urgent, ornantque amplificatione verborum. Præterea hæretici negant Ecclesias hac in parte nobiscum consentire, imo & nos invicem pugnare dicunt; quandoquidem sacramentum Confirmationis expunxerunt Novatiani, Albigenses, Valdenses, Hussitæ, & ne isti tanquam hæretici contemnantur, non recipit sacramentum istud Ecclesia Græca, ut constat ex Confessione Cyrilli Lucar, cusa an. 1633. typis Genevensibus: nec Aethiopica, ut affirmat in suo Itinerario Alvares Monachus; nec Armenica, teste Guidone Carmelita. Latini quoque Theologi hac in re non conveniunt: nam quidam hoc Sacramentum à Christo, quidam ab Apostolis, quidam in Concilio Meldensi institutum definiunt, ac *de materia* pariter, & *de forma* nectunt litigiosas abstrusasque disputationes. Addunt postremò ratiocinationes quasdam; quarum prior est, Confirmationem derogare virtuti & efficaciæ baptismatis, cum baptismo adimat Spiritum sanctum, & hunc sibi vindicet. Sequitur affinis altera, fore Sacramentum Confirmationis præstantius & excellentius baptismo, si illi donum Spiritus sancti sit adscribendum. Tertia parum absimilis, cum in baptismo Spiritus sancti gratia, Dei adoptio, & pignus hæreditatis conferatur, sacramentum Chrismatis videri supervacaneum.

14. Respondetur.

His ad hunc modum respondemus. Visibilis illapsus Spiritus sancti argumentum erat virtutis baptizatos corroborantis, ac disseminandi per linguas universas Evangelii; ideoque cessavit, dum Evangelium ubique diffusum non egebat ulterius approbatione miraculorum, deinceps Spiritu sancto absque aspectabili forma per sacrosancta signacula descendente, ut Augustinus docet Tract. VI. in epistolam Joannis, & in Psalmum 130. Non est ergo impositio manus Episcoporum inutilis, & otiosa; sed adhuc efficax, & invisibilis gratiæ operatrix: alioqui etiam baptismus nunc suo careret effectu, cum Apostolorum ætate ad ejus virtutem commonstrandam, Act. x. 44. Spiritus sanctus visibili forma descenderit. Alia est enim virtus spiritus interius vivificans, & confirmans, quovis tempore Christi fidelibus cum adversario luctantibus necessaria; alia exterius effulgens, & ad fidem pertrahens manifestatione signorum, necessaria duntaxat ad fidei primordia, & ad institutionem ac propagationem Ecclesiæ. Ac de primo argumento, quoniam de Chrismate dicendum est infra, hæc tantum. Quod sequitur ad elevandam Patrum auctoritatem, singulis suis partibus labefit, ac perfringitur. Cum enim Patres Confirmationi gratiam conferendi vim tribuunt, illamque Augustinus in genere visibilium signaculorum appellat sacrosanctam, comparatque baptismati, non utique inter ritus ac variabiles ceremonias ipsam confirmationem connumerant: nec talis censenda est, quòd olim neophyti statim post baptismum confirmarentur; siquidem & aliquando eis porrigebatur Eucharistia, quam tamen esse ritum baptismi neque

Calvinus, neque Kemnitius, neque Dallæus, neque hæreticorum quispiam concedet. Confirmabantur verò neophyti statim post baptismum, si Episcopi aderant: nam quos baptizavit Philippus, nisi post adventum Petri, & Joannis, non fuerunt consignati; sicuti modò in minoribus urbibus illi, quos baptizant presbyteri, confirmantur in Episcoporum visitatione, quemadmodum scribunt Hieronymus & Gregorius. Cur autem nunc differatur Confirmatio, dicendum infra. De Justino, aliisque, sicuti de arcani disciplina, plura diximus Volum. VI. Si argumentum istud probaret aliquid, nec Sacramenta forent baptismus, & Eucharistia, de quibus nec γρῦ, nec μῦ, sive apud Athenagoram, sive apud Tatianum: hi nimirum pro Christianis ediderunt apologias, calumnias, falsaque crimina propulsarunt, nec religionis mysteria Ethnicis exposuerunt. Quod si his inter mortales degentibus nec audiebatur nomen Confirmationis aut Chrismatis, unde illud accipere Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, qui ex majorum traditione, & Ecclesiastica disciplina illius meminerunt? At inquiunt, Tertullianus Montanista fuit, ac Cyprianus erravit. Quid verò inde? Nec ullus veterum inter Montanistarum portenta connumeravit Chrismatis sacramentum; nec Tertullianus defecerat ad Montanistas, quando scripsit librum de Baptismo adversus Quintillam: quod non solum animadverterunt Petrus Allix in dissert. de vita & scriptis Tertulliani; Dupinius in nova Biblioth. tom. 1. pag. 138. & Guilelmus Cave in sæculo Gnostico pag. 57. verum etiam probatur ex quo eo in libro cap. 17. damnet ministerium mulierum in solemni baptismo, quod Cataphrygum, & Montanistarum opponitur disciplinæ. In Cypriano damnant quidem omnes anabaptismum, chrismatis unctionem nequaquam: imo si hanc factam ab hæreticis tradidisset repetendam, quod inquiretur posthac, non illam tamen denegasset; sicuti nec denegavit sacramentum baptismi, dum propugnavit esse iterandum. Scripta verò supposita non alio fine laudavimus, nisi ad stabiliendam communem, receptamque temporum, quibus prodierunt, traditionem. Quamquam ergo concedamus Apostolicas Constitutiones falsò inscriptas Clementi; nemo tamen inficias ibit, præcessisse illas quartum sæculum, nec invictè ostendet non esse idem opus, quod ab Eusebio lib. III. H. E. cap. 25. appellatur τῶν ἀποστόλων διδαχὴ *Apostolorum doctrina*, ut sentiunt Nicephorus, Zonaras, & Blastares. Idem affirmo de operibus Dionysii, dato etiam prodiisse illa quarto exeunte sæculo; tametsi quæstio de scriptis Dionysianis in utramque partem magnis animorum contentionibus agitetur. Saltem ergo ex libris Constitutionum, & de Hierarchia Ecclesiastica illud inferas, Sacramentum Confirmationis ante v. sæculum probatum omnibus, cum nemo id reprehenderit iisdem in scriptis, alias plurimum exagitatis; sive fœtura germana fuerint, sive spuria. Liber tamen de Mysteriis, sive *de initiandis*, tantum abest, quod non sit auctoris optimi, judiciique emunctissimi, ut ajebat in literis ad Joachimum Vadianum Henricus Bullingerus, aut mangonis cujuspiam opus, ut visum Roberto Coco, & Dallæo: quin magno Scriptorum consensu attribuitur Ambrosio, nulloque jure ipsimet abjudicatur, ut in Præf. tom. 2. pag. 320. demonstraverunt eximii Benedictini Editores. Qui etiam Præf. altera in libros de Sacramentis, pag. 342. adversus Cocum, Rivetum, Albertinum, aliosque perspicue commonstrant hæreticos frustra opus illud contumeliis, probrisque lacessire: complures scriptionem agnoscere tanquam Ambrosianam; partem negantem haud magis esse probabilem, quàm affirmantem; quacunque tandem ætate prodierit (quod eveniisse ante sæculum septimum, liquet ex codice ante annos mille exarato apud illustrem Mabillonium p. 7 Musei Italici) refertum Ambrosii sententiis, ac plerumque etiam verbis: dignum denique, quod sancti doctoris laudetur nomine, & quod in ordine suo & possessione servetur. Atque his objectionem ex Patrum auctorirate fabricatam dissolvimus & contrivimus. Nam quam addunt proximo loco, edidit consensus Ecclesiarum circa numerum Sacramentorum, comprobatus sexto Volumine pag. 44. & si Ecclesiæ quædam aut schismate, aut hæresi à nobis sejunctæ numerum illum decurtant, meminerint Refractarii juxta monitum Tertulliani, investigandam esse doctrinam Catholicam *in Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus.* Addam modo *Confessionem* Cyrilli Lucar fuisse refutatam ab Ecclesia Constantinopolitana anno 1635. in Synodo Beræensi 1638. in Synodo Leucosiæ 1668. in Jerosolymitana 1672. eique opponi Simeonem Thessalonicensem Episcopum, Gregorium Protosyncellum, Hieremiam Patriarcham Constantinopolitanum, aliosque; de quibus adeas Witassium

pag.

pag. 229. & Scriptorem de Re Sacramentaria pag. tomi 1. 288. Fidem quoque Armeniorum asseruerunt Uscanus Episcopus Erivanensis, Jacobus Armeniorum Patriarcha, Onufrius Archiepiscopus Ametensis superiori sæculo contra Novatorum mendacia, ut post Auctorem Operis *de Perpetuitate fidei*, scribunt præclari, accuratique Theologi, quos nuper commemoravimus. Mitto quæ de Novatianis, Valdensibus, & Wiclefistis priori capite sunt prænotata. Ad postremas denique ratiocinationes respondeo cum Petro Damiano serm. 1. in dedicat. Eccl. *In baptismo Spiritus sanctus datur ad veniam, hic ad pugnam: ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus præmunimur.* Profectò si derogaret baptismo Sacramentum, quod confert novam perfectionem divinorum donorum, nec Eucharistia esset recipienda. Si hæc nutrit & mentem saginat; Confirmatio addit vires, animumque corroborat. Stat ergo sua cuique sacramento virtus, & efficientia, ut diximus lib. xxx. cap. 5. ubi etiam ex humanæ vitæ adminiculis comprobatus est numerus septem Sacramentorum.

CAPUT III.

Quando Sacramentum Confirmationis fuerit à Christo institutum?

SUMMARIUM.

1. Sacramentum Confirmationis fuit institutum à Christo.
2. Quo tempore fuerit institutum?
3. Refutantur duo argumenta opposita.

1. Confirmatio fuit instituta à Christo Domino.

Objicientibus hæreticis dissidia Scholasticorum circa institutionem, ac *materiam* Sacramenti Confirmationis nec verbum duximus reponendum, quòd fidei decreta referri nequaquam debeant ad hominum opiniones, & placita. Nunc de hac re inquirentibus brevi satisfaciendum est, de institutione temperanter, & summatim dicendo. Ac primò Sacramentum istud fuisse institutum à Christo, nec posse oppositum teneri post Synodum Tridentinam absque nota hæresis, fideique jactura, videri etiam certum, positumque extra dubitationem, quod præfata Synodus canone primo sess. VII. de institutione propria, & *immediata* loquatur, demonstratum est cap. VIII. libri tricesimi. Itaque errarunt, (ut dixi ibidem) qui scripserunt sacramentum chrismatis in Concilio Meldensi fuisse institutum. Hoc enim Concilium sedente Sergio II. anno Christi 845. coadunatum est; quando scilicet de Sacramento isto scriptores quamplurimi pertractaverant. Deinde inter LXXX. ejusdem Concilii canones, & capitula, nihil extat ad institutionem hanc pertinens. Animadverto insuper supponi ab eodem Concilio sacramentum hoc institutum can. 44. quo vetat, ne Chorepiscopus *sanctum chrisma, sanctumque paraclitum Spiritum, solis Episcopis juxta decreta Innocentii*, (sedit Innocentius, cujus decreta supra produxi ab anno 402. ad an. 417.) *tribuere debitum, tradere tentet, nec Ecclesias consecret, &c.* & canone proximo 45. quo jubet, *ut nemo Episcoporum, vel quilibet minister Ecclesiasticus propter sacrum chrisma aliquid muneris accipiat.* Videsis Burchardi decreta lib. IV. & tom. VII. Concil. coll. Labb. p. 1833. Verum est, in eodem concilio præcipi canone 46. *ut nemo sacrum chrisma, nisi in V. Feria majoris septimanæ conficere præsumat.* At si hoc Alensi, aliisque perpaucis occasionem præbuit erroris, apparet hos ofcitanter canones pervolutasse, cum nihil novi ibidem præcipiatur, nec extet vestigium aliquod pristinæ institutionis. Hanc etiam ad Apostolos quidam immerito retulerunt, cum institutor Sacramentorum omnium sit Christus, eaque partitio *immediatæ*, ac *mediatæ* institutionis nata videatur in scholis; sitque proprie *institutor*, idem, ac qui incipit, statuit decernit, & *instituere* ἄρχεσθαι, ἐπιβάλλειν, ut dixi tom. sexto. Accedit, quod Concilium Tridentinum institutionem à promulgatione distinguit, sess. XIV. can. 1. & Vavrense celebratum anno 1368. à Petro Narbonensi, & Gaffredo Tolosano Archiepiscopis, ac generali Vicario Arnaldi Archiepiscopi Auxitani, cap. 2. de Fide Catholica ita loquitur: *Porro sacramenta instituere, quæ ex sui institutione, & sanctificatione contineant invisibilem gratiam, competit soli Christo: qui solus potestatem excellentiæ sibi retinuit, potestatem ministerii Apostolis,*

& cæteris succedentibus dedit. Quæ igitur instituta sunt ab Apostolis & successoribus eorundem, ut benedictio aquæ & panis, consecrationes virginum & altarium, & cætera hujusmodi: non Sacramenta propria, sed sacramentalia dici debent. Omnia ergo sacramenta novæ legis Christus per semetipsum immediate instituit. Aliqua tamen, præcipue Confirmationem, & extremam Unctionem per Apostolos promulgavit: sicut de Confirmatione patet in Actibus Apostolorum, XIX. *capitulo, & de extrema Unctione Jacobi quinto.* Vide 2. p. tom. XI. Concil. pag. 1980. Atque hunc locum exscripsi, quoniam quæ præcedenti libro disserui de Institutione Sacramentorum, concordissima definitione comprehendit. Certissimum ergo est à nulla simplici creatura, cujus potestatem excedit gratiæ efficientiam alligare signaculis sensibilibus, sed ab eo, cui *data est omnis potestas in cœlo, & in terra*, Deo & homine Christo Jesu Confirmationem originem habere suam, ut jam Theologi omnes fatentur, haud dissentiente BENEDICTO XIV. Notif. VI. pag. edit. Bonon. 52.

2. Quo tempore fuit instituta?

Illud potius investigandum foret, quo tempore contigerit hæc institutio, nisi in re admodum obscura *tot* adinvenirentur *sententiæ*, ut est in proloquio, *quot capita.* Imitandi consilium erat Parvacquesium nostrum, & Vanroy, qui quæstione 2. hujus Tract. fatentur id à se ignorari, de quo neque per verbum Dei scriptum aut traditum, neque per Romanorum Pontificum, & Conciliorum constitutiones, neque per Patrum munimenta possit certi aliquid affulgere; maxime quod à sententia dicenda ob caulam eandem abstinuerit præcitatus eximius Theologus, & Pontifex clementissimus. Verum cum is de hac quæstione legendos moneat rerum Theologicarum Tractatores, nec opus sit in ejusmodi dubitationibus, quemadmodum in dogmatibus Ecclesiasticis, proferre momenta roboris, & auctoritatis plenissima; dico institutum hoc sacramentum eo temporis intervallo, quo Christus à mortuis redivivus per dies quadraginta cum Apostolis permansit *loquens de regno Dei*, ut habetur Act. 1. 3. Tenent hanc sententiam Estius in IV. dist. 7. sub finem §. 4. Merbesius Summæ Christ. P. 3. differt. 2. q. 4. Witasse pag. 406. &, ni fallor, magis in eam propendet BENEDICTUS XIV. ac si velimus tempus magis coarctare, ad illud nempe, quando Christus ait Apostolis Joann. XX. 22. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* huic opinioni subscribunt Suarez, Henriquez, Layman, Faber, & quos laudat Theologus oculatissimus Basilius Poncius, de Confirmat. P. 1. cap. 4. pag. 26. Trahor verò in hanc sententiam, seu potius opinationem, ob hoc momentum. Existimandum quidem est eo temporis Christum nonnulla Sacramenta, atque inter hæc Confirmationem instituisse, quando promisit Apostolis virtutem supervenientis Spiritus sancti, eis plenam in mysticum Ecclesiæ corpus contulit potestatem, pluraque illis revelavit mysteria, & de Ecclesia magna, occulta, divinaque reseravit; præsertim si aliud hujus institutionis tempus nequeat congrua, ac probabili ratione assignari. Atqui diebus illis quadraginta, quibus Redemptor cum Apostolis conversatus est, illam eis gratiam, virtutemque promisit, quam in nobis operatur per sacrosanctum Confirmationis signaculum, ut constat ex Lucæ XXIV. 49. Act. 1. 8. omnem illis in Ecclesiam dedit auctoritatem, ut liquet ex Joan. XX. 21. atque iis diebus, ut inquit serm 1. de Asc. cap. 2. sanctus Leo, *magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria*; ad alia autem tempora nequit talis institutio referri. Eo itaque labente tempore sacramentum Chrismatis fuit institutum. Revera si institutum est alio tempore, istud, quæso, designent nobis Theologi. Institutum inquiunt complures apud Henriquez lib. III. cap. 1. num. 5. & Basilium Legionensem p. 22. cum Dominus Matth. XIX. 13. parvulis manus imponeret; quoniam impositio manus est ipsum chrismatis sacramentum. Sed imbecillis est ista ratio, quia nec omnis impositio manus *confirmatoria* est, ut dixi cap. 1. nec decebat aliquem confirmari ante Apostolos, & ante adventum Spiritus sancti, nec fortasse illi parvuli erant regenerati baptismo, atque hujus proinde Sacramenti capaces. Sanè nullus, quem legerim, aliam hic impositionem manus accepit, quam consuetam apud Hebræos, penes quos adolescentuli exemplo Ephraim & Manasse Gen XLVIII. 14. à majoribus imposita capiti manu benedicebantur: ideoque Chrysostomus apud Possinum in symbolis pag. 265. ait parvulos illos Domino fuisse oblatos, ἵνα εὐλογηθῶσι διὰ τῆς ἁφῆς τῶν χειρῶν τοῦ Σωτῆρος, *ut benedicerentur contactu manuum Salvatoris.* Vix ergo Matth. XIX. Confirmatio designata est *typo*, ac *symbolo*, non institutione,

tutione, aut mandato. Quidam putant confirmationem institutam ante passionem, cum ait Dominus Joannis XVI. 7. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos*: in qua sententia videtur S. Thomas q. 72. art. 1. Puteanus noster in eandem q. dub. 2. concl. ult. Dominicus Soto in IV. dist. 7. art. 2. At nil aliud ibi apparet, quam promissio gratiæ, repetita cap. XIV. 26. XV. 26. & post passionem, Lucæ XXIV. 49. nec aliud ibi docet revera Angelicus, dum ait Dominum tunc instituisse hoc Sacramentum *non exhibendo, sed promittendo;* quod eximius Estius putat ita esse accipiendum, ut Christus præsentia sua minimè exhibuerit Confirmationem, sicut exhibuit baptismum & Eucharistiam. Sequeretur quoque ex ea sententia, quod sicut promissio illa Jo. XV. In die Pentecostes completa est; ita tunc temporis exhibitione Spiritus Sancti foret instituta Confirmatio. Promissionem autem ad institutionem Sacramentorum non sufficere inde constat, quod promissio multiplex sit, institutio una; quod hanc eandem promissionem in Prophetis inveniamus, maximè Is. XLIV. 3. & Joël § 11. 28. quod etiam gratiam baptismatis expresserit Christus, Joan. III. 5. alloquens Nicodemum, nec tamen tunc institutus fuerit baptismus, quem ipsemet D. Thomas q. 66 art. 2. in Jordane institutum esse pronuntiat. Quidam præterea hanc institutionem factam putant in ultima cœna, ut Suarez disput. 32. sect. 2. Maurus tract. XVI. q. 114. Mastrius disput. 2. q. 8. Gavardi de Confirmat. q. 1. art. 1. atque hi præsertim ducuntur auctoritate Fabiani Epist. 2. cap. 1. ubi legitur: *In illa die Dominus Jesus, postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit.* At primùm à criticis Fabiani Epistola amandatur inter apocrypha. Deinde in hoc decreto nihil apparet aliud, quàm chrismatis confectio & consecratio, quæ & nostra ætate, atque ex perantiqua disciplina fit quinta feria majoris hebdomadæ, collocato Corpore Domini super altare; propterea quod, ut supra animadverti ex Epistola LXX. Cyprianica, visum veteribus Chrisma in altari, coram Eucharistia, ac inter sacrificii preces esse benedicendum. Quem verò in finem benedictio & confectio chrismatis traderetur postrema cœna, necessum non erat statim manifestare discipulis, quibus plura post resurrectionem erant revelanda; præsertim cum chrismatis usus sit multiplex, puta in Episcopis inungendis, in consecrandis altaribus, in consignandis neophitis. Nec probabilitate caret Ecclesiam, ad quam diximus spectare institutionem *sacramentalium*, in cœna Domini perficiendam statuisse consecrationem illam chrismatis, aut spectantem figuras veteres, id est, obsignationem ostii, & superliminaris domorum, factam in esu agni; ut lib. V. de Divinis Officiis cap. 17. scribit Tuitiensis Abbas Rupertus, aut memorem *unguenti*, quod ante biduum Paschæ Maria ad caput, pedesque Salvatoris profudit, ut censent Isidorus, Rabanus, & Alcuinus in Collectione Romana *de divinis Officiis* pag. 10. 47. & 192. aut denique memoria repetendo, Dominum peracta cœna digressum *in montem olivarum*, ad præsignandum quod chrismate confirmandi essent, qui in morte ejus baptizarentur, ut scripsit Venerabilis Beda lib. VI. in Lucam cap. 6. Thomas Valdensis lib. 2. de Sacram. cap. 113. & Dominicus Soto in IV dist VII. quæst. unica, art. 2. Postremò retulerunt nonnulli institutionem hanc ad diem Pentecostes; sed prorsus immeritò, primùm quia Apostoli eo die, non *per visibile signaculum*, sed singulari miraculo receperunt Spiritum sanctum; deinde quia tunc apparuit potius Confirmationis effectus, quam institutio; tandem quia decebat sacramenta, quæ Redemptionis nostræ, & novi Testamenti sunt pars præcipua, à Christo institui, priusquam cœlum conscenderet. Refutatis itaque opinionibus cæteris, ea præferenda est, quam studui hactenus propugnare.

8. Refutantur quædam argumenta opposita.

Videntur duo tantum argumenta militare ex opposito. Primum, quia Joannis XX. 22. illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* dedit Christus Apostolis potestatem absolvendi à peccatis, non consignandi neophytos. Alterum, quod Concilium Senonense celebratum adversus Lutheranos anno 1528. Parisiis ab Antonio *à Prato* S. R. E. Cardinali, Senonensi Archiepiscopo, & Germaniæ, Galliarumque Primate, decreto X. inquit: *Nec obscurius quidem Sacramentum Confirmationis Christus instituit, cum parvulis manus imponeret.* His tamen facile occurritur. Non enim nos ex cap Joannis XX. produximus versum 22. *Accipite Spiritum sanctum, &c.* sed indicavimus tantummodo versum præcedentem, *Sicut misit me Pater, &*

ego mitto vos; atque hunc ad hoc tantum, ut appareret collatam Apostolis post resurrectionem Domini plenam Episcopalis muneris potestatem: cujus tamen argumentum est illa quoque retinendi absolvendique peccata facultas. Institutionem verò Confirmationis factam eo temporis arbitramur, quòd videatur illud magis idoneum, simulque in eo inveniamus revelationem mysteriorum, auctoritatem Antistitum, promissumque Spiritus sancti munimen; opiniones denique aliorum innitantur enervatis magis, & infirmioribus conjecturis. A sententia autem Synodi Senonensis, eodem jure fas nobis erit discedere, quo illi adversantur, qui aut in cœna Domini, aut in die Pentecostes, aut alio ante passionem tempore hanc institutionem constituunt, tametsi erga omnes obsequentissimi respondemus ea in Synodo dici Confirmationem *institutam* Matth. XIX. designatione quadam, ac symbolo. Excipiemus eadem reverentia Doctorem Angelicum idem, quod Senonensis Synodus, scribentem in IV. dist. VII. q. 1. art. 1. maximè quod sententiam hanc refellunt doctissimi Thomistarum, Dominicus Soto eadem dist. pag. 356. Gonet disput. VI. de Sacram. art. 1. §. 3. Contensonius dissert. IV. capite 2. speculat. 1. aliique asserentes Sacramentum Confirmationis institutum in nocte Cœnæ: imo Cardinalis Gotti tom. XIII. num. 8. pag. 90. sententiam illam amplectitur, quam nos defensitando ad exitum quæstionem istam perduximus.

CAPUT IV.

An impositio manus, & chrisma sint hujus Sacramenti essentialis materia?

SUMMARIUM.

1. De materia confirmationis.
2. Impositio manûs est materia essentialis.
3. Similiter etiam unctio.
4. Ita, ut in utroque consistat materia adæquata hujus Sacramenti.
5. 6. 7. 8. Solvuntur objectiones.
9. 10. An sit fidei dogma, unctionem esse de essentia Confirmationis.

1. Confirmationis materia essentialis quænam?

GRAVIOR præcedenti est quæstio *de materia* Confirmationis, quamvis Theologi concordissimè teneant, eam esse sive manus impositionem, sive chrisma, sive utrumque simul; atque id fides Catholica profiteatur adversus Lutherum, Kemnitium, Calvinum, Dallæum, aliosque hæreticos, unum, id est, *impositionem manus*, posteaquam cessavit visibilis illapsus Spiritus sancti, tanquam ceremoniam inutilem reprobantes; alterum, nempe *unctionem Chrismatis*, appellantes oleum Diaboli mendacio pollutum, pinguedinem fœtore anhelitus inquinatam, & perungendis calceis (tanta est perditissimorum hominum impudentia) absque labe sacrilegii addicendam. In sola itaque impositione manuum constituunt hujus Sacramenti materiam Petrus Aureolus, Isaacius Habert, Jacobus Sirmondus, Sambovius, Nicolaus L' Herminier: qui tamen fatentur unctionem esse antiquissimam, nec ullo pacto prætermittendam. Statuunt econtra materiam ipsam in Chrismate S. Thomas, cui subscribit haud exiguus numerus Scholasticorum, inter quos nostratium omnes, Poncius, Farvaquesius, Vanroy, Gibbon, Gavardi, aliique; nec non Bellarminus, Maldonatus, Ysambertus, Petrus Aurelius, Beyer, Arcudius; quorum plures Chrisma receptum censent loco impositionis manus, ut videntur innuere Oecumenius, & Synodus Moguntina. Quidam utramque materiam disjunctivè existimant essentialem, adeo ut sufficiat unam, vel alteram adhibere, ut Ruardus Tapperus, & Joannes Morinus, qui in Opere posthumo de Confirmat. contendit à Græcis solum chrisma, à Latinis verò chrisma cum impositione manus fuisse semper adhibitum. Permulti denique adæquatam confirmationis materiam statuunt simul in impositione manus, atque in chrismate; in quam sententiam conspirant recentiorum doctissimi, Merbesius p. 3. dissert. 2. q. 5. Natalis Alexander de Sacram. Conf. cap. 1. art. 2. Caspar Juenin dissert. 3. q. 2. cap. 3. Ludovicus Habert cap. 3. § 1. & 2. Cardinalis Gotti q. 1. dub. 1. Honoratus Tournely q. 1. art. 3. Carolus Vitasse, aut qui hujus Tractatus prosequitur q. 2. art. 3. sect. 5. & 6. Auctor Operis de Re Sacramentaria q. 3. cap. 1. & 2. Angelus Maria Canali q. 2. cap. 2.

Antonius

Antonius Boucat. dissert. 2. Concl. 1. quos commonstratis locis recenseo, ut sententiæ, cui arbitror adhærendum, quisque facilius adinveniat rationum munimenta, atque auctoritatis præsidia.

2. Impositio manus est materia essentialis.

Propositio I. Manus impositio est sacramenti hujus *materia* essentialis.

Demonstratur primò: Illa est in sacramento Confirmationis *essentialis materia*, per quam confirmatis confertur gratia Spiritus sancti, qua muniuntur ad pugnam, & in fidei confessione corroborantur; at *per impositionem manus* obsignatis hujusmodi gratia confertur: Ergo manus impositio in Sacramento Confirmationis est *essentialis materia*. Propositio prior est certa; quid enim *materiæ* nomine intelligimus, nisi rem subjectam sensibus, quam ex præscriptione Domini, Apostolica traditione, & Ecclesiæ consuetudine adhibemus in sacramentis conficiendis, ad gratiam spiritalem suscipientibus conferendam? Probatur itaque minor: Apostoli per manus impositionem dabant *Spiritum sanctum*, non donum linguarum duntaxat ad Evangelii testimonium, & ædificationem credentium, sed virtutem quoque supervenientem regeneratis, ac interius illos perficientem, ut fidem palam profiterentur, pluraque incommoda, atque dispendia invictè subirent: quod demonstrari verbis illis Act. VIII. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*, constat ex præcedenti secundo capite. II. Dici nequit Apostolos quidem, at non illorum successores Episcopos eam gratiam dedisse *per manus impositionem*; siquidem veteres, quorum testimonia ibidem produximus, expresè, planè, & perspicuè testantur, ut olim Apostolos, ita Episcopos omnes, dum baptizatis manus imponunt, conferre illis *Spiritum sanctum*. Ita nimirum docent Cyprianus Epist. 73. ad Jubajanum: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.* Ita Hieronymus adversus Luciferianos: *In Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipit Spiritum sanctum.* Ita Augustinus lib. XV. de Trin. cap. 26. *Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Ita Innoc. III. cap. *Cum venisset, &c.* III. Idem ex aliorum Patrum traditione deducitur. Tertullianus initio VIII. capitis de baptismo: *Dehinc* (ait) *manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum:* & de Resurrect. carnis cap. 8. *Caro signatur, ut & anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur.* Eusebius Gallicanus Episcopus hom. in die Pentecostes, quam alii adscribunt Eucherio, alii Hilario Arelatensi, qui ambo sæculo V. floruerunt, allatis Isaiæ verbis: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*, inquit: *Advertamus summæ divitias bonitatis: quod nunc in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populo donavit universis.* Exstat tom. VI. Bibl. PP. pag. 649. Primasius Adrumetinus in Bizacena provincia Episcopus, Commen. in Epist ad Hebræos cap. VI. in ea verba, *baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum*, hæc habet Bibl. PP. tom. X. pag. 25. *Impositionem manuum appellat, per quam plenissimè creditum accipi donum Spiritus sancti, quod post baptismum ad confirmationem unitatis in Ecclesia à Pontificibus fieri solet.* Gregorius Magnus in Evangelia tom. I. pag 1502. de manus impositione inquit: *Per quam Spiritus sanctus accipitur.* Isidorus Hispalensis lib. 2. de Eccles. Officiis cap. 26. pag. 31. *Post baptismum*, inquit, *per Episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione.* Prætermitto Theodulphum Aurelianensem, Albinum Flaccum, Amalarium Fortunatum, Rabanum Maurum, Ivonem Carnotensem, aliosque plures à Sambovio in Tract. de Confirmat. collectos, & apud omnes recentiores disputationi, in qua versamur, inservitos. IV. Eadem est doctrina Conciliorum. Illiberitanum quippe, de quo supra, can. 38. docet baptizatos ab Episcopo *perfici per manus impositionem.* Arelatense I. canone 8. præcipit, ut venientibus ex hæresi, & baptizatis in nomine Trinitatis *manus imponatur, ut accipiant Spiritum sanctum;* quem canonem accipiendum de Confirmatione scribit Sirmondus, productis quoque verbis magni Leonis Epist ad Nicetam cap. 7. *Qui baptismum ab hæreticis receperunt, sola sancti Spiritus invocatione per impositionem manuum confirmandi sunt.* Vid. tom. I. Conc. pag. 1567. Sed quæ ad hæreticos spectant, peculiarem postulant tractationem. Colonienſe autem Concilium an. 1536. p. VIII cap. 8. hæc habet: *Itidem dum Sacramentum Confirmationis confertur, docebunt vicarii nostri in Pontificalibus, quid agatur, nempe quod illis ambiatur gratia Spiritus sancti, qua confirmatur*

tyro

tyro adversus Satanæ tentationes, roboraturque, ut quod corde creditur ad justitiam, ore quoque palam confiteatur ad salutem. Omnes fideles (inquit Urbanus Pontifex Romanus) per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur: quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam roboratur. Tom. XIV. Concil. pa. 532. Concilium Moguntinum, celebratum an. 1549. non ut Witassius, & Auctor librorum de Re Sacram. scribunt, an. 1547. eodem Volum. XIV. pag. 676. postquam plura de Sacramento Confirmationis, ejusque gratia decrevit, illam *transfundi* disertè asseruit *per manuum impositionem.* Concilium Rhemense an. 1583. Volum. Conc. XV. pag. 891. ita de Confirmatione loquitur: *Quemadmodum humanæ militiæ tyrones, etsi jam adscripti sint in numerum militum, nondum tamen illis summa belli committitur, nisi fuerint exercitatiores; sic quamvis unusquisque per baptismum catalogo fidelium sit adscriptus, ad diaboli tamen, carnis, mundique tentationes perferendas ac superandas, nonnisi per impositionem manuum Episcopi plus roboris, & gratiæ recipit.* Hujus Synodi decreta confirmata fuere die 30. Julii an. 1584. à Gregorio XIII. Pontifice Maximo. V. Quoniam vero Joannes Morinus de Confirmat. inter Opera posthuma, cap. 4. & 5. pag. 13. & seq. ex Græcis PP. eorumque Euchologiis putat invictè demonstrari, Græcos solum *chrisma*, non *manuum impositionem* confirmando neophytos adhibere, propositio comprobanda erit ipsorum Græcorum auctoritate. Firmilianus Cæsareensis Episcopus Epistola 75. inter Cyprianicas pag. 304 supponebat utique Confirmationem fieri *per manus impositionem*, quando ex falsa opinione, quod hæreticus non possit validè confirmare, & ordinare, inferebat errorem alterum, nempe quod nec valeat baptizare, scribens: *Sed & cæteri quique hæretici, si se ab Ecclesia Dei sciderint, nihil habere potestatis, aut gratiæ possunt, quando omnis potestas & gratia in Ecclesia constituta sit, ubi præsident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi possident potestatem.* Loquitur autem de illa manuum impositione, per quam Paulus Act. 19. contulit baptizatis Spiritum sanctum: unde infra pag. 308. sic Firmilianus ratiocinatur: *Si in nomine Christi valuit foris baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit & manus impositio ad accipiendum Spiritum sanctum.* Chrysostomus hom. XVIII. in Act. Apostol. pag. 580. ex quo Philippus per impositionem manus non dederit à se regeneratis Spiritum sanctum, infert hanc fuisse peculiarem facultatem Apostolorum, & ideirco idem nunc præstari ab Ecclesiæ præsulibus, non à cæteris baptizantium: *Igitur* (inquit) *hoc erat in Apostolis singulare: unde præcipuos, & non alios videmus hoc facere:* τοῦτο ἦν τῶν ἀποστόλων ἐξαίρετον. ὅθεν καὶ τοὺς κορυφαίους, ἐπ' ἄλλας τινὰς ἰδεῖν τέτο ποιοῦντας. Aetate ergo Chrysostomi Antistites Ecclesiarum *per manus impositionem* conferebant Spiritum sanctum, quem etiam Doctor egregius distinguit eo loci *à virtute patrandi signa.* Theodoretus pariter in Epistolam ad Hebræos cap. 6. de iis, qui crediderunt, ait: *Accedunt ad divinum baptismum, & per manum sacratam accipiunt gratiam Spiritus,* προσίασι τῷ θείῳ βαπτίσματι, καὶ διὰ τῆς ἱερατικῆς χειρὸς ὑποδέχονται τὴν χάριν τὸ πνεύματος. Ita tom. III. pag. 418. Joannes Morinus pag. 23. Theodoretum explicat de impositione manuum, quæ præcedit baptismum; sed quis non videt, Theodoretum huic manuum impositioni Spiritum sanctum adscribere, ideoque *de materia Sacramentali*, non de ceremonia, rituque accessorio instituere sermonem? Excipit Morinus eadem falsa interpretatione Oecumenium scribentem in Comment Epist. ad Hebr. pag. 354. *Alio modo aggreditur sermonem* (Paulus) *vocans quidem principium baptisma, & manuum impositionem & signaculum, quæ in eo sunt.* ἀλλ' ἑτέρως μεθοδεύει τὸν λόγον, ἀρχὴν μὲν τὸ βάπτισμα καλῶν, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τοῦ χειρῶν ἐπίθεσιν καὶ σφραγῖδα. At quemadmodum *signaculum*, ita *manuum impositionem* notat hoc in loco Oecumenius, quorum utrumque baptismati subsequitur, quamvis juxta veterem consuetudinem simul cum baptismate conferrentur. Atque ideo vel maximè, quod Photius tria ibidem ex Apostolica doctrina distinguit, *credere in Deum, baptizari, & accipere Spiritum sanctum,* τὸ πιστεῦσαι ἐπὶ Θεὸν, τὸ βαπτισθῆναι, τὸ λαβεῖν πνεῦμα ἅγιον, quorum postremum tribuit manuum impositioni. Expressius loquitur ibidem Gennadius, scribens sequenti pag. 355. *Vult autem dicere* (Paulus) *ut à mortiferis operibus resipiscant, resipiscentes autem in Deum credant, credentes verò baptizentur, baptizati autem seipsos subjiciant impositioni*

positioni manuum Sacerdotum ad participationem spiritus : βέλεται δὲ εἰπεῖν, ὅτι μετανοεῖν μὲν ἀπὸ τῶν νεκροποιῶν ἔργων εἰκότως πρῶτον αὐτοὺς προτρεπόμενοι, μετανοοῦντας δὲ πιστεύειν ἐπὶ τὸν Θεὸν, πιστεύοντας δὲ βαπτίζεσθαι, βαπτιζομένους δὲ τῇ τῶν ἱερατικῶν χειρῶν ὑπαγειν ἑαυτοὺς ἐπιθέσει πρὸς μετουσίαν τοῦ πνεύματος. Quibus sanè verbis *de manus impositione* subsequente baptismum, *Sacramentali*, & qua participatur Spiritus sanctus, loquitur insertus Oecumenio Gennadius. Accedit Simeon Thessalonicensis, qui in Commentariolo ad Cretenses, edito à Jacobo Pontano, & in Bibl. PP. tom. XXII. pag. 768. ait Deum gratiam impertiri regeneratis mysterio baptismatis, *per manuum impositionem, & insufflationem unguenti.* Nota Simeonem hunc floruisse sæculo XII. post exortum schisma Græcorum, sub Comnenis Imperatoribus. Postremò Michael Palæologus Græcorum Imperator anno 1274. misit ad Gregorium X. fidei professionem, firmatam à Georgio Acropolita & magno Logotheta, ibique hæc leguntur: *Aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi, conferunt Chrismando renatos.* ἄλλο ἐστὶ μυστήριον βεβαιώσεως, ὃ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν οἱ ἐπισκοποι φέρουσι χρίοντας τοὺς ἀναγεννωμενους. VI. Hæc omnia suppeditant theologicam quoque rationem. Ea enim est *essentialis materia* Confirmationis, saltem inadæquata, quam talem esse agnoverunt duodecim sæculorum decursu Latini, Græcique Patres. Atqui tam Græci, quam Latini Patres per duodecim Ecclesiæ sæcula agnoverunt manuum impositionem, tanquam *materiam* Sacramenti Confirmationis. Est igitur manus impositio sacramenti Confirmationis *essentialis materia.*

3. Etiam unctio est materia ejusdem essentialis.

PROPOSITIO II. Etiam unctio est hujus Sacramenti *essentialis materia*, haud secus, quàm sit manuum impositio.

Probatur primò ex Romanorum Pontificum definitionibus. Etenim Innoc. I. in Epistola ad Decentium ait, solos Episcopos *frontem ex oleo signare, cum tradunt Spiritum Paracletum.* S. Leo epist. 88. ad Episcopos pariter spectare affirmat, *chrismate baptizatorum frontem signare:* quod chrisma serm. IV. de Nativit. appellat *Chrisma salutis & signaculum vitæ æternæ.* Item Gregorius Magnus in Sacramentario ait neophytos confirmari, dum Pontifex *tincto pollice in chrismate facit crucem in fronte.* Innoc. III. cap. *Cum venisset*, ait: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio.* De his vide cap. 2. prop. 2. II. Deinde probatur traditione Occidentalis Ecclesiæ: nam Tertullianus de baptismo cap. 7. *Egressi* (inquit) *de lavacro perungimur benedicta unctione*: & infra, *In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit.* Cyprianus Epistola ad Numidas: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Ambrosius de Myst. cap. 6. de Confirmatione exponit hæc Scripturarum loca, Psalm. 132. 2. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron*, Cant. 1. 2. *Unguentum exinanitum est nomen tuum*, & ibid. 3. *Trahe nos post te, in odorem vestimentorum tuorum currimus*; quia nempe per inunctionem Episcopi *omnes in regnum Dei, & in Sacerdotium ungimur gratia spiritali.* S. P. Augustinus lib. 2. contra Petilianum *sacramentum chrismatis* significatum docet *in unguento*, de quo Lucæ XXIV. 47. & serm. 227. alias 3. de diversis num. 1. ait: *Accessit baptismus, & aqua quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est Chrisma. Oleum etenim ignis nostri, Spiritus sancti est sacramentum.* Idem tract. 111. in Epist. Joannis num. 5. *Unctio spiritalis ipse Spiritus sanctus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili.* Et enarrat 2. in Psalm XXVI. num. 2. *Unctio ista perficiet nos spiritaliter in illa vita, quæ nobis promittitur. Ungimur enim modò in Sacramento, & Sacramento ipso præfiguratur quiddam, quod futuri sumus.* Theodulphus denique Aurelianensis de Ord. baptismi pag. edit. Sirmond. 52. de baptizatis ait: *Quibus etiam septiformis gratiæ Spiritus per chrismatis unctionem conceditur.* III. Consentiunt præterea Græci PP. quorum testimonia produximus 2. capite, Dionysius, Irenæus, Cyrillus Jerosolymitanus, Theodoretus, quibus accedit Auctor ibi laudatus Constit. Apostolicarum. Addo modo Cyrillum Alexandrinum, qui in Joëlem ad ea verba: *Redundabunt torcularia vino & oleo*, inquit tom. III. pag. 224. *Data est nobis ceu in pluvia aqua vivens sacri baptismatis, & tanquam in frumento panis vivus, & tanquam in vino sanguis. Accessit item usus olei, qui per sacrum baptismum in Christo justificatis ad consummationem conferret.* δέδοται γὰρ ἡμῖν ὡς ἐν ὑετῷ τὸ ὕδωρ

ὕδωρ τὸ ζῶν τοῦ ἁγίε βαπτίσματος, ὡς δ' ἐν σίτῳ ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, καὶ ὡς ἐν οἴνῳ τὸ αἷμα. προεπενήνεκται δὲ καὶ ἡ τὲ ἐλαίε χρεία, συντελοῦσα πρὸς τελείωσιν τοῖς δικαιωμένοις ἐν Χριςῷ διὰ τοῦ ἁγίε βαπτίσματος. IV. Adhæc probatur theſis definitionibus Conciliorum. Florentinum quippe in decreto unionis hæc habet: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto.* Et Tridentinum ſeſſ. VII. canone 2. *Si quis dixerit injurios eſſe Spiritui ſancto, qui ſacro confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt, anathema ſit.* An autem ex definitionibus iſtis conſequatur ſententiam hanc noſtram pertinere ad fidem, dicendum eſt paulo infra. Synodus denique Bituricenſis celebrata anno 1584. & anno proximo confirmata à Sixto V. tit. 20. hæc habet: *Nos autem pro igne viſibili, qui die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos apparuit, oleum ſanctum, materiam nempe ignis ex Apoſtolorum traditione ad confirmandum adhibemus, eoque frontes Confirmandorum ſignantur, ne pudeat eos crucem Chriſti palam, & aperte profiteri, & in fronte, ſicut in corde geſtare.* Et canone 2. *Nemo dicat chriſmatis confectionem ab alio, quam à Chriſto, inſtitutam eſſe.* V. Ex quibus ita ratiocinamur: Ea res ſpectat ad *materiam* hujus ſacramenti *eſſentialem*, quæ eſt ſymbolum, & cauſa ſpiritalis gratiæ, qua inungimur participatione Spiritus ſancti, & quam Concilia & Patres appellant ſignaculum ſalutis, juſtitiæ conſummationem, & id, per quod ſeptiformem gratiam conſequimur. Hujusmodi eſt ſacrum chriſma. Ipſum itaque ſacrum chriſma eſt Sacramenti Confirmationis *eſſentialis materia.*

4. Materia adæquata conſtituitur in utroque.

Prop. III. In utroque conſtitui debet *adæquata* hujus ſacramenti *materia*, id eſt, *in manus impoſitione, & in chriſmate.*

Sequitur ex dictis, ac brevi probatur. Tam manuum impoſitioni, quàm chriſmati Patres indiſcriminatim tribuunt gratiæ ſpiritalis effectum. Utrumque itaque ſpectant tanquam rem ſenſibilem, ad cujus exhibitionem, accedente verbo, id eſt *forma*, ſacramentum iſtud perficiatur. Inſuper nonnulli meminere ſimul materiæ utriusque, quemadmodum Tertullianus de Reſurrect. carnis cap. VIII. ſcribens: *Caro ungitur, ut anima conſecretur, caro ſignatur, ut & anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur.* Et Cyprianus ad Jubajanum: *Nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem & manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur.* Quo in loco *ſignaculum* ab impoſitione manuum diſtinctum eſt chriſma, quo in crucis figuram frons illinitur. Mitto Iſidorum lib. 2. de divinis officiis cap. 26. Amalarium Fortunatum lib. 1. cap. 27. & Walafridum Strabonem cap. 26. Tandem etiam ratio (ſi tamen ratio hiſce in rebus valet aliquid,) aſſertum confirmat noſtrum. Cum enim ſacramenta, definiente Auguſtino cap. 26. de Catechiz. rudibus, ſint *ſignacula rerum divinarum viſibilia*, illud magna probabilitate creditur ad Sacramentorum *eſſentiam* pertinere, quod cum immemorabili inſtitutione expreſſius ſignificat gratiæ proprietatem. At habemus tam in chriſmate, quam in manus impoſitione, cum inſtitutione divina vim quamdam ſignificandi eam gratiam, quæ per Confirmationem confertur. Relucet in manus impoſitione Chriſti inſtitutio; nam ut ſupra diximus, temerè aſſeritur, Apoſtolos præter mandatum & inſtitutionem Domini externo hoc ſigno uſos fuiſſe, ut Spiritum ſanctum darent baptizatis: apparetque eadem inſtitutio in uſu chriſmatis, ut definit Synodus Bituricenſis, quoniam chriſmate neophytos confirmant Eccleſiæ omnes *matrices*, & *Apoſtolicæ*; atque juxta Tertulliani præceptionem id, in quo Eccleſiæ ipſæ conſpirant, ab Apoſtolis acceperunt, Apoſtolis verò Chriſtus tradidit. Exrat inſuper in impoſitione manuum ſymbolum gratiæ, qua præmunimur ad pugnam: nam in ſacris literis *manum imponere* idem eſt, ac regere, auxiliumque præſtare; unde ait David Pſ. LXXXVIII. 22. *Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum;* & Iſaias LI. 16. *In umbra manus meæ protexi te.* Oleum quoque gratiæ & fortitudinis typus eſt; & hinc D. Thomas q. LXXII. art. 2. probat chriſma convenienter aſſignari pro hujus Sacramenti *materia.* Athletas olim perunctos in ſignum fortitudinis, ſcribit Iſidorus: ac de monte Gelboe, ubi cecidit Saul, ait 2. Regum, 1. 21. ſanctus David: *Ibi abjectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet unctus oleo.* Eſt ergo militiæ, qua *Chriſtiani* dicimur, ac virtutis, per quam ſumus *bonus Chriſti odor, chriſma* typus ac ſymbolum;

quod

quod etiam tradidit in Psychomachia pag. edit. Hanoviæ 240. Aurelius Prudentius. Hujus autem carminibus, quoniam vulgatissima sunt, & afferuntur in hac controversia à Bellarmino, à Coccio, à Witassio, & à Menardo nota 334. in Sacramentarium Gregorii, addam versus ex veteri carmine de Bebiano, qui nondum in Theologicis scriptis apparuere:

Credidit oranti, & sitientem flumina vitæ
Præcinctus puro perfudit Episcopus amni.
Quo peragente pios solito mox ordine ritus,
Et divale sacrum libans, & chrismate fragrans
Attonitum mira se majestate fatetur.
Sed quis odor quærit, quem sentiat in suc labi
Pectora prædulci medicantem nectare fibras.
Sedula tunc conjux omen de nomine Christi
Unguentum spirare docet.

Perquiret, cui lubeat, hosce versus apud Brissonium de Spectaculis tom. VIII. Antiq. Græcarum pag. 2412.

Ad ea, quæ opponuntur, responsio.

5. Objectiones contra primam propositionem.

Opp. I. adversus I. propositionem: Ecclesia validam ratamque habet confirmationem Græcorum, qui *chrisma* duntaxat absque *manus impositione* ad illam administrandam usurpant. Non est ergo *impositio manus* hujus mysterii *essentialis materia.* Probatur ant. à Joanne Morino ex Euchologio Græcorum edito Venetiis an. 3638. in quo nulla impositionis manus habetur mentio: ex Ms. Vaticano Simeonis Thessalonicensis pag. 129. ex Nicolao Cabasila Orat. 3. de Vita Christi: ex Dionysio cap. 2. Hierarch. Eccl. Cyrillo Jerosolymitano catech. 3. & Damasceno libro IV. de fide Orthodoxa cap. 10. aliisque præcitatis prop. 2. num. 3. qui hoc mysterium appellant μύρον, *unguentum*, σφραγῖδα, *signaculum*, τέλειον φυλακτήριον, *perfectum munimentum*, sive, *custodiam*, σώματος καὶ ψυχῆς σωτήριον, *corporis animique vim servatricem*, nunquam verò χειροθεσίαν, *manus impositionem.* II. Neque modo apud Latinos per manus impositionem neophyti confirmantur, sed supplet *chrisma* illius vices, ut inquiunt Eugenius IV. in decreto pro Armeniis, *Loco illius manus impositionis* (de qua Act. VIII.) *datur in Ecclesia confirmatio.* Et Innocentius III. cap. *Cum venisset, Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio modo dicitur Confirmatio.* Habentur similia in Synodo Moguntina celebrata anno 1549. cap. 18. *Hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorundem traditione adhibita chrismatis unctione cœpit conferri.* Non est autem *essentialis materia*, quæ in aliam, salva sacramentorum substantia, potest commutari. III. S. Thomas, aliique è Schola Theologi pro *materia* Confirmationis assignant *chrisma*, nulla commemoratione facta impositionis manuum. Hanc ergo *essentialem materiam* nequaquam existimant.

6. Respondetur.

Resp. complures Græcorum Patres, & quosdam etiam post exortum schisma, meminisse *impositionis manuum Confirmatoriæ.* Produxi illos paulo supra prop. 1. num. 5. Quemadmodum ergo hi non excludunt unctionem; ita qui unctionem commemorant, non excludunt manuum impositionem, ac infirma proinde sunt argumenta petita ex aliquorum silentio. Receptis deinde Græcorum Euchologiis (quæ tamen edita post tot dissidia, Græcorumque scissuras non sunt ad faciendam fidem aptissima) dicimus *unctionem* ipsam absque *manus impositione* non fieri, ita, ut qui unius meminit, alterum simul commonstret. Nam Auctor Constit. Apost., quem laudat Morinus ad sententiam firmandam suam, lib. VII. cap. 44. pag. 381. recitata Oratione Episcopi in consignandis neophytis, inquit: *Nam hæc est potestas impositionis manuum unicuique facta*: ἑκάστῳ γὰρ ἡ δύναμις τῆς χειροθεσίας ἐστὶν αὕτη. Scripserat & supra lib. III. cap. 15. pag. 288. *In manus impositione caput ipsius unget Episcopus*, ἐν τῇ χειροθεσίᾳ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς χρίσει ὁ ἐπίσκοπος. Vidit hunc locum etiam Morinus pag. 22. & accipiendum putavit de baptizandis, quibus ab Episcopo manus imponebatur. Sed fallitur Morinus: ibi enim describitur baptismus mulierum, quorum frontem ante baptismum inungebat Diaconus, non Episcopus; & fit mentio non unctionis cujuslibet, sed illius, *qua baptizati fiunt à Christo Christiani, hoc est unctionis cognomines, regale sacerdotium, gens sancta, Ecclesia Dei, columna & firmamentum præsentis luminis.* Simeon quoque Thessalonicensis in lib. de Templo inquit de Episcopo neophytos confirmante, *Per manuum impositionem & inspirationem unguenti gratiam inserit*: τῇ ἐπιθέσει τῶν χειρῶν, καὶ ἐμπνεύσει τὴν τοῦ

τοῦ μύρου χάριν ἐντιθήσιν: quem in locum Jacobus Goarius in notis ad Euchologium Græcorum pag. 367. inquit, *Simeonem Theſſalonicenſem ſcripturæ loquendi modum fuiſſe imitatum, nec ſe à vocibus à Patribus Græcis uſurpatis reddidiſſe alienum, imo potius Theologorum noſtrorum mentem & verba, ubi manuum impoſitionem cum unctione confundunt, fuiſſe ſecutum.* Hoc idem eruitur ex Eugenii, & Innocentii Pontificum verbis paulo ſupra productis. In ipſa ergo unctione manus impoſitio comprehenditur: atque hiſce teſtimoniis revincitur vir præclariſſimus Jac. Sirmondus, contendens tactum pollicis in fronte inungenda non poſſe dici manus impoſitionem. His diluitur objectio ſecunda: etenim ſi modò Epiſcopi neophytum conſignantes eum manu tangunt & ungunt, eſt una cum frontis chriſmatione impoſitio manus: nec video cur in Eugenii IV. & Innocentii III. verbis explicandis tantum inſumant operis, ac ſeſe torqueant Scholaſtici. Horum quippe neuter affirmat chriſmationem inductam pro impoſitione manuum, hac ſublata. Eugenius tantùm affirmat *loco impoſitionis manus dari confirmationem.* Confirmationem, inquit, non chriſmationem. Sicut ergo ex his verbis nequit inferri, impoſitionem manuum non fuiſſe olim veram confirmationem: ita non infertur, in chriſmatione nequaquam nunc eſſe manuum impoſitionem. Illorum ergo verborum ſenſus eſt, appellari modò *confirmationem*, quod Apoſtolicis temporibus dicebatur *manus impoſitio.* Atque hunc ſenſum præferunt verba Innocentii, maximè quod eo loci probat pertinere ad ſolum Epiſcopum chriſmationem frontis, *quia de ſolis Apoſtolis legitur (quorum Vicarii ſunt Epiſcopi) quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant.* Eſt itaque in chriſmatione idem ritus Apoſtolicus, manuum videlicet impoſitio. Idem eſt ſenſus Concilii Moguntini, quod præcedenti cap. 17. ait etiamnum *per manus Epiſcoporum tradi fidelibus Spiritum ſanctum*, & hanc *normam* accepiſſe Eccleſiam ab ipſis Apoſtolis, qui in alios transfundebant dona Spiritus *per manus impoſitionem.* Ergo ex mente Moguntinæ Synodi confirmatio nunc quoque per manus impoſitionem confertur. Quod verò eadem Synodus tradit ſeq. capite, initio non fuiſſe adhibitam unctionem chriſmatis, paulo infra expedietur. Ex quo præterea Apoſtoli, juxta probabilem ſententiam, aliquando non adhibuerint chriſma, eruitur reſponſio alia perſpicua & plana, nec oppoſita præcedenti, Innocentium ſcilicet, Eugenium, & Moguntinos Patres aſſerere chriſmationem ſtare loco impoſitionis manuum, non quod in ipſa chriſmatione non ſit manus impoſitio, ſed quod manus impoſitio fuerit aliquando abſque chriſmate, atque unctio pro ſimplici manus impoſitione fuerit ſubſtituta. Poteſt & reſponderi, nunc etiam adhiberi impoſitionem manuum, quoniam Epiſcopus antequam conſignet baptizatos, recitat quamdam orationem, *levata manu ſuper capita omnium:* ut habetur in Sacrament. Gregorii tom. 3. pag. 73. Quam orationem, in qua nonnulli conſtituunt Confirmationis *formam*, recitandam eſſe *manibus extenſis, & elevatis verſus confirmandos*, præcipit etiam Antiquus Ordo Romanus, & Pontificale Romanum tit. 1. §. 13. unde nonnulli redarguunt Andream Peſcaram Caſtaldum, quod ritum hunc *extenſionis manuum* prætermiſerit in Ceremoniali Epiſcoporum lib. 2. ſect. 15. Ego tamen probo quidem eundem ritum, quoniam manuum extenſio eſt quædam invocatio Spiritus ſancti; ſed non credo extenſionem ipſam eſſe *materiam* Confirmationis *eſſentialem*, quemadmodum illa oratio, ut oſtendam cap. 6. non eſt *forma*, quæ *materiæ* applicatur: ideoque appello *materiam* hujus ſacramenti impoſitionem illam manuum, quæ comitatur chriſmatis inunctionem. Ad tertium conſtat ex dictis, Doctores Scholaſticos, dum chriſmationem commemorant, innuere ſimul impoſitionem manus, & unum exprimentes alterum ſupponere; maximè quod cæterorum princeps Aquinas lect. 1. in cap. VI. ad Hebræos tom. XVI. pag. 212. agnoſcit *impoſitionem manus ſacramentalem*, per quam *in Confirmatione datur Spiritus ſanctus ad robur, ut ſcilicet audacter homo confiteatur nomen Chriſti coram hominibus.*

7. Objectiones contra ſecundam propoſitionem.

Opp. 2. contra alteram propoſitionem: Unctio chriſmatis pertinet ad hujus mundi elementa, de quibus Apoſtolus ad Coloſſ. 2. 20. *Mortui eſtis* (inquit) *cum Chriſto ab elementis hujus mundi.* Non ergo in ſacris myſteriis eſt uſurpanda. II. Tertullianus de Baptiſmo cap. 7. ait nos perungi *benedicta unctione ex priſtina diſciplina.* Dionyſius de Eccl. Hier. cap. 2. morem inungendi derivaſſe ſcribit ex Athleticis unctionibus; & Baſilius de Spiritu ſancto ait, *in nullo ſcripto nos habere chriſma, ejusque conſecrationem.* Non eſt ergo *eſſentialis materia*, quod non habet divinam

divinam institutionem, sed humanam, atque ad summum Ecclesiasticam, atque Apostolicam. III. S. Lucas in Actis describens Confirmationem datam in Samaria ab Apostolis, nullam facit mentionem Chrismatis, etiamsi impositionem manus, & orationem silentio non prætermiserit, ac totum descripserit hujus mysterii ritum. IV. Prælaudatæ Synodi, Moguntina, & Bituricensis, nec non Eugenius IV. & Innocentius III. & S. Thomas quæst 72. art. 2. ad 1. docent hoc sacramentum ab initio fuisse exhibitum *sola manus impositione*. Non est ergo chrisma *essentialis materia*, si aliquando sine chrismate data est Confirmatio: siquidem *essentialis materia*, si fuit à Christo præscripta, non potuit ab Apostolis aut prætermitti, aut commutari in aliam, neque est in Ecclesiæ potestate illam apponere, vel omittere. Atque hoc argumento fulcitur etiam opinio Estii, qui ait Apostolos aliquando sola impositione manus, aliquando etiam chrismate confirmasse. V. Canon. 2. Concilii primi Arausicani celebrati anno 441. definit *chrismationem* esse puram ceremoniam, non *materiam essentialem*. Inquit enim: *Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate usquam debet progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in baptismate, quacunque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est: non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.* VI. Nihil aliud ex oppositis probationibus deducitur, nisi chrisma esse *materiam integrantem*, non verò necessariam; primum, quia Eugenius IV. etiam pro *materia* calicis assignavit *vinum de vite, & aquam*; & tamen aqua non est *essentialis materia*: ac etiam sacramenti Ordinis materiam dixit *illud, per cujus traditionem confertur Ordo*; & nihilominus *essentialis* Ordinis *materia* non est instrumentorum porrectio. Ita ergo dum ait *materiam* Confirmationis esse chrisma, *de materia integrante* locutus est, docens Armenios, ut omnino cum Romana Ecclesia etiam in accessoriis ritibus convenirent. Deinde *chrismatio* non semper, neque ratione eadem obtinuit; primis enim sæculis unctio impositioni manuum præmittebatur, ut inquit de Bapt. c. 7. Tertullianus, postea fiebat à presbytero baptizante in ipso actu baptismatis, nunc post baptismum peragitur ab Episcopo: & cum olim fuerit una, nunc duplex unctio est, in vertice nempe, & in fronte. Demonstrat ergo tanta rituum variatio, unctionem chrismatis non ad essentiam sacramenti spectare, sed ad ceremoniam, & ad variabilem disciplinam.

Resp. ad 1. dici ab Apostolo Judaicos ritus *elementa mundi*, quoniam, etsi erant rudimenta religionis, carnalia erant tamen, prænuntiativa futurorum, nec *per se* gratiarum spiritualium efficientia; à quibus propterea completis, abrogatisque monet Apostolus Colossenses ut abstineant. Cum itaque non sint hujus generis res sensibiles, quibus utimur in Sacramentis, sed ex Christi institutione salutares sint, antitypi veterum, fructuumque peractæ redemptionis afferant uberratem; frustra Calvinus, & Kemnitius Pauli testimonio abutentes studeant oleum, chrisma, aliaque hujuscemodi eliminare; nec advertunt, semel probata argumentationum suarum ratione, etiam aquam baptismatis, panem, vinumque Eucharisticum, & quidquid elementare est, ac sensibus subjectum, explosum iri. Respondet Calvinus lib. IV. Instit. §. 4. n. 7. *Quatenus substantiam suam retinent panis, & aqua; quæ aspectui nostro in Sacramentis offeruntur, valet semper illud Pauli; Esca ventri, & venter escis: Deus utrumque destruet. Præterèunt enim, & evanescunt cum figura hujus mundi. Quatenus autem verbo Dei sanctificantur, ut sacramenta sint, non in carne nos retinent, sed vere & spiritualiter docent.* Cur idem non dicit de chrismate per Dei verbum sanctificato? In altero argumento nihil est aliud, quam verbositas, lusio, rixandique libido. Non enim ait Tertullianus unctionem pertinere *ad disciplinam*, sed nos perungi *ex pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant*; significans chrisma nostrum, unde Salvator *Christus*, nos *Christiani* appellamur, præsignatum in oleo, *quo Aaron à Moyse unctus est*: in nobis tamen *unctionem*, quemadmodum baptismi lavacrum, *proficere spiritaliter*: quæ responsio si cui videatur paululum diversa à communi, adeat lector librum ipsum Tertulliani. At Basilius eo in capite hostibus Apostolicarum Traditionum nimis molesto, docet *chrisma*, quamvis *è verbo scripto* non probetur, firmitatem habere suam *ex verbo tradito*: neque ex Traditione repetit Basilius ritus tantum, & ceremonias, ut consecrare aquam baptismatis, renuntiare satanæ, aliaque hujusce generis; verum

8. Respondetur.

verum etiam complura spectantia ad essentiam divinorum Sacramentorum, omniaque *dogmata & instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, & quæ non ex doctrina scripto prodita accepimus, sed ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita nobis fuerunt.* Dionysius autem plura, quam vellent hæretici, de chrismate magnificè, & ornate scribit Ecclesiasticæ Hierarchiæ IV. in capite. Appellat §. 2. mysterium patens solum *arcanis spiritalis rei spectatoribus*: ait §. 3. commendari *à divinis præceptoribus nostris, tanquam ejusdem ordinis, & operationis cum sacrosancto Synaxeos sacramento*: inquit §. III. unctionem illam *illapsum divini Spiritus elargiri*: & ipsomet cap. 2. §. 6. ubi meminit *pugilum*, docet ipsam unctionem *debellare mortis & corruptionis imperium*, & adhiberi *pro libertate atque victoria.* Non ergo institutam docet ex pugilum moribus; sed pugilum utitur comparatione, ut significet chrismatis usum *ad spiritalia certamina:* imo in eo paragrapho ait se μυστικῶς εἰπεῖν, *mysticè loqui*, lectorem commonefaciens, ut Sacramentorum effectus in tropica locutione perpendat. Atque id etiam advertit S. Maximus in Scholiis pag. 270. & Pachymeres in Paraphrasi pag. 279. Illud præterea memoria repetendum est, quod sæpe monui, *dæmonem æmulatorem divinorum Sacramentorum*, ut de Præscript. cap. 40. ajebat Tertullianus, *signare in frontibus milites suos*, aliaque religionis nostræ imitari mysteria; ideoque non ex profanis ritibus Sacramenta Ecclesiæ, sed ex Sacramentis Ecclesiæ profanos ritus originem, veritate labefactata, duxisse. Ad argumentum tertium, quod videtur in hac quæstione præcipuum, non una est Theologorum responsio. Negant plurimi Apostolos *chrismate* usos nequaquam fuisse: cum enim hujus chrismatis mentionem fecerint Patres omnium sæculorum, nec institutio prima in aliquo Concilio, aut Ecclesiastica definitione inveniatur, necessum est repetere illud à Christo, qui solus determinavit *materiam, formamque* sacramentorum. Nec obstat silentium Lucæ; nostrorum quippe dogmatum quædam è sacris literis, quædam ex traditione accepimus, ut nuper dictum est cum Basilio. Atque ut ex ipso libro Actuum Apostol. proferatur exemplum aliquod; numquid Apostoli non baptizarunt *in nomine Trinitatis*, quia id Lucas minime expressit? Numquid Philippus Eunuchum de sola fide in Christum interrogavit, quoniam idem Lucas interrogationem hanc solam mandavit literis? Numquid de sola fide, non de præceptis vitæ in melius mutandæ, Apostoli egerunt cum baptizatis, quòd in Actibus hæc præcepta non reperiuntur insinuata? *Si ergo Scriptura tacuit, & intelligenda dimisit cætera* (inquiunt cum Augustino lib. de Fide & Operibus cap. IX. num 14.) *intelligi* tamen *voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda.* Addunt quidam chrismatis mentionem fieri in II. ad Corinthios cap. I. 21. & in I. Epist. Joannis cap. II. 27. ubi significari Sacramentum Confirmationis docet etiam Augustinus supra prop. 2. num. 2. laudatus. Addunt Lucam nomine *impositionis manuum* intellexisse etiam *unctionem;* quemadmodum Patres, licet *unctionem* expressè tradant, sæpe tamen Confirmationem explicant per solam *manuum impositionem.* Addunt denique nihil ex argumento negante, cujus generis præsens est, posse concludi. Vide Basilium Poncium P. 2. cap. 6. pag 76. Respondent alii cum D. Thoma cit. q. 72. art. 2. ad 1. Apostolos *sine chrismate* confirmasse baptizatos *per solam manuum impositionem*, quando Spiritus sanctus visibiliter descendebat in specie ignis; *Non enim erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculosè exhibebantur divinitus:* cæterum usos *communiter chrismate in exhibitione Sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur.* Atque hæc est sententia Synodi Moguntinæ, & Bituricensis, nec non Theologorum complurium. Ex qua sententia nequaquam sequitur, mutatam fuisse *materiam Sacramentalem*; primùm, quia in multorum opinione Apostoli sola impositione manuum dantes Spiritum sanctum non conferebant Sacramentum Confirmationis, sed absque sacramento rem, sive effectum ipsius, modo quodam excellentiori; & ideo, inquiunt, Innoc. III. ait, *manus impositionem designari per frontis chrismationem*, & Eugenius IV. *dari confirmationem loco illius manus impositionis.* Deinde, quia potuit Christus ita præscribere *materiam*, id est, impositionem manuum, & chrisma, ut ista uterentur quando sensibilia signa cessassent; propterea quod descendente Spiritu sancto in forma ignis, aderat symbolum ejusdem effectus, quem significat oleum, & chrisma: atque hæc mihi videtur sententia S. Thomæ ibidem scribentis: *Quod enim sensibiliter Spiritus*

tus sanctus descendit in specie ignis, ad eandem significationem refertur, ad quam refertur oleum; nec non Synodi Bituricensis, cujus hæc sunt verba: *Nos autem pro igne visibili oleum sanctum, materiam nempe ignis, ex Apostolorum traditione ad confirmandum adhibemus:* quæ tamen synodus postea definit, *chrismatis confectionem non ab alio, quam à Christo institutam esse.* Utraque responsio optima est, nec temerè unam præferrem alteri. In ultima tamen non probo, quod ajunt Apostolos per impositionem manuum *rem sacramenti*, non *sacramentum* exhibuisse. Principio enim, quid ad *materiam* sacramenti requiritur, præter rem sensibilem, qualis est impositio manus? Deinde, si Apostoli manuum impositione *sacramentum* non conferebant; quo jure ex Actibus Apostolicis sacramentum ipsum adversus hæreticos vindicamus? Quomodo etiam inde concludimus, illius ministerium spectare ad Episcopos successores Apostolorum? Scio respondere nonnullos, hæc omnia inferri ex Actibus Apostolicis, *ob identitatem effectus;* quia scilicet robur Spiritus sancti, quod Apostoli conferebant *impositione manus*, Episcopi conferunt *chrismate.* Sed hoc negant hæretici: hoc demonstrandum est, eundem haberi effectum, etiamsi idem non sit Sacramentum. Sed de tertio argumento tam multa diximus, ut etiam ad quarti solutionem sufficiant. Quintum est illud, de quo acerrima contentione pugnarunt duo præstantissimi viri, Jacobus Sirmondus, & Petrus Aurelius; ac decertatum inter illos tam de verbis, quam de sensu canonis Arausicani. Aurelius in postrema periodi parte redundare contendebat particulam *non*, adeo, ut sit legendum, *ut necessaria habeatur chrismatio:* Sirmondus pro illa retinenda particula digladiabatur. Aurelius de unctione in vertice, Sirmondus de unctione in fronte interpretabatur eundem canonem. Multum temporis & operæ postularet dissensionis hujus examen. De appositione particulæ *non* pendet adhuc causa: illam namque omittunt Jacobus Merlinus, Binius, Surius, Fronto, Gratianus, Antonius Augustinus, Turrecremata: nescio, quomodo Harduinus tom. 1. Concil. pag. 1784. contra fidem omnium exemplarium aliter adnotavit de Gratiano. Extat particula *Non* in Coll. Ct. Regia, Isidoriana, Grabbiana, in quatuor MSS. Parisiensibus, & in MS. Henrici Justelli. Petrus tamen Crabbe in postrema editione anni 1551. negantem particulam supplevit in margine. Isidoriani etiam Codices varii sunt; nam carent illa particula Codices Vaticani, & S. Mariæ supra Minervam, laudari in Præfatione ad Romanam editionem Gratiani an. 1582. eandemque variationem notavit Glossa in cap. *Nullus ministrorum*, de consecr. dist. IV. num. 225. At quantum ad sensum canonis, nulla inest vis argumento, sive apponatur particula *Non*, sive removeatur. Verum enim verò de unctione chrismatis in vertice, non de chrismatione frontis, id est, de ceremonia baptismatis, non de sacramento Confirmationis ibidem fit sermo. Primò quia, ut dictum supra, jam ab anno 416. Innocentius I. statuerat, ne presbyter baptizans signaret frontem chrismate, sed ungeret tantum in vertice; dum ergo canone Arausicano decernitur, ut quando prætermissa est unctio chrismatis in baptismate, commoneatur in Confirmatione *Sacerdos*, id est, Episcopus, nihil aliud statuitur, nisi ut ante Confirmationem suppleatur ceremonia neglecta, aut omissa, scilicet inunctio verticis: ideoque si legas, *ut necessaria habeatur chrismatio*, sensus erit, ut suppleatur ritus omissus: & si legas, *ut non necessaria habeatur repetita chrismatio;* erit sensus, nullum præjudicium afferri si omissa fuerit unctio verticis, cum suppleri possit per unctionem in fronte, sive per Confirmationem Episcopi; atque econtrà addendam chrismationem frontis, etiamsi à presbytero facta esset chrismatio verticalis: quamquam postremus sensus aliquantulum violentus est, & obscurus. Deinde Synodus Arausicana, dum mandat nulli baptizantium progrediendum sine chrismate, aperte commonstrat intelligendum canonem de unctione verticali facienda etiam à presbytero baptizante, non de unctione frontis Episcopo reservata; ideoque dum addit unctionem prætermissam esse repetendam, quamvis *non sit necessaria*; significat ipsam unctionem verticalem supplendam utique, sed non esse necessariam ad sacramentum Confirmationis, quod in unctione frontis, non in unctione verticis situm est. Hinc & Sambovius, & L'Herminier, tametsi cum Sirmondo censent unctionem chrismatis esse Confirmationis ceremoniam, non *materiam essentialem*, fatentur nihilominus opinionem suam nequaquam stabiliri posse Arausicano canone, de quo hactenus. Ad vi. hæc sit responsio: Nequit esse *materia* accidentaria illa, quæ est symbolum & causa gratiæ: ac

talem

talem esse unctionem chrismatis clamat traditio universa. Falsum est, Eugenium IV. assignare pro *materia* Calicis etiam aquam. Ejus verba sunt, tom. XIII. Com. 536. *Cujus materia* (Eucharistiæ) *est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* Admiscendam vino aquam dixit; pertinere *ad essentiam materiæ* non dixit. De Ordine gravior est controversia; nec desunt Theologi innumeri, qui cum Bellarmino lib. I. de Ord. cap. 9. propugnant traditionem Instrumentorum esse *materiam essentialem*, saltem quantum ad aliquam Ordinis potestatem. Diximus quædam de hac re lib. XXX. c. 10. pluraque dicenda erunt lib. XXXVI. Verum dato quod Eugenius doceat Armenios Ordinum accidentariam *materiam*, quoniam illi de impositione manuum minimè dubitabant; non sequitur hujusce generis esse *chrismationem*; quia loquens de Ordine commemorat *instrumenta*, tanquam symbola munerum ab initiatis exercendorum; at de Confirmatione pertractans laudat *chrisma*, tanquam symbolum gratiæ conferentis nobis *nitorem conscientiæ, & odorem bonæ famæ.* Quæ denique opponit circa variam unctionum disciplinam Sirmondus, nequaquam urgent: nam Tertullianus ait, *Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione*; agnoscit ergo chrismationem post baptismum. Num hæc in fronte facta olim fuerit à quolibet presbytero baptizante, spectat ad quæstionem de Confirmationis ministro. Diximus differentes de ceremoniis baptismatis permissam unctionem verticalem presbyteris à Sylvestro, vetitam ab Innocentio chrismationem frontis; unde apparet unctiones istas esse diversas. Addam nonnulla paulo infra; & illud quoque revocabo ad examen, quod attinet ad tempus Confirmationis administrandæ.

Appendix.

9. Sententia aliquorum, an sit fidei dogma, unctionem pertinere ad essentiam confirmationis.

Quæri solet, an sit fidei dogma, unctionem pertinere ad sacramenti hujus *essentiam.* Ac respondent affirmativè Suarez, Valentia, Fillucius, Tannerus, Sylvius, Mastrius, Maurus, Gavardi, alii. Quorum præcipua ratio est, ex decreto Eugenii, & ex canone 2. sess. VII. Trid. deprompta. Negant tamen id tenendum esse de Fide non solum qui *materiam* confirmationis constituunt in sola impositione manus, verum etiam alii permulti; inter quos Ludovicus Habert ait tom. V. pag. 278. id communiter sentire Theologos adversus Suaresium. Falli tamen Habertum, percipiet quisquis adierit Scriptores nuperrimè commemoratos. Qui autem in hanc postremam sententiam descendunt, ad Eugenii decretum respondent, datum fuisse Florentino Concilio jam dissoluto, atque accipiendum, non *de materia essentiali*, sed *integrali*, ut dum locat *materiam* Ordinis presbyteratus *in porrectione calicis cum vino, & patenæ cum pane.* Tridentinum vero definit tantum, posse affirmari absque injuria Spiritus sancti, quod insit virtus aliqua chrismati consecrato, minimè docens, an hæc virtus sit ex divina institutione, an ex benedictione, & suffragiis Ecclesiæ, quemadmodum in Sacramentalibus.

10. Sententia authoris.

Quamquam ego non ausim sententiam dicere, ac multo minus insimulari aliquem hæreseos; arbitror nihilosecius Habertum, L' Herminier, Witasse, aliosque, qui sive circa Confirmationis *materiam* nobiscum sentiant, sive à nobis dissideant, afferunt probantque responsiones istas, plurimum alucinari. Ac primum animadverti supra, in decreto Eugenii aliter de *materia* Confirmationis, aliter de *materia* sacrorum Ordinum pertractari, & unctionem esse symbolum gratiæ, instrumenta verò symbola duntaxat Ecclesiastici ministerii: idque multo magis tenendum est, si una tum Pontificio decreto conferatur universalis traditio, unctioni spiritalem efficientiam attribuens. Deinde non elevatur Eugenii definitio, ex quo emanata dicatur Concilio jam dissoluto; siquidem sententiâ nostrâ non pendet à Concilii approbatione Pontificiæ alicujus definitionis robur, aut firmitudo. Præterea initio ejusdem decreti legitur pag. 530. tom. XIII. Concil. latum fuisse, *sacro approbante Florentino Concilio*, & in fine pag. 540. *Datum Florentiæ in publica sessione Synodali solenniter in Ecclesia majori celebrata, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo nono, decimo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno nono.* Falsum insuper narrat, & imperitis fucum facit Nicolaus L' Herminier, dum tom. I. de Sacram. pag. 403. scribit: *Quando Armeni Florentiam advenerunt, jam dissolutum erat Concilium Florentinum, post Orientalium ex urbe recessum, ut referunt Spondanus ad annum 1439. & Pallavicinus p. I. lib. VI. cap. 11.* qua in re ut diximus assentiuntur illi Habert, Witasius, Sirmondus. Spondanus enim ad eundem annum, num. XIX. tom. I. pag. 867. hæc habet: *Cum promulgatum*

mulgatum Florentiæ ponatur (decretum Eugenii) *in publica sessione Synodali solemniter in Ecclesia majori celebrata præsenti anno Domini 1439. 10. Kalend. Decembris, Pontificatus Eugenii anno* IX. *inde percipias, non una cum Græcorum discessu dissipatam esse, quod multi crediderunt, Synodum Florentinam, sed porrò continuatam cum Patribus Latinis; nec verò hoc solum anno, verum etiam tribus sequentibus, &c.* Pallavicinus quoque eodem libro num. 12. pag. edit. Plantin. 577. refert, Clodiensem Episcopum proposuisse argumentum, ut ostenderet decretum Eugenii pro Jacobinis obsignatum die IV. Febr. ann. 1441. non spectare ad Synodum Florentinam, cum illi finem imposuerit postrema sessio anno 1439. *sed observarunt Legati* (inquit Pallavicinus, Giattino interprete) *& eorum primus, sive sua sponte, sive admonitu Cervini respondit: Falli eos, qui Florentinæ Synodi exitum anno 1439. tribuebant: ibi quidem desinere Latinam Versionem Bartholomæi Abrahami Cretensis, quod solum ad id usque temporis, hoc est usque ad septimam sessionem ibi Græci fuerint commorati, & Acta perscripserint, ex quibus modo laudatus interpres desumpsit eam partem, quæ Conciliorum Volumini fuit inserta. Revera tres insuper annos perstitisse Synodum illam Florentiæ, ac inde Romam commigrasse, uti liquet ex Constitutionibus, quæ visuntur non modò in Actis Synodi positæ, sed etiam ab Augustino Patritio Canonico Senensi in Epitomen Basileensis Concilii à se conscriptam relatæ.* Neque hæc dicuntur tantùm: probantur etiam ex autographis servatis in Romana Arce sancti Angeli: de quibus ibidem Pallavicinus, Cardinalis à Monte tom. XIII. Concil. pag. 1203. necnon Raynaldus Tom. XVIII. Annal. Eccles. ad annum Ch. 1442. ubi pertractat de Synodo Florentina Romam traducta. Atque his deteximus simul mendacia, aut alucinationes clarissimorum Scriptorum, & rationem dedimus, cur sæpenumero decretum Eugenii Synodo adscripserimus Florentinæ, cur demum nequeat illud tanta inurbanitate dimitti. De Tridentino autem Concilio nihil addam, nisi quod videatur mihi eam chrismati tribuere virtutem, quam denegant hæretici, producendi nimirum *per se* gratiam spiritalem. Videtur enim canon ille, *Si quis dixerit injurios esse Spiritui sancto &c.* ferire blasphemiam Calvini scribentis lib. IV. Instit. §. IV. num. 5. *Posterior ætas, re prope obliterata, fictitiam nescio quam Confirmationem pro Dei Sacramento posuit. Confirmationis virtutem esse finxerunt, Spiritum sanctum conferre ad gratiæ augmentum, qui in baptismo collatus sit ad innocentiam:* & num. 7. *Hoc vero non à me, sed à Domino audacter pronuntio: Qui oleum vocant oleum salutis, salutem, quæ in Christo est, abjurant, Christum abnegant, partem in regno Dei non habent.* Ex his inferimus sententiam, quæ statuit chrisma *materiam* Confirmationis *essentialem*, talis esse generis, ut si ad fidem non spectat, nequeat tamen sperni & repudiari absque nota inconsideratæ temeritatis.

CAPUT V.

Expediuntur quæstiones aliquæ circa *materiam* Confirmationis.

SUMMARIUM.

1. Ad chrisma requiritur oleum olivarum.
2. & 3. Mixtum balsamo.
4. Qua necessitate balsamum debeat admisceri.
5. Fundamenta pro necessitate tantùm præcepti.
6. Quæ sententia non repugnat fidei.
7. Auctor tamen adstruit necessitatem sacramenti.
8. Respondet argumentis contrariis.
9. Consecratio chrismatis ordinariè pertinet ad Episcopum.
10. & seqq. An simplici Sacerdoti consecratio chrismatis possit committi.

1. Ad chrisma requiritur oleum olivarum.

ORITUR ex dictis prima quæstio, num ad compositionem *chrismatis* sufficiat quodcunque oleum; puta ex juglandibus, amygdalis, nucibus, seminibus; an requiratur necessario *oleum olivarum.* Hoc requiri affirmant Theologi consensu unanimi, ea ducti ratione, quod oleum olivarum sit illud, quod proprie *olei* nomine significatur, & absque ullo additamento verborum Concilia & Patres ejusdem olei meminerint. Addunt analogiam olei cum dono Spiritus sancti, cum oliva semper frondibus virens Dei gratiam, misericor-

misericordiam, viroremque significet. Observant quoque oleum olivarum in usu esse communi, liquores alios, qui ex hujus similitudine *olea* dicuntur, hoc duntaxat deficiente in usum assumi. Hæc ex D. Thoma q. 72. art. 2. ad 3. Quibus ut nonnulla ad munimentum addam veritatis; observo primum, *oleum* ab *olea*, sicut ἔλαιον ab ἐλαία derivari, atque Latinum à Græco, AI in E. abeunte: ἐλαία autem nihil est aliud, quam *oliva* arbor, aut *olea*. Est ergo oleum liquor olivæ, non alterius arboris, aut seminis. Præterea semper Ecclesia in conficiendo chrismate oleum adhibuit olivarum, ut de Græca constat ex Pontificali notis illustrato ab Isacio Haberto, & de Latina ex vetusto carmine decantari solito Feria v. magnæ hebdomadæ in chrismatis consecratione:

Consecrare tu dignare,
Rex perennis patriæ,
Hoc olivum, signum vivum
Jura contra dæmonum.

Insuper Tertullianus de Baptism. cap. 7. & Auctor serm. de unctione chrismatis inter Opera Cypriani, comparant oleum Chrismatis illi, quo antiquitus ungebantur sacerdotes & reges, affirmantque unum, & idem esse. Oleum verò consecrationis erat in antiqua etiam lege, שֶׁמֶן זַיִת, *oleum de olivetis*, Exodi xxx. 24. Tandem non solum misericordiæ & gratiæ, verum etiam pacis, victoriæ, ac fortitudinis oliva, aut oleum symbolum est, Genes. VIII. 11. Ps. LI. 11. Eccli. XXIV. 19. ad Rom. XI. 17. &c. Noverunt hæc etiam Ethnici; nam de Aenea pacem exposcente cecinit Virgilius Aen. VII.

Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire jubet ramis velatos Palladis omnes.

Ac de Alcide pugnante Statius Papinius in VI. Thebaidos,

Pulvereumque fera crinem detorsit oliva.

Sed de oliva, oleoque hæc tantum.

II.

2. Mixtum balsamo.

Quæstio altera est, num simplex oleum absque balsami mixtione sufficiat ad constituendam Sacramenti hujus *materiam*. Ad hanc verò quæstionem respondendum est negativè: at non proferemus consueta quorundam argumenta ex Epistola Fabiani ad Orientales Episcopos, & commentariis Gregorii Magni in Cant. & ex Scholiis S. Basilii in Ps. 132. Nam Fabiani Epistola, quamvis relata in can. *Literis vestris*, de Consecrat. dist. 3. num. 18. inter spurias rejicitur. Gregorii verba, ut dixi prop. 2. cap. 1. insititia sunt, & ex castigatis editionibus dispuncta. In scholiis Basilio Magno attributis sit tantum sermo de summorum sacerdotum unctionibus. Utemur ergo sequentibus probationibus. Primum antiquus Ordo Romanus, Pontificale, & quotquot de Eccles. Officiis scripsere, Amalarius Fortunatus, Albinus Flaccus, & alii, Innoc. III. cap. *Cum venisset*, De sacra unctione, Eugenius IV. in decreto pro Armeniis (quæ omnia supra fuerunt producta) olei simul, ac balsami meminere. Deinde Patres *materiam* Confirmationis aut *chrisma*, aut *unguentum* appellaverunt. *Chrisma* ex oleo, & fragrantis alicujus materiæ permixtione confici demonstrat ex Hebraicis, Græcisque codicibus Scacchus noster Myroth. 2. cap. 1. ubi plura de textu Exodi XXX. 25. *Faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii.* Quo in loco etiam aromata ad *chrismatis* illius compositionem recensentur; & accuratè LXX. reddiderunt, Καὶ ποήσεις αὐτὸ τὸ ἔλαιον χρίσμα. *Et facies illud*, id est oleum, *chrisma*, non *chrismatis*, ad commonstrandum *chrisma* confici permixtione, sine qua oleum non est chrismatis *materia*. Atque eundem sensum exhibet Hebraicus textus וְעָשִׂיתָ שֶׁמֶן מִשְׁחַת *Faciesque pinguedinem Chrisma.* Non aliud innuunt canones Conciliorum, dum vetant presbyteris *conficere chrisma*, ut Concil. Carthaginense II. canone 3. & Concilium Carthag. III. canone 36. *Unguentum* pariter nihil est aliud, quam diversorum odorum commixtio, nec desunt qui etymologiam arcessant ab *unum*, & *ago:* quod in *unguento* plura *uniantur*. Hinc ad conficiendum chrisma *mixtum oleo balsamum*, legimus in Serm. de Unct. Domini inter Opera Cypriani.

3. Id sentiunt & græci Patres.

Consentiunt Græci Patres. Nam Iræneus de Gnosticis æmulantibus mores catholicorum scribit inungi ab illis baptizatos *balsamo*. Vide cap. 1. prop. 2. Auctor quoque Constit. Apost. & Cyrillus Jerosolymitanus ibidem laudati, ἀπὸ τῷ ἐλαίῳ, *ab oleo*, distinguunt τὸ χρίσμα, *chrisma*, ἢ τὸ μύρον, & *unguentum*. Sane μύρον esse pigmentum, seu mixtionem fragrantem & odoriferam observarunt Gesnerus, Budæus, aliique interpretes Græcorum vocabulorum. Ait propterea Auctor lib. de Eccles. Hierarch. pag. 335. λέγωμεν ὡς ἡ τοῦ μύρου σύνθεσις συναγωγή τις ἐστὶν εὐπνέων ὑλῶν,

Dicimus

Dicimus quod unguenti compositio est collectio quædam bene spirantium materiarum. Nec balsamum tantum in conficiendo chrismate addunt Græci: sed præter oleum ac vinum triginti tres alias species fragrantium rerum: quas ut lectorum curiositati satisfaciam, brevissimè exponam.

Ἄκορε λίτρας β. Veneriæ, aut Acori, de quo Dioscorides lib. 1. cap. 2. Goarius κόρε, *hyperici, seu costi*, de quo Dodonæus lib. 111. cap. 24. libras 2.

Ξυλοβαλσάμε λίτρας γ. Surculorum balsami libras 3.

Ἐχιναν θης λίτρας β. Chariophyllorum lib. 2. Goar. junci aromatici.

Πέπ ριος λίτρας ε. Piperis libras 5.

Σμύρνης λίτρας δ. Myrrhæ libras 4.

Στύρακος λίτρας α. Styracis libram unam.

Πεπ ρεος μακρ λίτρας β. Piperitidis, aut siliquastri libras 2.

Ξυλοκασσίας λίτρας γ. Xylocassiæ, aut cinnamomi, Goarius ligni acaciæ libras 3.

Φύλλε ἰνδικ λίτρας γ Foliorum indicorum, id est, malabathri, libras 3.

Καρποβαλσάμε λίτρας β. Fructus, aut seminis balsami libras 2.

Κυπ ρεως λίτρας ε. Cyperi, seu junci odoriferi libras 5.

Μυτζόκοκκα λίτρας γ. Nucum Cypariss libras 3.

Κελτίκε λίτρας α. Celtici, sive nardi libram unam.

Κασίας μελαίνης λίτρας 5. Cassiæ nigræ libras 6.

Ἄσσαρε λίτρας β. Assari, id est, nardi silvestris libras 2.

Μάκαρος λίτρας α. Macaris, corticis rubri, de quo Plinius lib. 12. cap. 8. libram 1.

Τερεβίνθης λίτρας ἓξ. Terebinthi libras 6.

Πετίτου λίτρας 5. Liquoris pini, vel piceæ libras 6.

Μυραβολάνε λίτρας β. Myrabolani libras 2.

Σαμψύχε λίτρας α. Sampsychi, id est, an araci, libram unam.

Λαδάνε λίτρας ε. Ladani, cisti fruticis libras 5.

Λιβάνε λίτρας ε. Libani, id est, arboris thuris, libras 5.

Στάχε λίτρας α. Spicæ, de qua Dioscorides lib. 111. cap. 20. libram unam.

Ζιγιβ ρεως λίτρας δ. Zinziberis libras 4.

Ζετομπᾶ λίτρας β. Zutompa, aut zedoariæ, radicis aromaticæ, libras 2.

Ζοτάνας ξενονικᾶς, Goar. βοτανῆς ξενονικῆς, τάυτας. Foliorum calami aromatici libras duas.

Ἄκερε λίτρας β Aceri, (ignotæ stirpis, nisi sit ἄκορος) libras 2.

Ἑλενίε λίτρας β. Helenii, sive inulæ libras 2.

Ἀριστολοχίας λίτρας α. Aristolochiæ, aut clematitis libram unam.

Ἴρεως λίτρας α. Jeris, melius Ἴριδος aut Ἴρεως, Iridis, de qua Dioscor. lib. 1. libram.

Βόχε λίτρας α. Bochi, seu bdelii, de quo Plinius lib. 12. cap. 9. libram unam.

Ξυλαλόης λίτρας α. Ligni aloës libram unam.

Βαλσαμελαίε, ὅσον δίδωσιν ἡ ἐυτορία, Oleobalsami quantum dat annonæ copia.

Hæc sunt, quæ in conficiendo chrismate adhibent Græci, ut constat ex illorum Pontificali ab Hacio Habert notis illustrato, paginis Operis hujus extremis, & ex Goario pag. 637. Nemo tamen Latinorum potest hæc, aliaque aromata oleo ac balsamo addere; cum debeat quisque Ecclesiæ suæ servare consuetudinem; nec modò Græci species has omnes permisceant, quarum aliquæ pluribus ignotæ sunt, nec absque labore variorum Lexicorum, Auctorumque de plantis, herbisque pertractantium collatione, à nobis sunt explicatæ.

III.

Tertia quæstio est, an *balsamum* oleo debeat permisceri *necessitate Sacramenti*, num verò necessitate tantùm præcepti. Permiscendum oleo balsamum solius præcepti necessitate, ita, ut absque balsamo verè sacramentum conficiatur, tenent primum prælaudati Doctores, qui Confirmationis *essentialem materiam* in sola manus impositione constituunt. Idem censent aliqui *unctionem* quidem existimantes necessariam, sed asserentes obsignari baptizatos & confirmari simplicis olei inunctione; tametsi ex veteri institutione ac præcepto nefas sit linire absque balsamo frontem confirmandorum. Id tenent Dominicus Soto, Cajetanus, Estius, Valentia, Juenin, Tournely, Auctor librorum de Re Sacrament. quibus accedit Continuator Caroli Witasse pag. 346. Rem valde dubiam, definiendam Episcopis, & sub conditione iterandum Sacramentum, si oleo absque mixtione balsami conferatur, censent Bellarminus, Merbesius, Alexander Natalis, Ludovicus Habert, & alii. Necessariam tamen ad sacramenti valorem mixtionem balsami innuit S. Thomas

4. Qua necessitate balsamum oleo debeat permisceri, variæ sunt DD. sententiæ.

S. Thomas q. 72. art 2. & lib. IV. contra Gentes cap. 60. propugnatque cum Thomistis cæteris Gonet disp. 6. art. 2. Franciscus Sylvius, Joannes Stephanus Duranti lib. 1. de ritib. Eccl. cap. 20. Hosius in Confessione Fidei cap. 38. Auctor Theologiæ Petrocorensis Tract. 3. cap. 2. Mastrius disput. 2. q. 8. concl. 2. Nostratium verò Puteanus, Farvacquez, Gibbon, Poncius, Vanroy, Piette, Gavardi; & ne longiorem conscribam catalogum, auctore Bellarmino lib. 2. cap. 9. ad 3. object. Kemnitii, *veteres omnes Theologi, & Jureconsulti in Cap.* Pastoralis, *Extra, De Sacram. non iterandis.*

5. Fundamenta pro necessitate tantùm præcepti.

Prior sententia innititur his momentis. I. Perrarum est verum balsamum, atque, ut scribit Plinius lib. XII. cap. 25. *uni terrarum Judææ concessum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, altero jugerum* XX. *non amplius, altero paucioram.* Addit ostendisse *urbi arbusculam balsami* Imperatorem Vespasianum. Et lib. XXVI. cap. 32. *Fastidit* (inquit) *balsamum alibi nasci.* Cum autem duo illi horti vastati fuerint, dicendum est (inquit Kemnitius) naturale balsamum periisse. II. Sacramentorum *materia* debet esse communis, & cognitu facilis. Verum autem balsamum & pretiosum est, ut nuper diximus, & nunquam in Italiam defertur: scribente cum Aromatariis compluribus Petro Andrea Matthioli in librum I. Dioscoridis cap. 18. delatum ad nos balsamum *adulterinum* esse, & stacten myrrhæ, aut liquorem styracis. III. Fertur Pius IV. & Paulum III. concessisse Indiarum Episcopis, ut balsamo Indico, quod adulterinum est, confirmarent, ut refert p. 2. cap. 1. pag. 34. Basilius Poncius. IV. Innocentius III. cap. *Pastoralis*, Extra de Sacram. non iterandis ait: *Nos consulere voluisti, si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum: sed caute supplendum quod incaute fuerat prætermissum.* At quando aliquid supplendum est, integra Sacramentorum manet *substantia*, ut constat de puero domi baptizato, in quo supplendæ sunt ceremoniæ. Igitur juxta Innocentii Rescriptum, in eo, qui oleo tantum delinitus fuerat, integra erat *substantia* Confirmationis. V. Tandem permulti Patres agentes de hoc Sacramento olei, aut unctionis meminere, non balsami; quorum Patrum testimonia vide primo, ac secundo capite: fat ergo est ad Sacramenti *substantiam*, si confirmandi simplici olivæ oleo consignentur.

6. Hæc sententia non repugnat fidei.

Hæc sententia propugnari potest absque fidei dispendio: non enim debemus tot viris præstantissimis paulo supra commendatis inurere maculam, notamque hæresis. Quare subscribimus Bellarmino lib. 2. de Conf. cap. 9. scribenti, *Neutra opinio est de fide, vel contra fidem, & fallitur Kemnitius, ubi docet, Concilium Florentinum definivisse contra scholasticos balsamum requiri in chrismate. Nam Concilium non expressit quomodo requiratur, sed dixit materiam esse oleum cum balsamo, ut etiam in Eucharistia dixerat materiam esse vinum cum aqua, & tamen fatentur aquam non esse ita de essentia, ut sine ea sit irritum sacramentum.* Observatum tamen à me supra, nequaquam in Florentino Concilio aquam appellari Eucharistiæ *materiam.* Cæterum quod ait Bellarminus, probant alii qumplurimi, ut Jacobus Andradius lib. VIII. Ortodox. Explic. pag. 683. Jacobus Molanus Tract. IV. cap. 7. Farvacquesius noster q. 2. cap. 3. Ab omni itaque censura nobis temperandum est.

7. Auctor libri adstruit necessarium esse balsamum necessitate sacramenti.

Adhæremus nihilominus postremæ sententiæ. Primum quia Florentinum Concilium ita *balsamum* commemorat, ut in eo agnoscat gratiæ symbolum, & Tridentinum etiam chrismati virtutem tribuit aliquam: de quorum Conciliorum sensu plura in Append. cap. præced. Deinde demonstravi præcedenti numero, simplex oleum absque permixtione balsami neque esse *chrisma*, unde Christiani appellamur, neque *unguentum*, neque τὸ μύρον; quibus nominibus designant Patres sacramenti hujus *materiam*: ideoque si aliquando illi meminerunt duntaxat olei, *oleum* permixtum, non simplex intellexerunt præsertim cum multi, adversariis fatentibus, apertè *oleum* distinguant à *chrismate.* Illud præterea spectat ad sacramenti *substantiam*, cui applicatur *forma* verborum, & sacramenti tribuitur effectus: cujusmodi esse *chrisma* constat ex Latinorum forma, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis.* Insuper ex antiquis, & recentioribus Romanæ Ecclesiæ Liturgiis manifestum est liquorum olivæ *sacro chrismati deservire*, & super chrisma *ex diversis speciebus* compositum deprecari Episcopum, ut oleum & balsamum *simul permixta unum fiant, & quicunque exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur, ut omnibus sordibus carens se participem regni cœlestis effici gratuletur.* Singillatim quoque Balsamum sacramenti *materiam*

decla-

declarat Episcopus Deum his verbis exorans: Hanc *odoriferam sicci corticis lacrymam, quæ felicis virgæ profundendo sudorem sacerdotali nos opimat unguento, acceptabilem tuis præsta misteriis.* Eidem balsamo adscribitur virtus gratiæ effectrix, nec non sigilli, & characteris impressio proximis verbis: *Huic unguento, quod radix produxit stirpea, spiritualem gratiam largiendo plenitudinem sanctificationis infundas. Sit nobis Domine fidei hilaritate conditum: sit sacerdotalis unguenti chrisma perpetuum: sit ad cœlestis vexilli impressionem dignissimum.* Ex quibus non tantum ex Pontificali, verum etiam ex antiquis Sacramentariis editis à Thomasio, atque ex antiquo Ordine Romano comprobatis, apertissimum est, juxta Ecclesiæ Catholicæ sensum, oleum esse chrismatis partialem *materiam*, permiscendum balsamo, & istud ad sacramenti pertinere *substantiam*; aut saltem sententiam; cui subscribimus, adeo calculis Theologorum & rationum munimentis firmatam esse, ut si quis foret oleo simplici delinitus, esset iterum conditione apposita chrismate consignandus,

8. Solvuntur argumenta prioris sententiæ.

Neque verò urgent admodum argumenta contraria. Ad primum enim, quod diximus fabricatum in officina Kemnitii, reponimus non in duobus tantum hortis nasci balsamum, ut scribit Plinius, sed illius copiam abundare apud Hierichuntem, teste Josepho lib. IV. Antiquit cap. 1. num. 1. & lib. 1. de Bello Judaico cap. 7. num. 6. Palestinæ regiones alias plenas frumento, balsamo, melle, & resina, ex Hieronymo in cap. 27. Ezech. tom. 3. pag. 886. nasci balsamum in maritimis Sabæorum, juxta Strabonem lib. XVI. pag. edit. Basil. 512. germinare balsami arbores in Arabia myrtorum magnitudine, foliisque amaraci, ex Pausania in Bœoticis; magnam denique copiam balsami ad nos ex Perside, & India deferri. Ad alterum respondet S. Thomas cit. art. 2. ad 3. *Sufficit, quod materia hujus sacramenti, quod non est tantæ necessitatis*, sicut baptismus, *possit de facili ad omnia loca terrarum deferri.* Quibus addo Ecclesiæ, aut oblatione fidelium, aut Principum munificentia nunquam ad balsamum comparandum defuisse facultatem, cum in Lateranensi Basilica ex liberalitate Constantini quotannis in phiala aurea arderent in diebus Paschæ balsami libræ 200. ad compositionem autem chrismatis sufficiat exigua ejusdem balsami pars. Ad tertium dicimus, balsamum Indicum, licet colore ftactæ myrrhæ consimilis verum esse ac legitimum à Syriaco & Palæstino diversum duntaxat *accidentaliter*, idque peritissimorum medicorum attestatione, ut asserunt Basilius Poncius p. 2. cap. 1. Vanroy q. 4. affirmavitque idem Paulus III. ut adnotavit Sylvius in quæst. 72. art. 2. Lupus in confut. v. calumniæ Photianæ, & BENEDICTUS XIV. not. 183. in feriam v. M. Hebd. Ad. IV. quod unicè aliquam præsefert difficultatem, missis responsionibus aliis, dicimus Innocentii III. hunc sensum esse, non iterandam publicam solemnitatem Confirmationis, sed supplendam secreto unctionem chrismatis una cum *forma verborum*: primum, quia ita hunc canonem interpretantur percelebres omnes Canonistæ, Innocentius IV. Panormitanus, Ostiensis, alii: deinde quia non ait Pontifex supplendum *balsamum*, sed supplendam unctionem chrismatis, quæ fuerat prætermissa; insuper, quia *materia*, quæ additur ex præcepto *materiæ essentiali*, perfecto jam sacramento non debet suppleri; non enim post consecrationem admiscenda est vinoaqua, si hanc Sacerdos nequaquam apposuerit: tandem, quia eodem tit. XVI. de Sacram. non iterandis cap. 3. *Presbyter*, similiter statuitur de impositione manuum, quæ in Ordinatione presbyteri, & Diaconi *materia essentialis* est, saltem partialis, *Quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos cautè supplendum, quod per errorem fuerit prætermissum.* Eodem modo acciepiendum canonem 1. *Pastoralis*, animadvertit ibidem Glossa. Quare præcipuum prioris sententiæ momentum non evertit oppositam, sed corroborat. Respondemus ad ultimum, etiam *chrisma* apellari *oleum*, at non simplex atque impermixtum, attento maxime communi Ecclesiæ sensu, in quo oleum est chrismatis pars, non μυρον, non unguentum, non chrisma; ut ex præmissis, Sanctorum quoque confirmatis auctoritate, arbitror manifestum.

IV.

9. Consecratio chrismatis ordinariè pertinet ad Episcopum.

Quarta quæstio est, an chrisma necessario debeat esse ab Episcopo consecratum. In qua diluenda quæstione supponendum est consecrationem chrismatis, jure saltem ordinario ad solos Episcopos pertinere. Id constat ex Epist. Innoc. I. ad Decentium, & S. Leonis ad

Episcopos Germaniæ, & Galliæ relatis cap. 1. prop. 2. Sacramentarium etiam Gregorii, Ordo Romanus, Pontificale, & Euchologia Græcorum eandem consecrationem committunt Episcopis. Haud aliter statuunt canones sanctorum Conciliorum, canon tertius Concilii 2. Carthag. celebrati anno 390. trigesimus sextus Concilii III. an. 397. vicesimus Toletani primi anno 400. septimus Hispalensis 2. anno 619. 2. Vormatiensis anni 868. aliique canones apud Estium dist. 7. §. 9. Nat. Alex. de Conf. cap. 1. art. 2. prop. 3. Witassium q. 2. sect. 6. §. 14. Accedit etiam in unctione verticali adhibendum chrisma ab Episcopo consecratum ex cap. *presbyteris*, de Consecrat. dist. IV. n. 119. teneri Parochos ante solemnitatem Paschatis à proprio Episcopo petere Chrisma, ex cap. *Presbyteri*, eadem dist. num 123. idque annis singulis nulloque exhibito pretio, ut constat ex decretis compluribus collectis à Burchardo Wormacienſi Episcopo lib. IV. cap. 71. & sequentibus. Postremo etiam presbyteri in Orientali Ecclesia confirmantes (quod, num jure faciant, postea inquirendum est) solo chrismate utuntur ab Episcopis consecrato; &, si urgente causa simplex sacerdos per Sedis Apostolicæ dispensationem administravit aliquando sacramentum Confirmationis, id solum modo præstitit *Chrismate per Episcopum confecto*, ut inquit Eugenius IV. in decreto pro instructione Armeniorum. Nulla ergo potest hac in re superesse difficultas, ut rectè animadvertit Adnot. 184. in Feriam v. majoris Hebdomadæ BENEDICTUS XIV.

10. Sententia Doctorum, an simplici sacerdoti consecratio chrismatis possit commiti?

Gravior difficultas videtur, an possit talis consecratio ab Apostolica sede committi simplici presbytero, in qua re tenentes affirmantem partem cum Sirmondo, Scoto, Cajetano, Tournely, Witassio, (qui tamen nutat utrinque,) infirmissima proferunt argumenta. Inquiunt primò consecrationem chrismatis commissam Episcopo à S. Sylvestro: at à Sylvestro repetendam unctionem verticalem, non primam institutionem consecrationis, de qua agimus, diximus pertractantes de ceremoniis Baptismi. Afferunt deinde in canone 20. Toletani primi Concilii legi: *Quia in aliquibus, locis, vel provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, chrisma conficere*: quo in canone illa presbyterorum benedictio irrita & nulla minimè declaratur. Cæterum neque hoc canone dicitur benedictio ipsa legitima, & videtur Concilium eandem reprobare: præsertim cum Montanus, qui anno 531. præfuit alteri Synodo Toletanæ, in Epistola ad Theoribium damnet ausum consimilium presbyterorum præsumptionis, typhi, ac dementiæ, asseratque *jus consecrationis chrismæ ab initio fidei Catholicæ, tantum Pontificibus debitum.* Tertiò inquiunt Hieronymum in Epistola ad Rusticum Narbonensem de septem Ecclesiæ gradibus, hæc disertè proferre, *Presbyteri, si necesse est, possunt chrisma conficere.* Sed præterquam quod illius Epistolæ auctor non ex propria sententia loquitur, subjicit enim, *Tamen meæ hoc scito esse sententiæ, nulli Episcopo super hoc injuriam esse faciendam;* abjudicant Hieronymo eandem Epistolam Bellarminus, Estius, Marianus Victorius, Witassius, Erasmus, Guilelmus Cave, Dupinius, Lupus in canones VIII. Concilii, & Martianæus, qui illam rejecit in Appendicem tom. v. pag. 99. Probant aliqui Epistolam hanc spuriam esse ex inscriptione ad Rusticum Narbonensem Hieronymo posteriorem, quippe qui floruit sedente Leone Magno; sed variat titulus in Exemplaribus, & est ratio hæc nimis fracta. Validior est, quæ petitur ab orationis discrepantia, & à silentio ipsius Hieronymi, de qua eo loci illustris Martianæus. Urgent quarto loco, quod canones prohibeant presbyteris tam conficere chrisma, quam consecrare virgines: quare ut istud, ita & illud agere possunt Antistitum consensione. At ex canone 36. Concilii Carthag. III. *Presbyter inconsulto Episcopo Virgines non consecret, Chrismæ verò nunquam conficiat*, qui sentiunt oppositum, inferunt nec Episcopo consentiente posse chrisma confici à simplici presbytero, urgentes verborum antithesim, ejusdemque canonis expressionem. Tandem ajunt nullam esse sublimiorem consecrationem Eucharistia quam cum valeat conficere simplex presbyter, poterit etiam benedicere chrisma, quoniam, *Qui potest majus, potest & minus.* Verum hoc argumentum non concludere affirmat Estius, cum vim non habeat adagium illud in iis, quæ à Christi pendent institutione: alioqui posset simplex sacerdos conferre sacros Ordines, imo & patrare miracula; quæ sunt aliquid minus consecratione Eucharistiæ.

11. Sententia auctoris.

Quamquam verò hæc argumenta videantur parùm firma; ab illa tamen sententia nec ego recedam. Primum quia canones tam vetant presbyterum conficere chrisma, quam confirmare; & tamen

men hoc facere potest cum Ecclesiæ dispensatione, ut ostendam cap. 7. ideoque iidem canones accipiendi sunt aut de ordinaria Episcoporum facultate, aut dispensatione semota. Deinde quia Romani Pontifices non tantum dispensarunt cum Missionariis ad Indos profectis, ut confirmarent *confecto ab Episcopis chrismate*, verum etiam ut ipsum chrisma conficerent, prout constat ex Bulla Eugenii IV. edita anno 1444. pro religiosissimo viro Fabiano de Bachia sacri Ordinis Minorum, & à Luca Wadingo juxta authographum Vaticanum inserta Tom. v. Annal. ad prædictum annum MCCCC. num. 45. Quia tamen contrarium sentiunt Theologi celeberrimi, inter quos Suarez, Sylvius, Faber, Toletus, Salmeron, Basilius Poncius, Gonet, aliique plurimi; ideo hujus dispensationis perpauca inveniuntur exempla, & quæ nobis explorata sunt, præcipiunt ut presbyteri confirment chrismate ab Episcopis confecto; ipsi verò nunquam conficiant, ut appareat ex dictis, & ex proximo cap. VII.

12. Sententia Theologorum de Confirmatione, chrismate non sacrato facta.

His de chrismatis benedictione præmissis, ad propositam quæstionem respondent Theologorum quamplurimi, & si antiquiores consulantur, fere omnes, nullum esse Sacramentum, si Confirmatio perficiatur *chrismate non consecrato*. Horum argumenta sunt, quod hujus sacramenti *materiam*, non oleum simpliciter, aut *chrisma* dixerunt Patres, sed *chrisma sacrum*, *benedictum*, *sanctum*, *consecratum*, ut Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 3. Cyprianus Epist. 70. Optatus Milevit. lib. III. & VII. de schism. Donatist. S. P. August. lib. v. de Bapt. cap. 19. & 20. & Tract. 118. in Joannem. Accedunt Conciliorum canones, 48. Laodiceni, 4. Bracarensis secundi, 2. sess. XII. Tridentini, decretum sæpenumero laudatum Florentini pro Armeniis, aliaque consimilia. Hanc præterea consecrationem chrismatis institutam à Christo Domino, usurpatam ab Apostolis, & ad nos *antiqua traditione* derivatam probant ex Magno Basilio lib. de Spiritu S. cap 27. ex Tertulliano de Bapt. cap. 7. (quorum testimonia vide cap. 1. & 4.) eximia duo Ecclesiasticæ eruditionis scrinia, Christianus Lupus in canones Concilii VIII. & BENEDICTUS XIV. in Feriam magnæ hebdomadæ quintam. Atque istorum sententia ex sæpe repetito principio fulcrum habet, quod ab Apostolis acceperimus quidquid per universam custoditur Ecclesiam, neque ab aliqua posteriori Synodo fuit institutum.

13. Sententia aliorum de hac consecratione, an sit de necessitate Sacramenti vel præcepti.

Attamen hæc, quamvis chrismatis consecrationem commendent, omninò servandam esse commonstrent, obtundantque ora blasphemantium hæreticorum; haud tamen invictè probant consecrationem hanc requiri *necessitate Sacramenti*: nec reprobare ausim scitum recentiorum, solam hac in re deprehendentium necessitatem præcepti. Ita sentiunt, ut quosdam proferam, Caspar Juenin q. 2. c. 5. Tournely pag. Ven. edit. 248. Card. Gotti tom. XIII. pag. 308. & Auct. Operis de Re Sacram. lib. III. pag. 322. Atque hi duo Thomistarum clarissimi urgent præsertim comparationem baptismi, qui in simplici aqua ratus est, quamquam præscribat ejusdem aquæ consecrationem perantiqua traditio. Respondit tamen hujusmodi argumento S. Thomas q. 72. art. 3. disparem esse rationem de *materia*, qua usus est Christus, qualis est materia baptismi, & Eucharistiæ, ac de *materia*, qua Christus usus non est, cujus generis sunt oleum infirmorum, & chrisma. Et videtur quidem eo loci S. Thomas vestigiis antiquorum insistere. Nihilosecius Basilius eodem modo loquitur de consecratione *aquæ*, & *chrismatis*, dicens: ἐυλογήμεν δὲ τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, *Consecramus autem aquam baptismatis, & oleum unctionis*: nec aliter Tertullianus. Ex horum proinde textibus nihil aliud inferas, nisi hujus consecrationis antiquitatem. Idem dico de S. P. Augustino, cujus auctoritate Basilius Poncius p. 2. cap. 3. Farvacquez q. 3. pag. 63. & Vanroy tom. IV. pag. 166. certam putant antiquorum Scholasticorum communiorem sententiam. At, quod illorum pace dixerim, falluntur. Etenim S. P. in v. de Baptism. 19. & 20. pertractat de Sacramentis collatis ab improbo, idemque pronuntiat de aqua baptismatis, & de chrisma. *Quomodo* (inquit num. 28.) *exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismatis, vel super oleum, vel super Eucharistiam?* Similiter Tract. 118. in Joannem de signo crucis differens ait: *Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Ex his ergo Augustini locis potius inferas, quemadmodum in baptismo, ita in Confirmatione prærequiri *benedictionem materiæ* necessitate præcepti, & ritus condecentia, non autem necessitate sacramenti. Difficiliora videntur verba Cyrilli Jerosolym.

scribentis

scribentis pag. 524. *myron*, unguentum non esse *chrisma*, *nisi postquam consecratum est*, sicut panis non est Corpus Christi, *nisi post sancti Spiritus invocationem*, μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος; & Optati affirmantis lib. VII. num. 4. *liquorem ex nomine Christi condiri, & chrisma postquam conditum est, nominari.* Verum dici potest absque prævia benedictione *formam* verborum, quæ *consecratoria* est, id præstituram, ut unguentum fiat *chrisma*, & cœlesti suavitate conditum, id est, imprimat Christi sigillum, & gratia conferret; siquidem *accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.*

Consequitur ex dictis, consecrationem chrismatis derivatam ex Apostolica traditione; jure pertinere ad Episcopos; non posse illam sibi vindicare absque singulari dispensatione simplicem aliquem presbyterum; hanc quoque dispensationem juxta complurium placitum non posse concedi, ideoque dandam in urgentissima duntaxat necessitate; nefas omnino esse adhibere in confirmando chrisma non consecratum; si denique tale adhiberetur, videri nobis Sacramentum validum, iterandum tamen sub conditione ob communiorem sententiam, quæ nullum, irritumque propugnat. Atque hæc de *materia* Confirmationis. 14. Consecratio hæc derivata est ab Apostolis.

CAPUT VI.

De forma Sacramenti Confirmationis.

SUMMARIUM.

1. Sententiæ DD. de forma Confirmationis.
2. Non consistit in oratione præcedente unctionem.
3. & 4. Objectionibus satisfit.
5. Quænam forma adæquata apud Latinos.
6. Hæc forma varias interdum subiit mutationes.
7. Mutatio non substantialis non officit.
8. & 9. Occurritur duplici objectioni.
10. Etiam forma Græcorum valida est.
11. & 12. Objectionibus satisfit.

1. Sententiæ Doctorum *de forma* confirmationis.

QUÆSTIONEM de hujus Sacramenti *forma*, quam veteres Theologi paucis expediebant, ampliorem reddidit Recentiorum eruditio. Ac primum qui statuunt Confirmationis *materiam* in sola manuum impositione, cohærenter docent verba illa, quæ comitantur unctionem chrismatis, *formam* esse duntaxat accidentariam & integrantem; essentialem autem *formam* esse orationem Episcopi. Contra, qui pro *materia* assignant chrisma, *formam* constituunt in verbis in chrismatis unctione prolatis. At, qui utramque *materiam* propugnant, id est, manus impositionem & chrisma, quod & nos supra definivimus, censent necessario hanc *formam* in duobus sitam esse, nimirum in oratione Episcopi, quæ respondeat impositioni manuum, & in verbis, quæ in actione proferuntur, & quæ apud Latinos sunt, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*; apud Græcos autem, *Signaculum Spiritus sancti*: quam sententiam propugnant Nat. Alex. tract. 3. cap. 1. art 3. Juenin q. 3. art. 3. Tournely q. 1. art. 4. Card Gotti q. 1. dub. 4. Auctor lib. de Re Sacram. q. 4. pag. 123. Insuper de *forma* Latinorum, quam nuper commemoravimus, permulti censent *essentialem* esse, & derivatam ex Apostolica traditione, ut S. Thomas q. 72. art. 4. Bellarminus lib. 2. cap. 10. Estius in dist. VII. §. 10. Sylvius in præcitatam D. Thomæ quæstionem, ac Doctorum Scholasticorum ingens numerus; nonnulli *formam* illam putant olim fuisse deprecatoriam, ut Farvacquez cap. 3. q. 1. Vanroy q. VII. concl. 3. & qui dissertationes suas nomine Caroli Witasse honestavit q. 3. art. 3. §. 1., ex cujus tamen prolixa disputatione vix tandem percipies, quam sententiam debeas amplecti. De præcitata quoque Græcorum *forma* dissidia peperit copia Eruditorum; nec eam probat Lupus in canonem VII. primi Concilii Constantinopolitani, ut mittam Morinum, Nicolaum Cabasilam, & alios *formam* constituentes in Oratione, quæ præcedit unctionem. Pro illa tamen *forma* pugnant Arcudius lib. 2. de Sacram. cap. 7. Bessarion de Sacram. Euch. Isaac Habert. in Observ. ad Ritum Chrism. pag. 709. Goarius in Euchologio pag. 368. Basilius p. 2. cap. 7. Farvacquez, & Vanroy, aliique prælaudati. Ita tanta ergo sententiarum discrepantia exponam primò quid mihi videatur de Oratione Episcopi unctionem præcedente: deinde quid de *forma* Latinorum communiter à scholasticis tradita; postremo quid de illa, qua utuntur Græci: ita,

ita fiet, ut ordinem teneamus, & opinio nostra, salvo aliarum jure, perspicue & methodice proferatur.

2. Forma Confirmationis non est oratio præcedens unctionem.

Prop. I. Oratio præcedens unctionem non est *forma* Sacramenti Confirmationis, distincta à verbis, quæ unctionem ipsam comitantur, partialis, & respondens manuum impositioni; ut tenent recentiorum Theologorum complures.

In hanc opinionem descendo ductus hisce momentis. Adoptarunt doctissimi Recentiores Theologi sententiam constituentem *formam* Confirmationis in præcitata Oratione, tametsi ea sententia vix antiquioribus comperta fuerit, propterea quod visum est eis impositionem manuum, quam & nos diximus hujus sacramenti *materiam* partialem, esse illam manuum elevationem & extensionem versus confirmandos, cum qua Episcopus recitat Orationem, *Omnipotens sempiterne Deus, &c.* Forma enim debet *materiam* concomitari. Atqui illa manuum elevatio & extensio non est impositio manuum, quæ est Confirmationis *materia.* Ergo neque prædicta Oratio est *forma* correspondens manuum impositioni. Probatur minor, primum quia impositio manuum, quæ Confirmationis *materia* partialis est, fit in ipsa unctione, quando Episcopus pollice tangit frontem confirmandorum, superiori manus parte supra illorum caput extensa, prout demonstravi capite IV. Deinde, quia illa manuum extensione Episcopus Confirmandos non tangit, aç tantum commonstrat se orantem invocare super illos *septiformem Spiritum sanctum.* Insuper, quia oratione illa completa, Pontificale Romanum præscribit, ut Episcopus sedeat super faldistorium dispositis per ordinem confirmandis, singillatim de nomine cujuslibet inquirat, & illos confirmet per ordinem genuflexos; ideoque declarat nondum præcedenti oratione confirmatos fuisse. Ad hæc animadverto, Pontificem Sacramenta conficientem ut plurimum in orationibus, quæ præcedunt, deposita mitra stare, tum enim supplex invocat Spiritum sanctum; at cum actu sacramenta confert, sedere in faldistorio, quòd tunc tanquam minister Christi se gerat; idque præstat, sive baptizet, sive confirmet, sive Ordines conferat: quare oratio, de qua instituo sermonem, præparatoria & deprecatoria est, non essentialis pars Sacramenti. II. Comprobat eandem propositionem sequens argumentatio. Aliquando impositio manuum non solum facta est post orationem præcedentem unctionem, sed etiam post unctionem ipsam. Igitur illa oratio non est *forma* respondens manuum impositioni. Probatur antecedens testimonio Tertulliani scribentis de Resurrect. carnis cap. 8. *Caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur.* Quibus verbis recitatis, inquit illustris Menardus not. 332. in Sacrament. Gregorii: *Ex illo textu observandum, aliquando manus impositionem fuisse unctioni postpositam:* quod comprobat verbis Guilelmi Parisiensis, qui lib. de Sacramentis pertractans de Ritu Confirmat. ait: *Præmissa oratione super Confirmandos pingitur signum crucis de chrismate in frontibus eorum: & impositis manibus super capita eorum, dicitur eis, Pax tecum: siquidem ad impositionem manuum Apostolorum solebat dari Spiritus sanctus, & datur modo ad impositionem manuum Episcoporum.* III. Addam argumentum alterum. Etsi Ecclesiastici ritus variam pro temporum, locorumque circumstantiis mutationem subierint, nunquam tamen *forma* Sacramentorum fuit penitus prætermissa, sed aut iisdem, aut æquivalentibus verbis semper, & ubique servata. Sed oratio præcedens unctionem, tam in usu recepta, quam quælibet alia, fuit aliquando in Confirmatione prætermissa. In illa itaque oratione sita non est *forma essentialis* Confirmationis; sed pertinet ipsa oratio ad ritum pro conditione loci, aut temporis variabilem. Constat minor ex libro Sacramentorum Monasterii Moysacensis annorum 800., edito à Martenio cap. 2. art. 4. ord. VII. in quo nulla habetur oratio, nisi quæ recitari solet Confirmatione peracta: *Deus, qui Apostolis tuis, &c.* IV. Si attente vetustos omnes Confirmationis ordines expendamus, in oratione, quæ unctioni præmittitur, nulla alia sunt verba, in quibus possit constitui sacramenti hujus *forma*, nisi verba illa deprecatoria, *Consigna eos signo crucis Christi in vitam propitiatus æternam*, sive, ut habetur in Sacramentario Gelasii, Ecclesiæ Bellovacensis, aliisque apud Martenium citato in loco, *Jube eos consignari signo crucis in vitam æternam;* aut verba alia his consimilia. Atqui hujusmodi verba referenda sunt ad unctionem chrismatis, nec aliud enunciant modo deprecativo, nisi quod exprimitur indicativo proximis verbis, *Signo te signo crucis, &c.* Igitur verba præcedentia aut *forma essentialis* non

sunt, aut si habent rationem *formæ*, spectant ad unctionem chrismatis, & referuntur ad ea, *Signo te, &c.* Minor probatur; nam Episcopus statim ac dixit, *Consigna eum signo crucis Christi*, aut, *sanctæ crucis tuæ propitiatus in vitam æternam*, intincto pollice perungit chrismate frontem confirmandorum, dicens, *Signo te, &c.* juxta Sacramentarium Gelasii, *Signum Christi in vitam æternam*, juxta Pictavienſe, *Signat te Deus figillo fidei suæ in consignatione fidei, &c.* Quis non videat cohærentiam, & relationem verborum, haud secus, ac in conferendis sacramentis reliquis? Ita sane consecrantes Eucharistiam prius orantes dicimus, *ut nobis fiat Corpus, &c.* postea accepto pane, *Hoc est, &c.* & in Absolutione Sacramentali primum, *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, &c.* deinde, *Ego te absolvo, &c.* V. Præfata Oratio aliquando recitata est immediatè post baptismum à presbytero baptizante, priusquam Episcopus ad illum confirmandum accederet; & ideo non extat, ut diximus, in Ordine monasterii Moysacensis: atque in codicibus optimæ notæ apud prælaudatum Martenium art. 3. num. 7. reperitur cum Ordine baptismi, ibique post aliquot folia describitur Ordo Confirmationis. Quomodo ergo constituit formam hujus Sacramenti oratio aliquando à presbytero non confirmante recitata, ut baptizatus tali prece munitus ad Episcopum accederet consignandus?

3. Objectiones ex S. Scriptura, & PP.

Oppones I. Ex cap. VIII. Act. Apost. colligitur Apostolos confirmasse orando, & manus imponendo, *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum, &c.* quo testimonio & nos cap. I. conati sumus hoc Sacramentum adversus hæreticos vindicare. Oratio ergo *forma* est Confirmationis, quemadmodum manus impositio est *materia*. II. Idem docent Patres: Cyprianus Epist. ad Jubajanum inquit: *Qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, ut per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur.* Similia Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 2. Hieronymus adversus Luciferianos, & S. P. Augustinus lib. XV. de Trinit. cap. 26. quæ & nos laudavimus cap. I. hujus libri. III. Omnes libri Rituales, Pontificales, Sacramentarii ab Edmundo Martenio collecti certam fidem faciunt, orationem in Confirmatione semper fuisse usurpatam. IV. Aequum est, ut assignetur *forma* aliqua respondens manuum impositioni: hæc verò quænam erit, nisi sit oratio, de qua disseritur?

4. Respondetur.

Ad primum respondet S. Thomas citato art. 4. quod, quando effectus Confirmationis conferebatur per ministerium Apostolorum visibilibus signis, *tunc non erat necessaria nec materia, nec forma hujus sacramenti:* unde mirum permoveri levi hac argumentatione præclarissimos Thomistarum, Natalem Alexandrum, Cardinalem Gotti, & Scriptorem perpoliti Operis de Re Sacram. paulo supra commemoratos. Deinde respondeo, legi quidem in Apostolicis Actibus Apostolos orasse, *ut* Samaritani baptismo regenerati *acciperent Spiritum sanctum*; at non legitur eo loci orationem illam esse *formam* Confirmationis; imo non orationi ibidem tribuitur Spiritus sanctus, sed impositioni manuum factæ post orationem, ut constat ex versu 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Idem habetur cap. XIX. 6. ibique nulla orationis fit mentio. Nec tamen nego Apostolos confirmantes adhibuisse *formam* verborum; sed affirmo hanc non constare ex Actibus Apostolorum, quemadmodum dixi cap. IV. de unctione chrismatis. Si denique concedam Apostolos usos *forma aliqua deprecatoria*; ergone hæc erit oratio præcedens Confirmationem? Ego quidem vim hujus consecutionis non assequor. Alterum argumentum nullius est momenti; ubi enim quidam Patres tribuunt Spiritum sanctum impositioni manuum & orationi, commonstrant *ritum* Confirmationis, cui oratio præmittitur, non *formam:* quod ex ipsis adversariis evinco. Nam Patres etiam docent Eucharistiam consecrari *oratione*, & corpus Christi confici *per orationem, & crucis signum.* Ita Justinus Apolog. 2. Irenæus lib. IV. cap. 34. Cyrillus Jerosolym. Catech. myst. I. & 5. aliique permulti. Quibus non alia ratione occurrunt Tournelius de Euch. pag. 218. Auctor librorum de Re Sacram. pag. 379. omnesque Theologi, nisi, quod Patres consecrationem Eucharistiæ tribuunt *precibus*, non tanquam *formæ*, sed tanquam *ritibus*; sive quod orationum & precum nomine intelligunt *formam* ipsam; sive denique quod oratione *præparatoriè* quidem, sed non *formaliter* conficitur corpus Christi. Eandem ergo responsionem adhibemus argumento, quod Tournelius objicit de Confirm. pag. 254. & Theologus alter pag. 323. nec aliter reponimus Natali Alex., Juenino, Witasio, aliisque recentioribus opponentibus præcitata

præcitata Patrum testimonia. In confutatione argumenti tertii, quoniam Tournelius provocat ad libros Rituales, & Sacramentarios editos à Martenio; ex eodem eruditissimo viro cap. 2. art 3. tom. 1. de antiq. Eccl. Rit. dico nihil posse ex vetustis Sacramentariis concludi: primum quia in plerisque habetur quidem oratio, sed non habetur impositio manuum: deinde quia in nonnullis, ut in libro Sacramentorum Moysacensi, eadem oratio desideratur: præterea quia in quibusdam Codicibus oratio illa conspicitur sub finem Ordinis baptismi: tandem quia in omnibus libris Ritualibus, & Sacramentariis præscribitur unctio facienda sub certa verborum formula; quæ proinde videtur pertinere ad hujus Sacramenti *substantiam*. Ad ultimum respondeo impositionem manuum, quæ Confirmationis materia est, fieri in unctione chrismatis; & consequenter verba, quæ tunc proferuntur, utrique materiæ correspondere.

5. Forma quænam apud Latinos.

Prop. II. Verba, quæ comitantur chrismatis inunctionem, id est, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, &c.* tametsi accidentariam aliquam variationem subierint, sunt apud Latinos vera, propria, & adæquata *forma* Sacramenti Confirmationis.

Sequitur ex dictis, seclusa enim oratione, nulla alia sunt verba, in quibus rationem *formæ* statuere possimus. Probatur tamen I. decreto Eugenii IV. & Florentini Concilii in Instructione Armenorum: *Forma autem est: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Hæc forma tradita ab Eugenio non est integralis & accessoria, siquidem per hæc verba determinatur materia ad significandum, & producendum effectum sacramentalem: iisdem verbis exprimitur robur, per quod ad spiritalem pugnam idonei reddimur; & in verborum illorum prolatione signo crucis, & chrismate consignamur, tanquam Christianæ militiæ ornati vexillo, fideique athletis adscripti. Quare Reginaldus Polus in libro de Reformat. Angliæ, qui extat etiam in Collect. Conciliorum tom. XIV. ait, in Decreto Eugenii doctrinam hujus sacramenti breviter, & dilucide fuisse explicatam. II. His accedit ratiocinatio Doctoris Angelici demonstrantis in hac verborum formula significari *robur spirituale, quod homini confertur per Sacramentum materiæ visibilis ad salutem*; quibus concinit Catechismus Romanus p. 2. cap. 3. n. 11. Addo illorum verborum prolatione commonstrari actualem collationem hujus Sacramenti, quemadmodum significatur collatio baptismi pronunciatione illius formulæ, *Ego te baptizo, &c.* III. In omnibus Ritualibus, & Sacramentariis libris à Martene summo studio collectis præscribitur unctio peragenda sub certa verborum formula, ut ipse testatur citato art. 3. num. VII. quod, ut observavimus supra, non servatur in Oratione unctioni præmissa; atque id indicio est, nunquam unctionem chrismatis peractam sine verbis, ipsaque verba semper habuisse sacramentalis *formæ* rationem. IV. Sacramentale Ambrosianum pag. 50. præcipit, ut hæc sententia à Parocho explicetur confirmandis, & declaretur quomodo in iis verbis: *Confirmo te chrismate salutis*, designetur robur animi & spiritus, quod fidelibus ad salutem tribuitur, & cur in hujus formulæ pronunciatione fronti imprimatur signum crucis, quia nempe dum aliquis confirmatur, in numerum adscisitur militum Christi: quod & nos paulo supra observavimus, traditque etiam Manuel Caleca contra Græcos, tom. XXVI. Bibl. PP. pag. 372.

6. Hæc forma varias interdum subiit mutationes.

At dixi, hanc Latinorum formulam varias interdum subiisse mutationes, salva tamen substantiali significatione verborum; idque constat lectione vetustissimorum Pontificalium. Quod enim inscribitur Egeberto, exaratum vertente sæculo VIII. hanc exhibet formulam, *Accipe signum sanctæ crucis chrismate salutis in Christo Jesu, in vitam æternam:* & posthac deprecatoria oratione, *Confirmet te Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Gelasianum juxta Codd. Colbertinum, & Noviomensem, formulam habet istam, *Signum Christi in vitam æternam*, addita pariter deprecatione, *Confirmet te Deus, &c.* In MS. Pictavienſi octingentorum annorum hæc describitur: *Signat te Deus sigillo fidei suæ in confirmatione fidei.* In Pontificali Ecclesiæ Caturigensis ejusdem antiquitatis advenitur hæc alia, *Confirmo, & consigno te in signum sanctæ Crucis, in nomine Patris, &c.* Codex Moysacensis hanc habet parum absimilem, *Confirmo te signo crucis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in vitam æternam.* Prætermitto plures alias uni, aut alteri ex productis consimiles: quas debemus eruditioni, studioque Martenii tom. 1. de antiq. Eccl. Rit. pag. 249. & sequentibus.

7. Mutatio non substantialis non officit.

Inferas ex dictis, tempus terere, & per inania disputationum spatia vagari illos è Schola Theologos, qui differant an valida futura sit Confirmatio, si omittatur unum, vel alterum usitatæ formulæ verbum. Tanta enim Sacramentalium librorum variatio, ne repetam quæ præcedenti Volumine pag. 123. universim dixi de istiusmodi mutationibus, ostendit imprimi sacrosanctum signaculum, modò illud significent verba Confirmantis, nec *substantialiter* differant ab una, aut altera ex productis formulis; quamvis debeat unusquisque (quod sæpe monuimus) inviolatam custodire Ecclesiæ consuetudinem.

8. Objectiones contra dicta.

Opp. S. Gregorius in libro Sacramentorum pag. 74. præter orationem, de qua supra, nullam commemorat formulam, sed ait: *Et interrogantibus diaconis nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim.* Similiter Amalarius Fortunatus lib. 1. cap. 27. *Oratione expleta facit crucem cum pollice in chrismate in singulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; prætermissis verbis: *Signo te, &, Confirmo te, &c.* quæ idcirco nullatenus pertinere videntur ad formæ substantiam.

9. Respondetur.

Huic argumento, quod tenentur diluere illi etiam, qui præter orationem Episcopi, formulam in unctione adhibitam arbitrantur necessariam, solet responderi, Magnum Gregorium formam Confirmationis subticuisse *ob disciplinam arcani* de qua diximus tomo VI. aliisque in locis. Et revera de hac eadem forma scripsit Innocentius I. Epistola ad Decentium cap. 3. *Verba verò dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Verum ego communi huic responsioni non acquiesco. Etenim occultasse veteres in Epistolis, vulgandisque Operibus Sacramentorum nostrorum mysteria, formulamque Confirmationis, rectè ex Innocentio, aliisque pluribus demonstratum est, assertum à Schelstrateno, confirmatum à me, probatum Notificatione VI. à beatissimo, sapientissimoque Pontifice BENEDICTO, à nullo catholico viro denegatum. At num *ob disciplinam arcani* prætermittenda hæc erant in libris Sacramentorum, in scrinio Ecclesiarum occlusis, à sacris duntaxat ministris, non à plebe pervolutandis, & ideo hoc nomine *Sacramentorum* inscriptis, quod arcana comprehendant? Id ego non assequor, maxime cum vetustissimi omnes Codices Sacramentalium librorum hujusmodi mysteriis pleni sint, & ipsum Sacramentale Gregorianum pag. 3. contineat verba consecrationis, pag. 73. formam baptismi, pag. 224. consecrationem presbyterorum, aliaque omnia silentio juxta *disciplinam arcani* sepelienda. Illam ergo responsionem patiatur lector tarditatem ingenii mei) communem licet probatissimamque, non adhibebo. Quare ad Gregorium quod attinet, dicam aut illum sacramentalis formulæ non meminisse, quoniam hæc non aliud exprimit *indicativo* modo, quam id, quod continetur *deprecativo* in extremis orationis verbis, *Consigna eos signo crucis, in vitam propitiatus æternam*, quæ verba etiam formulam in memoriam Episcopi poterant revocare; aut forte tunc temporis unctionem peractam fuisse in prolatione eorundem verborum, ita, ut *forma*, quæ modo obtinet, ex *deprecativa* facta sit; nec tamen utraque retineat in præsentia rationem formæ, quia deprecativa nunc est absque applicatione materiæ. Idem posset responderi ad verba Amalarii Fortunati, nisi floruisset sæculo IX. & tempore Gregorii IV. quando *forma*, de qua disputatur, omni procul dubio obtinebat. Respondetur itaque Amalarium ibidem citare Ordinem Romanum; nam scribit, *Dicit Romanus libellus, de quo sæpe commemoravi: Oratione expleta facies crucem, &c.* At in Ordine Romano pag. edit. Parisiensis 83. Romanæ 54. præter ea, quæ Amalarius exscripsit, continetur etiam formula, *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Igitur Amalarius aut erravit, aut contraxit orationem, aut ea exscripsit solummodo, quæ ornare cogitaverat commentario.

10. Forma Græcorum valida est, quod probatur.

Propositio III. Græcorum formula, & ea quidem valida, est, Σφραγις δωρεας πνευματος ἁγιου. *Signaculum doni Spiritus sancti.*

Solet demonstrari hæc propositio ex canone VIII. Concili CP. primi; sed quoniam censent complures agi eo loci de receptione hæreticorum minimè *Confirmatoria*, pertractabo de hoc canone infra cap. IX. positionem verò firmabo his monimentis. Constat ex Euchologio Græcorum edito à Goario pag. 360. hanc eandem, non aliam, esse apud Græcos *formam* Confirmationis; ibi enim legitur: Καὶ χρίει ὁ ἱερεὺς τοὺς βαπτισθέντας τὸ ἅγιον μύρον, ποιῶν σαυρὸν τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, λέγων. Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. *Et ungit Sacerdos baptizatos*

natos sacro unguento supra frontem dicens, Signaculum Spritus sancti. Habetur quidem ibi, formandum signum crucis etiam in oculis, naribus, ore, auribusque; &, juxta quædam Exemplaria, in pectore, manibus, ac pedibus: verum hæc desiderari in vetustissimis Euchologiis tradunt Arcudius lib. 1. de Sacram. pag. 59. & Isaac Habert in pontific. Græcorum pag. 709. Non solvitur argumentum, si reponas fractam esse Euchologii hujus auctoritatem; primum quia eadem leguntur in MS. Cryptoferratæ, quod tribuitur Bessarioni, & in altero Barberino, de quibus vide Farvacquesium cap. 3. q. 1. §. 1. Deinde, quia, si formula ista non valeat, nulla jam supereſt in Oriente Confirmatio; cum nullam aliam agnoscant Græci, etiam orthodoxi, nec à Romana Ecclesia separati, ut observat Goarius Not. 31. in Ord. Bapt. Insuper quia nunquam Latini, nec in Florentino Concilio, hunc inter cæteros Græcorum recensuerunt errores, quod sub formula ista consignent: imo non aliam adhibent Romæ in templo S. Athanasii, id non ignorante Pontifice. II. Arcudius lib. 2. cap. 7. hanc assertionem demonstrat Patrum auctoritate. Hi namque de Confirmatione, ejusque affectu pertractantes docent in ea imprimi Spiritus sancti sigillum. Asterius Episcopus Amaseæ, qui floruit desinente sæculo tertio, apud Photium Cod. 271. scribit, δίδοται σφραγὶς τοῦ ἁγίου πνεύματος, *Datur signaculum Spiritus sancti.* Dionysius cap. 2. de Eccles. Hierarch. Episcopum confirmantem appellat, τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ σφραγιζόμενον, *Deificante unguento obsignantem;* Cyrillus in fine Catecheseos XVIII. de confirmato ait, ἡ σφραγὶς αὐτῷ ἐδόθη ἐκ τῆς κοινωνίας τοῦ ἁγίου πνεύματος, *Signaculum datum est illi ex communicatione Spiritus sancti.* Tradunt consimilia alii Patres. Cum itaque formula, de qua loquimur, significet Confirmationis naturam atque efficientiam, sufficiens ac valida censeri debet. III. Tournelius pag. 256. asserit aptissimam illam formulam probari, à Bellarmino post S. Thomam q. 72. art. 4. At S. Thomas *de forma* Græcorum nec verbum quidem. Ex illius tantum doctrina potest confirmari propositio: siquidem in hac Græca formula significatur *character*, quo ad pugnam insignitur miles Christi adversus spiritales nequitias, & donum Spiritus sancti, quo roboratur in fide. Sufficiens ergo est ea formula, *ut materiam determinet ad speciem sacramenti*, sicuti de forma Latinorum inquit ibidem Doctor Angelicus. De quo argumento legendus Basilius Poncius p. 2. cap. 7. pag. 91. IV. Illa demum Græcorum formula traditur cap. 3. Censuræ ad Germanos conscriptæ à Hieremia Patriarcha Constantinopolitano, pag. edit. Delingæ 58. idemque tertium caput verbis Simeonis Thessalonicensis compactum est: atque in notis ejusdem Censuræ ab eruditis omnibus contra Lutheri & Calvini hæresim commendatæ ac productæ scribit præclarus Theologus Stanislaus Socolovius, *non esse illam dissimilem ab ea formula, qua modò in Ecclesia utimur.* Mitto quæ de eadem formula scribit in libro de Sacrm. Euch. Cardinalis Bessarion: de quo vide Arcudium cit. loco pag. 74.

II. Objectiones contra formam græcorum.

Opp. I. Sensus prædictæ Græcorum formulæ suspensus & ambiguus est, nec reddit finitam perfectamque orationem. Nequit ergo determinare indifferentem materiam ad certum sacramentum constituendum. II. Præterea esse invisibilis gratiæ & Spiritus sancti signaculum singulis sacramentis est commune. Igitur non potest in hoc statui peculiaris formulæ ratio. III. Severus Patriarcha Alexandrinus in Ordine Baptismi aliam à prædicta *formam* Confirmationis assignat, eandemque cum deprecativa Sacramentalis Noviomensis Paulo superius descripta. IV. Clemens VIII. in Instructione de Ritibus Græcorum edita Romæ anno 1595. num 2. ac nuperrime confirmata à BENEDICTO XIV. mandat, ut *Episcopi Latini infantes baptizatos à presbyteris Græcis, & de facto chrismate in fronte consignatos confirment*, apud Græcos enim etiam presbyteri ministri sunt Confirmationis; ac præcipit, ut utantur hac forma, *Consigno te signo crucis, & confirmo, &c.* Decernunt itaque Confirmationem Græcorum forma collatam esse nullam, & irritam.

12. Respondetur.

Respondent ad I. Doctores nostri, Basilius Poncius, Farvacquez, Vanroy, & Piette, pendere valorem Sacramentorum à Christi voluntate, ideoque sufficere quamcunque *formam*, modò sit à Christo instituta; cæterum in his verbis, *Signaculum Spiritus sancti*, perfectam contineri orationem, haud secus, ac in iis, quæ leguntur apud Lucam XXII. 20. *Hic calix novum testamentum in meo sanguine*, in quibus deest verbum. Quod accipias de Græco textu, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου: siquidem in Latino verbum *Est* reperitur. Vide & ad Hebr IX. 20. Addunt formulam, de qua agitur, *practicè*

habere determinatam significationem, veluti si quis porrigens nummum pauperi diceret, *Ecce nummum.* Ad 2. respondemus σφραγῖδα non signum qualecunque esse, sed notam impressam, sigillum, & specialiter militarem baltheum; δωρεὰ quoque non tantum significat gratiam, sed largitionem ipsam donorum; observatque Budæus ex Plutarcho, Herodiano, & Demosthene, usurpari præsertim vocabulum illud ad significandum donum amplum, & regium. Quare licet omnia sacramenta sint gratiæ *signacula*, ac baptismus interdum ratione *characteris* σφραγὶς apelletur; habent tamen hujus formulæ verba vim quamdam designandi gratiam, quæ exornat Christi milites, firmatque, & perficit sanctificationem in baptismo collatam. Ad 3. reponet Goarius pag. 369. ignorari à tota Orientali Ecclesia Severum istum infectum labe Eutychianæ hæreseos, nec recipi excogitatum ab illo baptismi ritum, & inventam Chrismatis formulam. At cum hæc nulla inficiatur hæresi, & Orientalis Ecclesia summâ veterum rituum laboret ignorantiâ; latius ducimus respondere, quemadmodum apud Latinos, ita apud Occidentales aliquam variationem irrepsisse, salva substantiali significatione verborum. Ad 4. dicimus Instructionem Urbani directam *ad Episcopos Latinos, in quorum civitate, vel diœcesibus Græci, aut Albanenses Græco ritu viventes degunt.* In ea autem Instructione mandat primum Pontifex, *ne presbyteri Græci baptizatos in fronte consignent*, ac jubet, ut prætermittant consignationem frontis, & verba, *ubi habetur forma hujus consignationis.* Deinde præcipit, *ut Episcopi Latini consignatos chrismate ab illis presbyteris Græcis* (qui sine dispensatione nequeunt esse ministri Confirmationis,) formula apud Latinos usitata confirment, quoniam Latini Ecclesiæ Latinæ conformare se debent; præcipit tamen, ut *cum cautela, & sub conditione id faciant, videlicet, N. si es confirmatus, ego te non confirmo: sed si non es confirmatus, Ego consigno te, &c.* & conditionem hanc *præsertim* adhibeant, *cum verisimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Græcis fuerint baptizati*: quoniam nempe solent Græci Episcopi confirmare statim post baptismum. Quæ omnia, si accuratè expendantur, non demonstrant nullam esse, sed sufficientem Græcorum formulam: de qua dictum hactenus.

CAPUT VII.

In quo agitur de Sacramenti Confirmationis Ministro.

SUMMARIUM.

1. & 2. Præliminaria ad propositiones subsequentes.
3. Solus Episcopus est Minister Ordinarius Confirmationis.
4. Usque ad 12. solvuntur obiectiones.
12. Etiam simplex Sacerdos ex dispensatione potest conferre sacramentum Confirmationis.
13. Usque ad 21. afferuntur, & enodantur obiectiones.
21. Ut valide confirmet simplex Sacerdos, in Ecclesia orientali requiritur legitima consuetudo; in occidentali verò Ecclesia delegatio summi Pontificis.
22. Respondetur quibusdam argumentis.
23. Annotantur variæ Theologorum lucubrationes.

1. Sententia Photii de Ministro ordinario Confirmationis.

QUOSLIBET Sacerdotes esse *ordinarios* hujus Sacramenti ministros contendit Photius Constantinopolitanæ Sedis invasor iniquus, Græcorumque schismaticorum caput, ac signifer: qui ut Bulgaros Paulo ante ad Christi fidem conversos opera cujusdam Pauli Romani presbyteri averteret ab Apostolica Sede, Latinam Ecclesiam impetere conatus est nonnullis accusationum capitibus, quorum unum illud est, legatos Nicolai primi denuo confirmasse inunctos chrismate à Græcis presbyteris. Photii autem in Romanam Ecclesiam calumnias continet Encyclica illius Epistola ad Archiepiscopales thronos per Orientem obtinentes data an. 867. easdemque calumnias Baronius in Ecclesiasticis Annalibus, Allatius in Opere de Consensione Orientalis & Occident. Ecclesiæ, Natalis Alex. in Eccles. H. Christianus Lupus in canones VIII. Concilii, aliique viri doctissimi confutarunt. Schismaticorum deinde Græcorum sententiam infensi Ecclesiæ Romanæ hostes arripuerunt, Valdenses, Hussitæ, Lutherus, Kemnitius, Calvinus, Dallæus, & cæteri Novatores; adversus quorum nefarium dogma, fide tenendum est *ordinarium* Con-

Confirmationis ministrum esse solum Episcopum, sicut in Florentino, atque in Tridentino Concilio legimus definitum.

2. Salva fide disputatur de simplici Presbytero ut Ministro, ordinario inter D. D.

Dixi *ordinarium* ministrum; utrum enim potestas confirmandi simplici presbytero committi possit, salva fide in utramque partem disputatur. Ac negantem sententiam præter Hugonem Victorinum, Guilelmum Altissiodorensem, Hadrianum sextum, & quosdam alios Commentatores Magistri in distinctionem 7. libri IV. propugnarunt quoque Estius in eandem distinct. §. 21. Petrus Aurelius in Anæretico, Nicolaus L'Herminier tom. 1. de Sacram. tract. 3. cap. 7. & viri alii percelebres. Affirmanti tamen adhærent fere omnes ex Thomistica Schola, necnon ex Franciscana familia Antonius Andreæ præclarus Scoti auditor, Richardus de Media Villa, petrus Cardinalis Aureolus, quos adversus Suavem Franciscanis omnibus oppositum placitum adscribentem, laudat lib. IX. cap. 7. H. Concilii Tridentini Eminentissimus Pallavicinus. Quibus addam Mastrium, Claudium Frasen, Hennum, & florentissimæ scholæ cæteros. Atque in eandem sententiam conspirant nostrates, quotquot in manus meas pervenerunt: quos inter excellunt, me judice, Basilius Poncius p. IV. c. 3. Farvacquez cap. 4. q. 3. qui Aurelio Lovanienſi, Lenardo Vanroy, cæterisque suppeditarunt copiam argumentorum. Plura tradidere pro eadem confirmanda sententia, ne commemorem ætate nostra de rebus Theologicis optime meritos, Arcudius, Morinus, Holstenius. Tam igitur de Episcopis, quam de presbyteris est pertractandum: quod tribus positionibus mox subjiciendis præstare conabimur.

Prop. I. Minister *ordinarius* Sacramenti Confirmationis est solus Episcopus.

3. Minister ordinarius est solus Episcopus. Est de fide.

Dixi hanc propositionem pertinere ad fidem: Florentinum enim Concilium in Instruct. Armeniorum, *Ordinarius* (inquit) *minister est Episcopus, & cum cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre*, idque probat ex VIII. capite Actuum Apostolorum. Tridentinum pariter sess. VII. can. 3. hunc de Confirmatione edidit canonem, *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem: anathema sit.* Probatur itaque ex Act. Apostolicis: quæ cap. VIII. narrant, Petrum & Joannem profectos Samariam, ut per manuum impositionem baptizatos à Philippo Diacono confirmarent. Hoc enim præstitisse Petrum & Joannem tanquam presbyteros, non tanquam Apostolos, gratis omnino, & adversus Veterum traditionem antumant adversarii. II. Etenim Patres (quod erit probatio altera) ita quod in Actis legitur acceperunt, ut Apostolis tantum, eorumque successoribus Episcopis tribuerint *ordinariam* confirmandi potestatem. *Id namque* (ait Chrysostomus de facultate conferendi Spiritum sanctum impositione manus, Hom. XVIII. in Acta pag. 580.) *erat donum tantummodo duodecim. Apostolorum.* τοῦτο γὰρ τὸ δῶρεν μόνων τῶν δωδεκα ἦν. Similia Oecumenius laudatus cap. 2. prop. 1. Et Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 450. ad Antiochum pag. edit. Morel. 114. *Petrus*, inquit, *& Joannes Apostoli ab Hierosolymis ad eos descendentes, Spiritus sancti gratiam eis porrexerunt. Quod si is, à quo baptismum acceperant, ex Apostolorum classe, ac numero fuisset, Spiritus donandi potestatem profecto habuisset At verò baptizabat duntaxat ut discipulus: Apostoli autem gratiam explebant, & perficiebant, ut qui hujusmodi muneris tribuendi potestatem, atque auctoritatem divino beneficio accepissent.* Πέτρος δὲ καὶ Ιωάννης οἱ ἀπόστολοι καταβάντες ἀπὸ Ιεροσολύμων πρὸς αὐτὲς, τὴν σοῦ πνεύματος τὸ ἁγίε παρίσχοντο χάριν. εἰ δὲ ὁ βαπτίσας ἦν τῶν ἀποστόλων ἐτυγχανεν, εἶχε τὴν αὐθεντίαν τῆς τοῦ πνεύματος δόσεως. βαπτίζει δὲ μόνον ὡς μαθητὴς, τελειῶσι δὲ τὴν χάριν οἱ ἀποστόλοι ὃις ἡ τῆς τοιαύτης δόσεως αὐθεντία ἐδεδοτο. Eadem scribit Innoc. III. cap. *Cum venisset*, de quo citato cap. prop. 2. Confirmatur tertio catholica thesis perpetua Ecclesiarum praxi: nam ab Episcopis perfici & obsignari baptizatos, & quod in exordio Ecclesiæ ab Apostolis, postmodum ab antistitibus factum esse, diserte tradunt Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium lib VI. Eccl. H. Auctor Constit. Apost. lib 3. cap, 17. Cyprianus Epistola ad Jubajanum, Hieronymus adversus Luciferianos, ac S. P. Augustinus lib XV. de Trinit. cap. 26. quorum testimonia præcitato secundo capiti sunt inserta. IV. Plura ibidem loca produximus, in quibus simplici presbytero, necnon Corepiscopis prohibetur chrisma conficere, eoque baptizatorum linire frontem: cujus generis sunt quæ recitavimus ex Epistola Innoc. I. ad Decentium, Leonis Magni ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, & S. Gregorii ad Januarium Calaritanum; quæ omnia invenies eo loci disposita.

Opp. I.

4. Objectiones ex scriptura, & SS. PP.

Opp. 1. Nihil ex Apostolicis Actibus pro stabilienda superiori thesi proferri potest: nihil ex auctoritate Patrum nihil denique ex pervetusta consuetudine Ecclesiarum. Infirmis itaque momentis innititur hæc propositio. Probatur antecedentis prima pars, quoniam Apostoli *charactere Sacerdotali* erant exornati, nec satis constat, an confirmarint tanquam Apostoli, vel tanquam sacerdotes. Ananias quoque Act. IX. Saulo recens converso dedit *impositione manus* Spiritum sanctum, nec tamen Ananias Apostolico fulgebat honore. Demonstratur pars altera: nam S. Ambrosius de Myst. cap. 6. num. 1. inquit *unctionem unguenti fieri à Sacerdote.* Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos ait Episcopos *ex consuetudine, non ex necessitate*, ministros esse Confirmationis, hac ratione producta: *Si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in remotioribus locis per presbyteros baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur*: & Epist. 85. nunc 101. *Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod non facit presbyter?* Etiam Ven. Beda in Ps. XXVI. affirmat, unctionem, *quæ fit per manus impositionem ab Episcopis, & vulgo Confirmatio dicitur*, eandem esse cum unctione verticali, licet illa concessa non sit singulis Sacerdotibus *propter arrogantiam*; quæ etsi non probent posse quoslibet presbyteros confirmare, probant nihilominus *consuetudine* tantum, & Ecclesiastico jure hanc illis denegatam auctoritatem. Probatur oppositionis pars tertia: Ex Pontificali, quod tribuitur Damaso, Sylvester omnium primus *constituit*, ut solus Episcopus sacrum chrisma conficiat, & baptizatum consignet. Igitur ante Sylvestrum presbyteri singuli & chrisma conficiebant, & confirmabant; ideoque hæc peragere non excedit ordinariam presbyteri facultatem. Idem infertur ex Conciliorum definitionibus, ex quibus oppositionem alteram construemus.

5. Respondetur.

Respond. nego ant. ad cujus probationem primam dicimus, Joannem & Petrum *tanquam Apostolos* confirmasse, si dandi Spiritus sancti facultatem manus impositione fuerit ipsorum Apostolorum peculiare donum: quale revera fuisse tradunt disertissimè Ecclesiæ Patres, neque obscure innuunt Acta Apostolica; quæ nullibi narrant tali dono condecoratos quoscunque presbyteros, aut alios missos ad neophytos obsignandos, præter Apostolos. Nam quod ajunt de Anania, refutatum est capite 2. hujus libri, prop. 1. pag. 16. Partem alteram hac ratione diluimus. Ambrosius, qui de Myst. cap. 6. n. 1. ministrum Confirmationis vocat *Sacerdotem*, hoc nomine designat *Episcopum*: hic enim & *Sacerdos* per antonomasiam nuncupatur, & ille est, *ad quem ascendebant baptizati egressi de fonte*, ut constat ex libro III. de Sacram. cap. 1. num 4. ubi perficiens neophytos è baptisterio ascendentes non dicitur *sacerdos* duntaxat, sed *summus Sacerdos.* Hinc PP. S. Mauri in notis tom. 2. pag. 336. rectè observant Dallæum talia objicientem *sola locorum inspectione* refelli. S. Hieronymus scribens Episcopos confirmare *ex consuetudine*, non illam consuetudinem dicit, quæ hominum inducitur arbitratu, sed quæ Apostolicæ innixa est traditioni: ait enim eo loci pag. 295. *Quod si hoc loco quæris: quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui: disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.* Nec te moveat quod Hieronymus subjicit, id factum *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem*, nam his verbis nequaquam docet necessum non esse, ut confirment Episcopi, quoniam ipsis condecentia quadam tribuitur id muneris, alioqui ab unoquoque Sacerdote complendum; sed inquit perficere per Confirmationem baptizatos opus esse Episcopali reservatum honori; quoniam Sacramentum istud non est talis necessitatis, sicut baptismus, ut cuivis debuerit ministerium ejusdem committi: siquidem etiam non consignati possunt salutem consequi. Hinc è vestigio addit: *Alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit: lugendi sunt qui in lectulis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros, & diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.* Diluit verò difficultatem omnem Helladii fallax assertio, quam ibi sanctus Doctor exagitat, *Manifestum est posse aliquem baptizari, & tamen non habere Spiritum sanctum.* Ita superiori pagina Luciferianus: cujus nefarium dogma & Hieronymi ostendit scopum, & verba complanat, & elidit adversantium oppositionem. At in Epistola 101. ad Evangelum, quam editiones aliquæ falso inscribunt *ad Evagrium*, comprimit Hieronymus arrogan-

tiam cujusdam Falcidii, aut alterius hominis, diaconos præferentis presbyteris: ad hujus autem hominis reprehendendam vecordiam, commendat presbyterorum auctoritatem, *ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur*, eosque demonstrat Episcopis valde proximos, eoquod *conficiendi corporis Christi* eandem facultatem habeant, hoc tantum excepto, quod hanc Episcopi per *ordinationem* presbyteris conferunt. Cæterum omnia Episcoporum munera nequaquam prosequitur, siquidem id agere non erat hujusce instituti: ac diserte contra Luciferianos disputans docet Confirmationem honori Episcopatus reservatam. Aliquid ergo præter *ordinationem* facit Episcopus, quod non præstabat ætate Hieronymi simplex presbyter. Potest & brevi responderi, ita locutum Hieronymum respiciendo ad consuetudinem Ecclesiæ Alexandrinæ, in qua presbyteri permissione Episcoporum chrismabant, ut ostendit Holstenius cap. IV. At venerabilis Beda unctionem verticalem, necnon catechumeni ante baptismum, eandem dicit cum unctione facta ab Episcopo confirmante, quantum ad materiam chrismatis, non quantum ad unctionis efficientiam. Aperte namque in unctione postrema agnoscit *sacramentum miram & ineffabile*, eique tribuit *salutem, in qua magis firmamur, & nomen Christi profitemur*, attribuens unctioni ab Episcopo factæ quamdam vetusti ritus rationem, *in qua simpliciter abrenunciamus Satanæ:* ac præterea scribens in caput VIII. Act. Apostol. hæc de Philippo pronuntiat: *Si Apostolus esset, ipse utique manus imponere potuisset, ut acciperent Spiritum sanctum; hoc enim solis Pontificibus debetur, non autem presbyteris: quibus sive extra Episcopum, sive præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod fuerit ab Episcopo consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo consignare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum sanctum.* Quæ verba ex Epistola Innocentii I. ad Decentium videntur exscripta. Illa præterea objectio, si quid evinceret, probaret tantummodo unctionem chrismatis non pertinere ad *essentiam* confirmationis; nec ullatenus hanc de ministro catholicam sententiam labefactaret: quamquam nec illud evincit, cum Beda tribuat eidem unctioni *Sacramenti* peculiarem rationem, atque, ut modo diximus, gratiæ spiritalis efficientiam. De Sylvestro dictum supra cap. V. q. 4. concessum ab eo presbyteris, ut baptizatum chrisma-

te linirent in vertice. Nec aliquem movere debet quod in Pontificali legitur, *Constituit Chrisma ab Episcopo confici, & privilegium Episcopis dedit, ut baptizatum consignent propter hæreticam suasionem.* Eo namque in loco verbum, *Constituit*, non priorem institutionem significat, sed perantiquæ confirmationem, atque declarationem, ut scribit Lupus in notis ad Canones VIII. Concilii, & prælaudata Annot. in f. 5. majoris hebdomadæ num. 184. BENEDICTUS Pontifex Maximus. In quorum sententiam lubens descendo, quòd in libro Pontificali paucis interjectis de Sylvestro legimus, *Hic constituit, ut sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto celebraretur, nisi tantum in linteo ex terreno lino procreato*; quod tamen ab Eusebio ejus prædecessore statutum fertur. Sunt qui reponant libro Pontificali fidem non esse adhibendam, cum eo in loco tradat à Sylvestro baptizatum Constantinum, condemnatum cum Ario & Sabellio Photinum hæresiarcham, & celebratam Romanam Synodum, cujus acta non probant viri nuncupatæ. At necessum non est implicemus nos hisce tricis, maximè quod baptizatum à Sylvestro Constantinum affirment etiamnum Historici præclarissimi, ac Photinus revera, non quantum ad personam, sed quantum ad dogma fuerit in Synodo Nicæna prædamnatus. Videsis notas in Anastasium tom. 2. pag. 306. edit. novissimæ.

6. Objectiones ex variis Conciliis.

Oppon. 2. Canones Conciliorum aut confirmandi potestatem tribuunt presbyteris, aut illis antiquitus collatam fuisse supponunt. Igitur non sunt soli Episcopi *ordinarii* Confirmationis ministri. Prob. ant. Illiberitana Synodus celebrata, ut fertur, anno 315. canone 38. & 77. mandat, ut baptizatus à diacono *per manus impositionem perficiatur.* Ergo non tantum presbyteris, verum etiam diaconis erat olim confirmandi perficiendique facultas. Concilium Carthaginense secundum celebratum anno 390. canone 3. & Carthaginense tertium celebratum anno 397. canone 36. præcipiunt, *ne chrisma conficiatur à presbyteris.* Ante illud ergo tempus, inquit Dallæus, presbyteri conficiebant chrisma, ideoque & confirmabant. Toletanum primum anno 400. canone 20. ita definit: *Statutum est, diaconum non chrismare, sed presbyterum absente Episcopo; præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum.* Episcopo itaque absente presbyter olim ordinaria potestate chrismabat; præsente verò Episcopo hujus

duntaxat jussu, atque permissione. Arausicanum 1. celebratum anno 441. canone 1. hæc statuit: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à presbyteris cum chrismate & benedictione consignari placuit.* Igitur consignare possunt presbyteri, si non adsit Episcopus, urgeatque necessitas aliqua. Secundum Hispalense an. 619. canone VII. declaravit *chrismationem* presbyteris esse prohibitam *novellis Ecclesiasticis regulis:* ideoque non antiquis, non divino jure, non Christi institutione, non profecta ab Apostolicis temporibus consuetudine. Extant demum permulti canones de chrismate gratis nulloque pretio presbyteris distribuendo: quem in usum, nisi ut chrismate ab Episcopo benedicto & ipsi consignent baptizatos?

7. Respondetur.

Resp. hisce sacrorum Conciliorum definitionibus nullum positioni nostræ præjudicium illatum iri, si concedatur collatam fuisse illarum vi presbyteris potestatem confirmandi, quam ordinario jure nequaquam habuerint. Præterea ad singulos præcitatos canones ista reponimus. Tricesimo octavo, & septuagesimo septimo Illiberitano decernitur, ut baptizatos in necessitate à laico, vel à diacono plebem regente, *Episcopus per benedictionem perficiat*; ideoque nec diaconus, nec baptizantium alter, excepto Episcopo, habet juxta canones illos jus confirmandi. Vide Conc. Hispan. tom. 1. pag. 568. & 726. In Concilio Carthaginensi 2. ac multo magis in tertio, supponitur *chrismatis confectionem*, quam temere sibi quidam presbyterorum arrogaverant, etiam antiquioribus definitionibus fuisse illis prohibitam: nam in eodem canone tertio Concilii 2. legitur dixisse Fortunatum, sive Fortunatianum Episcopum, *Memini præterito Concilio fuisse statutum, ut chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, necnon & puellarum consecratio à presbyteris non fiant*, tom. 2. Conc. pag. 1160. Et in Codice canonum Eccl. Africanæ, eodem Volum. pag. 1052. *In præteritis Conciliis statutum meminimus, ut chrisma &c.* Canone autem 36. Concilii tertii, hoc discrimen statuitur inter consecrationem Virginum, & confectionem chrismatis, *ut presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret, chrisma verò nunquam conficiat*; de qua verborum diversitate dictum supra. Tolatano in canone agi de chrismatione *Sacramentali*, presbyteris tamen extraordinaria facultate commissa, sentit Christianus Lupus tom. 2. pag. 1424. eoquod unctionem verticalem etiam diaconus baptizans possit conficere: idemque sentit vir præclarus de canone, *Presbyter præsente Episcopo non signat infantes, nisi forte illi ab Episcopo fuerit præceptum*, qui extat cap. 51. Collect. Martini Episcopi Bracarensis. Cæterum videtur nobis pertractari isto in canone de unctione duntaxat *verticali*, quam ante Epistolam Innocentii primi ad Decentium cum licentia Episcoporum Presbyteri usurpabant. Etenim unctionem illam S. Silvester concessit presbyteris absente Episcopo, & *propter occasionem transitus mortis*, ut legitur in libro Pontif. scribitque lib. 2. de Sacram. p. 7. cap. 3. Hugo Victorinus. Adeas notationes ad hunc Toletanæ Synodi canonem tom. 2. Conc. Hisp. pag. 148. Innocentius itaque anno 416. indulsit, ut presbyteri chrismate inungerent *in vertice* baptizatos, *seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo:* cum Toletana Synodus declarasset, juxta consuetudinem inductam sub Sylvestro, ut chrismarent in vertice absente Episcopo; præsente autem, *si Episcopus præcipiat & annuat.* Ad canonem Arausicanum respondemus non de sacramento Confirmationis ibidem agi, sed de reconciliatione hæreticorum, qui, ut diximus capite primo, recipiebantur pluribus in locis *unctione chrismatis*, non tamen *Sacramentali*, nisi forte sacramentum Confirmationis non recepissent: de qua re differendum postea. Errant enim, qui ubicunque nomen audiunt aut *chrismatis*, aut *consignationis*, intelligunt statim sacramentalem unctionem; quod satis commonstrant quæ nuper diximus de unctione verticali ex Innocentiana ad Episcopum Eugubinum Epistola, & de consignatione energumeni ibidem num. 6. presbyteris, cæterisque Clericis non denegata. Canon postremo Hispalensis non ait inhibitam Confirmationem presbyteris decretis tantum recentioribus, sed *novellis & Ecclesiasticis regulis*, recentibus scilicet, antiquisque: imo eodem in loco tom. v. Concil. pag. 1666. non solum commendatur veterum canonum auctoritas, verum etiam producitur ratio, quam semper necessum est viguisse. Asseritur enim *illicitam* esse presbyteris chrismationem, *Quia Pontificatus apicem non habent, quem solis deberi Episcopis auctoritate canonum præcipitur, ut per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur.* De cæteris autem decretis latis de chrismate presbyteris distribuendo, cum illius usus

sit

sit quoque in unctione verticali, & idem chrisma deservire queat Pontificibus lustrantibus diœceses, quidquam adjicere non est opus.

8. Objectiones aliorum.

Opp. 3. Pluribus in locis Presbyteri *ordinaria* potestate confirmant. Nam in Commentariis ad Epist. ad Ephesios, quæ tribuuntur Ambrosio, tom. 2. pag. 241. Append. legitur, *Apud Aegyptum presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus.* Idem legitur apud Augustinum in Qq. ex utroque Testam. q. 101. Neque dicas Opera hæc esse supposititia, ejusdemque auctoris, id est, Hilarii Diaconi Luciferiani, aut scriptoris alterius Damaso Papæ coævi. Ex hoc enim apparet scriptoris antiquitas, quæ & commonstratur quia in priori Opere ii tantum Ecclesiastici Scriptores laudantur, qui Damasum præcesserunt, ibique præsertim refelluntur Ariani, Donatistæ, Novatiani, ac Photiniani circa Damasi tempora exorti. In alio quoque Opere, q. XL. conumerantur anni circiter 300. à devastatis per Vespasianum Jerosolymis; quod ejusdem vetustatis est argumentum. Nec Luciferiani nominis macula his fidem derogat; cum hujus factionis homines nequaquam circa Confirmationem deprehendantur errasse. Græci etiam ante Photii ætatem à simplici presbytero confirmabantur; eandemque consuetudinem aliquando in Ecclesia Occidentali obtinuisse, patefaciet consequens propositio.

9. Respondetur.

Resp. nihil ex hisce momentis inferri, nisi presbyteros aliquando confirmasse; num verò potestate *ordinaria*, an Pontificum indulgentia, atque num valide ac licite, an illicite & invalide, minime affirmat auctor quæstionum, & prædictorum commentariorum, qui hæc refert quidem, at non approbat. Adde non esse manifestum de qua *consignatione* Scriptor ille sermonem instituat, atque in MSS. optimæ notæ, necnon in postrema editione Parisiensi pag. 93. Append. tomi 3. Op. Aug. non legi, *Presbyter consignat*, sed, *Consecrat presbyter.* Quantum ad Græcos attinet, olim baptizatos chrismate inunctos fuisse à solis Pontificibus, testatur Georgius Pachymeres in *Paraphrasi* Dionysii de Ecclesiastica Hierarchia: de quo vide Allatium de Ecclesiæ Occidentalis & Oriental. perpetua consensione lib. III. cap. 13. p. 1150. Insuper Matthæus Blastarius, licet schismaticus, apud Arcudium lib. 2. Concordiæ cap. 11. pag. 84. affirmat neque presbyteros, neque Corepiscopos habere potestatem confirgnandi, & impertiendi Spiritum sanctum; & Gabriel Philadelphiensis apud eundem Arcudium seq. cap. 13. pag 88. affirmat, *antecedenter hoc Episcopis datum esse* (ut inungant chrismate baptizatos) *quibus & solis hoc licet conficere. Ecclesiam verò Orientalem non tantum Pontificibus, sed etiam per ipsos presbyteris post sacram baptismatis cerimoniam concessisse citra ullam culpam unctionem chrismatis, ne quis baptizatorum ejusmodi gratia privetur, si eum contingat, ut sunt humanæ res, repentina, atque immatura morte ex hac vita migrare.* Simon etiam Thessalonicensis apud Socolovium pag. 33. edit. Cracoviæ, ministros *ordinarios* Confirmationis facit solos Episcopos. Ex quibus constat apud Græcos à presbyteris Confirmationem conferri *delegata* facultate, non *ordinaria.*

10. Objectiones Photii.

Opp. 4. Si solis Episcopis hoc datum est, ut baptizatos consignent, unde venit hæc lex? Quisnam hujus legis conditor? Apostolorumne unus? Aliquis verò Patrum? Num etiam aliqua ex Synodis? Sed ubi, & quando congregata est hujusmodi Synodus? & quorumdam calculis confirmata? Præterea si non licet Sacerdotibus eos, qui baptizantur, unguento consignare; igitur nec omnino lacra facere, nec baptizare, ut tibi nec dimidiatus Sacerdos, sed integer ad profanum statum rejiciatur. Hæc Photius in Encyclica superius commemorata.

11. Respondetur.

Resp. Photium, qui à Joanne Patriarcha Constantinopolitano in Orat. de unione & pace Ecclesiarum vereris, ac novæ Romæ, jure appellatur ῥίζα τις καὶ πάσης κακίας ἀρχή, *radix quædam, totiusque mali principium*, à Joanne autem Methonensi in Epistolam Marci Ephesii, πρῶτος χισματικὸς μᾶλλον δὲ αὐτεργὸς καὶ δημιεργὸς τοῦ χίσματος, *Princeps schismaticorum, imo vero auctor & opifex schismatis*, in Encyclica illa Epistola, ut calumniis atrocissimis in Latinos, ita ineptis argutiunculis abundare. Quod ad præsens attinet institutum, propugnata à nobis lex continetur in Apostolicis actibus, ad quorum lectionem sicut olim Luciferianos amandavit Hieronymus, ita nunc mittimus Photium, cæterosque schismaticos. Si Patrum testimonia quærit; illum obruere possumus nube testium non Latinorum tantum, sed & Græcorum, magni etiam Chrysostomi, Isidori Pelusiotæ, aliorum. Obtendemus quoque Orientalis Ecclesiæ morem primævum, ipsis è Græcia accitis scriptoribus: nec verbis verba retundimus,

tendimus, siquidem quod affirmamus nos posse, istud jam egimus. In altero quoque argumento Photius ratiocinatur ineptè. Etenim si quisquis baptizare potest, potest & consignare; quare Diaconus, qui in necessitate baptizat, in necessitate nequaquam consignat? Si non est *dimidiatus* Sacerdos, qui conficit Eucharistiam, sed Ordines sacros non confert, quoniam hæc diversa sunt munera, diversaque connotant sacramenta; cur sacerdos *dimidiatus* dicendus est, qui consecrare potest, confirmare non potest? Quod si quæras, cum Sacerdos conferat baptizato Eucharistiam, Sacramentum nempe omnium maximum ac præstantissimum, quam ob rem confirmare non potest ipsummet baptizatum? primum id vicissim à te petam, cur pariter non potest sacerdos conficere chrisma, quod utique non est tam amplum splendidumque, ut consecrare corpus Dominicum? Deinde verò dico reservandum fuisse *apici Pontificatus* sacrosancti chrismatis ministerium: quod Dionysius, sive quisquis auctor est libri de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 5. pag. 360. ex eo demonstrat, quod licet à sacerdotibus veneranda quædam Sacramenta conficiantur; virtus tamen ordinis Hierarchici per omnes sacros ordines mysteria perficit, unde nec sacerdos divinæ communionis mysteria consecrat, nisi imposita altari chrismate delibuto, quin ne sacerdos quidem est, nisi Pontificis initiationibus ad sortem istam fuerit promotus. *Quapropter* (inquit) *lex divina Hierarchicorum Ordinum sanctificationem, divinique unguenti perfectionem, sacramque altaris benedictionem perficientibus divinorum Pontificum virtutibus singulariter attribuit.* Οθεν ἡ θεία θεσμοθεσία τὴν τῶν ἱεραρχικῶν τάξεων ἁγιασείαν, καὶ τὴν τοῦ θείου μύρου τελείωσιν, καὶ τὴν ἱερὰν τῆς θυσιαστηρίου τελετουργίαν, ταῖς τῶν ἐνθέων Ἱεραρχῶν τελεσιουργοῖς δυνάμεσιν ἐναιρίως ἀπεκλήρωσεν. Erat ergo Confirmatio, quæ baptizatorum *perfectio* est, & mysterii regenerationis consummatio, Pontificibus reservanda; maximè quod ad illos attinet designare milites Christi, quod & in Reipublicæ regimine faciunt imperatores ducesque exercituum.

12. Simplex sacerdos potest ex dispensatione conferre Confirmationem. Quod probatur.

Propositio II. Etiam simplex Sacerdos potest ex dispensatione, sive *extraordinaria* facultate conferre sacramentum Confirmationis.

Demonstratur 1. ex decreto Eugenii lato in Florentina Synodo, tom. XIII. Conc. pag. 536. ubi postquam definitum est, *ordinarium* Confirmationis ministrum esse Episcopum, idque comprobatum ex cap. 8. Actuum Apostolicorum, hæc subjiciuntur: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse sacramentum.* Neque enim tam aperto testimonio responderi potest, perperam decretum illud laudari sub nomine Florentini Concilii, nec Eugenium aliud asserere, quam id legi *apud Scholasticos aliquos*, non autem id revera fuisse factum; ut post Guilelmum Estium dist. VII. §. 22. reponit pag. 420. Nicolaus L'Herminier. Nam hujus responsionis partem primam abunde refellit appendix cap. quarti. Partem alteram conterit quod continetur in illius decreti proloquio, latum nempe illud *post non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex SS. Ecclesiæ Patribus & Doctoribus deducta sunt, & earum, de quibus agebatur, rerum discussionem*; tum eo fine propositum, *ne ulla in futurum de fidei veritate apud Armenios dubitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum Sede Apostolica*; illic demum contineri *sub quodam brevi compendio Orthodoxæ fidei veritatem.* Quæ pensitantes illustres viri, ut Soto, Poncius, & alii non tantum propositioni subscribunt nostræ, verum etiam censent ad fidem pertinere: quod tamen ob præclaros Theologos sentientes oppositum, aut disputantes in partem utramque, non ausim definitè pronuntiare. Accedit in veritatis præsidium, quod proposita à Latinis in Florentino Concilio ea quæstione, *Quare Episcopi non ungunt sacro chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum?* Dorotheus Mitylenensis Metropolita eandem cum quibusdam objectis aliis quæstionem, *canonice legitimeque dissolvit.* Videatur tom. XIII. Concil. pag. 526. & Lupus tom. 2. in canones Conciliorum pag. 1424. Ludere autem operam videtur Nicolaus L'Herminier reponens ignorari quid objectioni Latinorum responderit Mitylenensis; quando scriptor Synodalium Actorum de eo testatur *omnia canonice & legitime* diluisse, præter creationem Patriarchæ Constantinopolitani, ritumque conjugalis vinculi relaxandi: nec Eugenius, aut Florentina Synodus Græcorum consuetudinem condemnavit. At de Florentina Synodo hactenus. II. Tridentina quoque, dum statuit solum Episcopum ministrum esse Confirmationis *ordinarium*, innuere vult haud repugnare, quin

quin *ex delegatione* hujusmodi ministerium committatur presbytero. Quamquam verò id minime expressit Synodus veneranda, propterea quod nullum vellet afferre scholarum placitis præjudicium; ut novimus tamen ex ejusdem Synodi Historia conscripta à Cardinali Pallavicino lib. IX. cap. 7. cum aliqui mallent articulum illum omitti, aliqui ex præcitata Synodo Florentina reponerent Romanos Pontifices gravibus de causis indulsisse presbyteris ut confirmarent, modò adhiberent chrisma ab Episcopo consecratum, & Nobilius etiam Aciensis contenderet, quod etiamnum ajunt adversarii, factum ibi narrari, non articulum definiri; ad illum tamen modum editus est articulus, quòd *fere omnes in sancti Thomæ sententiam veniebant, quam præstantissimi scholastici amplectebantur, posse hujusmodi facultatem Pontificia delegatione ad simplices Sacerdotes extendi.* III. Revera aliquando presbyteris potestas confirmandi tum in Occidentali, tum in Orientali Ecclesia reperitur concessa. Atque de Ecclesia Occidentali occurrit primum Epistola S. Gregorii Magni ad Januarium Calaritanum Episcopum. Ad hunc scripserat olim Gregorius Epist. 9. libri IV. pag. 689. juxta Innocentii primi ad Decentium Capitula, receptamque consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, *Episcopi baptizatos infantes signare bis in frontibus non præsumant; sed presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte.* Quod cum ægre ferrent Sardinienses presbyteri, indeque exoriri scandala Januarius Gregorio significasset, rescripsit is epistolâ 26. ejusdem libri pag. 705. tom. 2. *Nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos tangere debeant concedimus.* Quibus in verbis Gregorius, ut confirmarent, indulsit presbyteris Sardinienſibus. Neque verò me latet quanta ad infringendam vim hujus argumentationis ingerantur. Ac primo quod respondet Durandus in IV. dist. 6. q. 4. *Nescio, cur non possit dici, quod Gregorius, cum fuerit homo & non Deus, potuerit errare*, utpote emendicatum, & liberiori prolatum ore, confutatione nostra non indiget. Quod autem inquiunt Hadrianus & Estius eodem lib. IV. dist. 7. necnon Petrus de Marca ad canonem 28. Concilii Claromontani, & L' Herminier tom. 1. de Sacram. pag. 419. accipiendum esse Gregorium *de unctione quadam ceremoniali*, non de Confirmatione, quoniam emendati codices legunt *baptizandos*, non *baptizatos*; quoniam Gregorius pro causa prohibitionis suæ attulit solummodo usum Romanæ Ecclesiæ, & unctionem quidem frontis permisit, sed non *formam* verborum; quoniam denique scandalum quorumdam gravis non erat causa, nec rationalis, & urgens, qualem requiri in hujusmodi dispensatione declarat Eugenius IV. quod, inquam, hi dicunt, nequit præmissam argumentationem labefactare. Enimverò posteriori Epistola Gregorius concessit, quod vetuerat præcedenti, ut scilicet presbyteri signarent baptizatum in fronte, & quod post baptismum faciendum erat ab Episcopo: id verò quis negabit esse veram propriamque Confirmationem? At enim, inquis, emendati Codices *baptizandos* habent, non *baptizatos*: de ritu ergo inter baptizandum usurpato Gregorii accipienda sunt verba. Minime. Quis unquam audivit inter baptizandum chrismate liniri frontem? quisnam ait novum hunc ritum in Sardiniæ insula viguisse? Irrepserat utique consuetudo, ut presbyteri baptizatum signarent in fronte, quem postea Episcopi iterum consignabant; nam consuetudinem illam arguit Gregorius scribens priori Epistola, *Episcopi baptizatos infantes signare bis in frontibus non præsumant.* Eam itaque consuetudinem, quam SS. Pontifex primum coërcet, deinde ad scandala avertenda permittit, est consignatio frontis, quam semel perficiunt Episcopi, & quam Sardinienses presbyteri sibimet arrogabant, post baptismum, non inter baptizandum usurpata. Nec te permoveat, quod Gregorius ait *baptizandos*; nam scripserat paulo supra, *Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos, qui baptizandi sunt, prohibuimus*; ubi vides *baptizandos* dici jam baptizatos; quod nempe infantes, qui baptizabantur, eodem fere tempore confirmarentur. Deinde concessionis ejus restrictio, *ubi Episcopi* desunt, evincit Gregorium de illa chrismatione locutum, quæ Episcopis reservatur. Quare lectio, quæ habet *baptizandos* ob veterum Codicum auctoritatem commode retinetur, tametsi conatur illam eliminare cap. 15. de Sacram. Conf. pag. 77. Joannes Morinus. Nec levis erat Gregorio causa dispensationis illius, scandalum Sardiniensium, vigensque apud illos consuetudo, sive ex commercio Græcorum, sive ex concessione Sedis

Apostolicæ derivata. Quod si Gregorius *formæ* verborum non meminit, nec illam eo loci commemorat, ubi ait, *Episcopi ungere debent in fronte*; nec novum atque inusitatum est, sed in scriptis Ecclesiasticis pervulgatum, ut idem sit *Confirmare*, ac, *Frontem signare chrismate*. Sat est perlegere sæpius laudatam Epistolam Innocentii ad Decentium Episcopum Eugubinum cap. 3. Atque hinc patet non erasse Gratianum, qui dist. 95. cap. 2. ait Gregorium *pro scandalo sedando* semel concessisse presbyteris facultatem *consignationis Pontificalis*. IV. Quamvis Eugenius IV. rectè affirmet presbyteros confirmantes adhibuisse confectum ab Episcopo chrisma; tamen etiam hoc datum quandoque presbyteris, ut chrisma conficerent: quod ego sane non demonstrabo ex Laodiceno, Toletano, & Bracarensi, aliisque Conciliis, quibus statuitur, ne in posterum presbyter chrisma conficiat, unde Joannes Morinus cap. 13. & Lucas Holstenius cap. 4. de Ministro Confirmat. inferunt presbyteros olim chrisma alicubi consecrasse. Dixi enim supra id à Conciliis reprobari; nec apparere quo jure presbyteri hoc attentarint: sed addo testimonium expressius, de quo Mabillonius tom. 1. Musei Italici, id est, Joannis Diaconi in Epistola ad Senarium scribentis: *Sed nec illud tangat animum quod sibi aliquando quædam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur) ut presbyteri sanctum chrisma conficiant: quod merito moveret, si istam Pontificalis auctoritas licentiam non dedisset: unde constat à Pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum necessitate ut à presbyteris effici possit superior Ordo constituit.* Quod si potest concedi presbyteris facultas conficiendi chrisma, quemadmodum & ego asserui cap. 5. prop. 4. quanto magis concedi eis poterit licentia consignandi chrismate ab Episcopo consecrato? V. Non semel Romani Pontifices eandem facultatem presbyteris concessere. Hadrianus sextus, etsi in IV. sent. docuerat oppositum, evectus tamen ad summum Pontificatum indulsit Franciscanis, ut in Indiis administrarent Confirmationem, extatque autographum hujus facultatis exemplar in Cœnobio S. Francisci Hispalensi. Atque ante Hadriani diploma iisdem Patribus Minoribus per Orientis & Septentrionis regiones facultatem illam concesserat Joannes XXII. ut refert Wadingus ad annum 1447. num. 16. Aliud consimile privilegium Eugenii IV. producit idem Scriptor ad annum 1444. num. 45. Laudat & alia à Nicolao IV. ab Urbano V. & Eugenio IV. emanata: quorum omnium ampliſſimam confirmationem concessam à Leone X. narrat idem Wadingus ad annum 1521. nec Wadingus solus; etiam Henriquez lib. 3. de Confirmat. cap. 6. Suarez disput. 36. art. 11. sect. 2. Pallavicinus præcitato lib. IX. cap. 7. ut mittam Arcudium, Farvacquesium, Morinum, & recentiores quamplurimos. Addit Arcudius lib. 2. cap. 15. se accepisse à Ludovico Fonseca ex Indiis Romam misso ad Generalia comitia S. J. an. 1593. ab eodem Fonseca, aliisque passim in Indiis hoc Sacramentum administratum indulgentia Romani Pontificis, cujus illic legitimum diploma asservabatur. Id Patribus Societatis indultum à Gregorio XIII. scribit etiam Basilius Poncius p. 4. cap. 3. ubi ulterius inquit audivisse se nonnullos, *qui ministrasse hoc Sacramentum ex ea dispensatione asseruere:* atque id notavit etiam Farvacquez in Opusculo de Confirmat. pag. 125. Audio Nicolaum L'Herminierium insistentem aliorum recentiorum vestigiis respondere pag. 422. *aut falsum esse data hæc privilegia, aut id factum contra canones, adeoque nullius esse ponderis.* In hanc opinionem inclinat etiam Continuator Witasii, qui de hac quæstione *problematice* disputat, propterea quod Arcudius cit. cap. 15. pag. 90. scribat diploma Pontificium Hadriani VI. quod Hispali asservatur, datum fuisse *anno 1521. die 25. Aprilis*; cum Hadrianus electus sit die 9. Januarii 1522. atque illud Arcudius Hadriano, Franciscus verò de Pitigianis tribuat Leoni X. Ita Scriptor paulo supra laudatus pag. 471. Ven. edit. Sed quis credat tot eximios, probatosque viros, qui ea diplomata legerunt, & cum iis, quibus concessa sunt, habuerunt sermonem, Wadingum, Arcudium, Basilium Poncium, aliosque fuisse mentitos? Quis etiam audeat violationis canonum insimulare Romanos Pontifices, quorum est ipsorum canonum custodia, moderamen, interpretatio? Unum est, in quo erravit Arcudius, quod nempe diploma anni 1521. tribuerit Hadriano: illud revera est Leonis X. & habetur quoque in Collectione Privileg. Regularium Emmanuelis Roderici pag. edit. Tournoni 294. Si hunc adeas, percipies quam insulsæ sint, ineptæque recentiorum quorundam cavillationes: invenies diploma integrum: videbis non solum ministrandi Confirmationem, verum etiam conferendi minores Ordines,

Episcopis

Episcopis in provincia non existentibus, exercendique alia complura munera Pontificalia facultatem Franciscanis concedi: audies & commemorari concessiones prædecessorum Pontificum, Nicolai IV Joannis XXII. Urbani V. & Eugeni IV. Atque audacter Rodericum fabricasse proprio marte Pontificium diploma, arbitror neminem unum, qui id excogitet, futurum fore. VI. Apud Orientales pariter collata fuit presbyteris confirmandi potestas. Photius enim præcitata ad Orientales Patriarchas Encyclica, dum in Latinos invehitur quod Bulgaros confirmatos à Græcis presbyteris iterum confirmassent, quamquam injuriosè debacchatur, supponit jam dudum apud Græcos morem invaluisse, ut presbyteri confirmarent. Ita enim erecta fronte loquitur: *Num reperitur aliquis, qui talem unquam auribus acceperit insipientiam, quam isti mente capti audere non dubitarunt, illos videlicet, qui semel tincti sunt, chrismate iterum chrismantes*? Et ibidem, *Illos qui à presbyteris chrismate uncti fuerant, iterum chrismare ipsi non horruerunt, Episcopos se ipsos jactitantes, & presbyterorum chrisma inutile, & frustra ab illis administrari portentosè docentes.* Refert hanc Epistolam Baronius ad an. 863. num. 37. Pagius ad an. 867. num 3 de ea item loquitur Annalista Bertinianus ad eundem annum num 42. Flodoardus in Hist. Eccl. Remensis lib. 3. cap. 7. Ex qua Epistola infertur etiam ante exortum Photianum schisma presbyteros in Græcia chrismasse. *Quis enim*, inquit Holstenius, *hominem cætera vecordem, Patriarchis summis Orientalis Ecclesiæ præsulibus hæc scripturum, & ad receptam Ecclesiarum consuetudinem provocaturum existimet, si ipse tum primum novo exemplo contra morem universalem presbyteris chrismationem permisisset, cæteris Ecclesiis contrarium observantibus*? Accedit ex Epistola Hieronymi ad Evangelum, ex Commentariis in Paulum inscriptis Ambrosio, ex Auctore quæstionum, ex utroque Testam. quæ omnia monumenta ætatem Photii longe præcedunt, videri, etsi non adeo perspicuè, ut contendit idem Holstenius, apud Alexandrinos *ex delegatione* presbyterum confirmasse. Dictum præterea paulo supra in Florentino Concilio Græcos inter Latinosque initam unionem, cum Episcopus Mitylenensis Eugenio Papæ de objectis nostratium κανονικῶς, καὶ νομιμῶς *canonice, & legitime* satisfeciisset. Addam modò dissidium de ministro Confirmationis ita fuisse compositum, ut nullum unioni afferret impedimentum, facta Græcis libertate, ut receptis tribus articulis de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio, de pœnis animarum purgatoriis, ac de præsenti animarum sanctarum gloria, servarent in aliis morem Ecclesiæ suæ. Id verò probatur, ex quo nec ex literis unionis, neque ex actis aliis sacrosancti Concilii constet coactos fuisse Græcos ad consuetudinem illam repudiandam. Sanctus præterea Antonius Florentinus Archiepiscopus 3. p. Chron. tit 22. cap. 11. pag. edit. Lugdun. 531. hæc scribit: *Errabant Græci in tribus communiter*, atque his recensitis, *In aliis ritibus suis, qui non important hæresim (licet rationabiliores sint ritus Ecclesiæ Occidentalis seu Romanæ) fuerunt permissi manere.* Gregorius item Hieromonachus, & magnus Protosyncellus in Confutatione Epistolæ Marci Ephesii, quæ extat tom XIII. Concil. pag. 739. de Confirmatione scribit, *In nostra unione nihil habuerunt, quod nobis objicerent* (nihil grave, quod Mitylenensis non dissolvisset) *sed cum essemus orthodoxi, habiti sumus ab orthodoxis orthodoxi*, ἐν τῇ ἑνώσει ἡμῶν οὐδένα λόγον εἶχον εἰπεῖν καθ' ἡμῶν ἀλλὰ ὀρθόδοξοι ὄντες παρὰ τῶν ὀρθοδόξων ὡρθοδόξουν ἐκρίθημεν. Propositione præced. in resp. ad 3. retuli testimonium Gabrielis Philadelphiensis facultatem delegatam presbyteris comprobantis. Igitur ob hæc momenta ex pluribus aliis, quæ non videntur adeo inconcussa, selecta à nobis & illustrata, assentientibus posse delegari presbyteris facultatem confirmandi, pollice utroque subscribimus.

13. Objectio contra Sententiam hanc.

Opp. 1. Liquet ex argumentis præcedenti positione productis, sacrarumque literarum, Patrum, Romanorumque Pontificium firmatis auctoritate, solos Episcopos esse Confirmationis ministros quoniam soli Episcopi sunt Apostolorum successores, atque confirmare neophytos munus est spectans *ad apicem Pontificalis dignitatis.*

14. Respondetur.

Resp. ea omnia esse accipienda de ministro Confirmationis *ordinario*, quandoquidem Romani Pontifices judiciorum Ecclesiasticorum summa Capita, necnon Generalia Concilia istam nobis interpretationem suppeditarunt, præsertim Eugenius IV & Synodus Tridentina. Atque eandem comprobarunt Pontifices illi Maximi, qui confirmandi potestatem concessere presbyteris, qui cum Græcis habuerunt vinculum unionis, illorum consuetudinem non reprobantes, & qui sententiam

tiam noſtram in re tam gravi, in qua agitur de legitimo Sacramenti miniſtro, ſinunt à Theologis innumeris, & JCC. celeberrimis propugnari. Neque dicas ſententiam quoque oppoſitam defendi à pluribus Scholaſticorum, Sede Apoſtolica conſentiente. Ex ea namque, licet falſa, nullum conſequitur incommodum. Quid enim ſi Epiſcopi duntaxat confirment? Nonne proprio funguntur munere? Nonne Occidentalis Eccleſiæ ſervant perantiquam conſuetudinem? Doceant ergo quidam Scholaſtici ſolos Epiſcopos eſſe miniſtros Confirmationis, non poſſe id muneris demandari presbytero; nullum ex hoc errore oritur præjudicium. At ſi obtineat ſententia noſtra, eaque falſa ſit; nonne irritæ erunt confirmationes Græcorum? Nonne illegitimæ conceſſiones factæ Miſſionariis ad extremas mundi plagas profectis? Nonne ſub ſacramenti nomine impunè ab his fieret divini chriſmatis abuſio ſacrilega? Neceſſum eſt ergo, ut ſi ſententia noſtra eſt falſa, proſcribantur cum D. Thoma celebriora ſcholarum lumina, Jureconſulti omnes, & qui in canones ſacrosque ritus ediderunt commentaria. Quod ſanè non eveniet, quoniam theorematis hujus producuntur exploratiſſima munimenta.

15. Oppugnatur alterius ſententia.

Præterea oppones: At Pontifices declararunt, neque *ex delegatione* poſſe committi presbyteris, ut confirment. Principio Nicolaus I. mandavit Legatis miſſis ad Bulgaros, Paulo Populonienſi, & Formoſo Portuenſi Epiſcopis, *ut omnem ritum Chriſtianæ fidei, ſicut ab ipſo inſtructi fuerant*, edocerent gentem illam, ut ſcribit Anaſtaſius pag. 220. edit. Regiæ Pariſienſis. Idem autem Legati in Bulgariam profecti non ſolum Photii reprobarunt ordinationem, verum etiam *omnes Bulgariæ principes, & ſubjectos chriſmate iterum inunxerunt*, auctore Metrophane Metropolita Smyrnenſi in Epiſt. ad Manuelem Patricium, & Logothetam Dromi, tom. VIII. Concil. pag. 387. Atque hinc litium ſeminarium, & objecta Græcorum, quæ recenſet ipſemet Nicolaus I. in Epiſtola ad Hincmarum apud Baronium ad an. 867. n. 50. inter quæ illud eſt, *Et inſimulare tentant, quoniam eosdem presbyteros chriſmate linire baptizatorum frontes prohibemus.* Imo objectum illud in Francorum Annalibus editis à Pitheo, & laudatis eodem an. à Baronio num. 64. his concipitur verbis: *Quod alicubi conceſſum presbyteris, ut baptizatorum frontes liniant chriſmate, ex magna cauſa ſit diſpenſatum.* Itaque nec *ex delegatione* presbyteris fas eſt confirmare; alioqui nec legati Pontificii absque ſacrilegio iterum chriſmaſſent delinitos à presbyteris Græcis, neque id probaſſet ſummus Pontifex Nicolaus, neque Græcorum objectum cenſendum fuerat probroſa, falſaque inſimulatio. Inſuper Innocentius III. cap. 4. *Quanto*, Extra de Conſuetudine, ad Lucium Vicarium apud Conſtantinopolim conſtitutum hæc ſcribit, *Pervenit ſane ad audientiam noſtram, quod quidam ſimplices Sacerdotes apud Conſtantinopolim ea Sacramenta præſumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apoſtolorum tempore ritè fuerunt ſolis Pontificibus reſervata, ut eſt Sacramentum Confirmationis, quod chriſmando renatos ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre.* Et infra *Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus omnibus presbyteris diſtincte prohibeas, ne talia de cætero ſua temeritate præſumant.* Pariter Innocentius IV. in Conſtitutione *Sub Catholicæ*, edita anno 1254. cum accepiſſet inter Archiepiſcopum Nicoſienſem, & ejus ſuffraganeos Latinos ex una parte, & Epiſcopos Græcos Regni Cypri ex altera, de quibusdam articulis diſcordiam fuiſſe ſubortam, reſcripſit Epiſcopo Tuſculano Legato Apoſtolicæ Sedis, mandans ut quædam ſervarentur, inter quæ §. 2. id præſcriptum eſt, *Soli autem Epiſcopi conſignent chriſmate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet niſi per Epiſcopos exhiberi.* Ad hæc Clemens VIII. anno 1595. ut diximus capite præcedenti, juſſit, *ut Epiſcopi Latini infantes ſeu alios baptizatos à presbyteris Græcis de facto chriſmate in fronte conſignatos confirment*: quod cum minimè mandatum ſit ob Græcanicæ formulæ deficientiam; cur, quæſo, juſſum eſt, niſi quia presbyter, etiam Græcus, avitumque morem ſectatus, tanquam miniſter illegitimus, contulit ſacramentum nullum, ac irritum? Idem denique, quod Clemens VIII. ſtatuit confirmavitque præterito anno 1742. in Conſtit. *Etſi Paſtoralis*, Sacramentariarum rerum, veterumque rituum, ſi quis unquam, ſcientiſſimus BENEDICTUS XIV.

16. Reſponde-tur.

Reſp. Cum presbyter ſit miniſter ſacræ Confirmationis *extraordinarius* duntaxat, & *ex delegatione*, illud ſemper Romana Eccleſia in Græcis damnavit, quod exiſtimarint horum nonnulli presbyterum eſſe hujus ſacramenti *ordinarium* miniſtrum, inductamque apud illos conſuetudinem talis eſſe roboris, ut

ut quamquam Græci presbyteri Latinis Episcopis subjiciantur, aut summus Ecclesiæ Rector, Romanus Pontifex jubeat, ut iidem presbyteri servent consuetudinem Occidentalis Ecclesiæ, in qua consignant soli Apostolorum successores Episcopi, & nonnisi perrarò, & urgenti aliqua causa impellente, id muneris presbyteris fuerit delegatum; adhuc tamen iidem Græci, schismatum amatores, & disciplinæ Ecclesiasticæ ignari contendant posse suæ gentis presbyterum ubique terrarum neophytos consignare. Quod utique supinus est error: cum *signare frontem* baptizatorum spectet *ordinario jure* ad solos Episcopos; ad presbyteros autem *delegatione* tantum, atque indulgentia; imo & ad hoc necessaria sit, ut dicam infra, aut permissio summi Pontificis, & expressa concessio, ubi degunt Latini Episcopi; aut universalis consuetudo, & summi pontificis tolerantia, ubi sedent Episcopi Græci. Faciunt ergo ad errorem illum eliminandum commemoratæ nuper Pontificiæ Constitutiones. Ac primum quantum attinet ad Nicolaum, missa ea quæstione, an omnium primi Christianam fidem in Bulgaria disseminarint Græci, an Latini; certissimum est an. 866. Regem Bulgarorum Michaelem, missis Romam filio suo pluribusque Regni proceribus à Nicolao postulásse, ut ad se Latinos Episcopos presbyterosque dirigeret. Hoc enim tradunt ipse Nicolaus in Epist. 70. ad Hincmarum, Anastasius in ejus Vita, Annales Bertiniani, ac Fuldenses, & Historici alii quamplurimi. Cum autem Legati ad Bulgaros pervenissent, invenerunt dogmatum ac rituum maximam confusionem, atque inter Græcos, Armenios, aliosque, Apostolos & veros, & falsos, etiam presbyteros Photianos, qui chrismate à Pseudopatriarcha consecrato illic neophytos consignabant: quidam etiam Græci presbyteros se jactabant, cùm non essent; omnesque chrisma tantum in Græcia nasci, nos aquam fluminis pro chrismate adhibere criminabantur. Quæ omnia constant ex Rescriptis Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum, Tom. VIII. Concil. pag. 516. & ex præcitata Epistola ad Hincmarum pag. 470. Tunc verò temporis Bulgaria subjiciebatur Apostolicæ Sedi: quoniam, ut affirmant in VIII. Synodo Generali eodem Volum. pag. 893. Legati Romanæ Ecclesiæ, Bulgaris annuentibus, jam ipsi Romanæ Ecclesiæ subjecta erat utraque Epirus, totaque Thessalia, atque Dardania, in qua & Dardania civitas, cujus patria Bulgaria à Bulgaris dicta est: deinde ipsi Bulgari Sedis Apostolicæ semet specialiter patrocinio, & ordinationi commiserant, atque Sacerdotes Romanos ultronea voluntate elegerant sibi magistros: exceperant præterea cum honore Legatos Nicolai, & Imperator Bulgarorum Michael capillis comprehensis, in omnium conventu dixerat, *Omnes Primates, & cuncti populi Bulgarorum terræ cognoscant ab hodierna die me servum fore post Deum beati Petri, ejusque Vicarii.* Videsis Lupum tom. 2. pag. 1405. Ideo ergo Episcopi Latini confirmarunt Bulgaros, tametsi consignatos à Græcis, quoniam hi missi fuerant à Photio *moecho, & invasore*, ideoque non erant *legitime delegati*; & consignabant præterea in provinciis Sedi Apostolicæ subjectis, atque renitente Rectore Ecclesiæ supremo. Contendebant insuper Photiani illi presbyteri, ut constat ex Annalibus in objectione laudatis, non esse *ex dispensatione*, quod alicubi presbyteri liniant chrismate frontes baptizatorum; & idcirco præfracte consignare audebant adversus inhibitiones Romanæ Sedis, sacrilege, illegitime, pervicaciter. Dicam nunc de Innoc. III. Revera ejus Rescriptum. cap. *Quanto*, præcitatis verbis comprehenditur, etiam in edit. Romana Decretalium an. 1582. pag. 8. Spectat tamen ad solos presbyteros Latinos Constantinopoli commorantes; unde ita lectio restituenda est, *Omnibus Latinis presbyteris apud Constantinopolim constitutis.* Ita legunt Jureconsulti recentiores cum Emmanuele Gonzalez tom. 1. pag. 166. in quam lectionem cum intendissem animum, adverti similiter legi in editione Antuerpiensi anni 1570. pag. 38. atque in Romana elegantissima Epistolarum Innocentii an. 1543. pag. 396. ne alias commemorem minoris pretii. Quare constat cap. *Quanto* prohiberi Latinis presbyteris inter Græcos degentibus, ne sibi concessum putent, quod toleratur in Græcis. At Innocentius IV. *in sola Cypri insula*, non in reliquis Ecclesiis Orientalibus jussit, ut soli Episcopi consignarent, propterea quod subortis circa hanc materiam dissidiis, melius est, ut Occidentalis Ecclesiæ, quam Orientalis serventur ritus, atque dum adsunt Episcopi Confirmationis *ordinarii* ministri, non consignent presbyteri. Hinc in eadem Constit. §. 2. jubet Pontifex, ut in eodem Cypri regno *Græci in unctionibus, quæ circa baptismum fiunt, morem Ecclesiæ Romanæ teneant & observent;*

vent; cum tamen presbyteri Albanenses inungant pectus, medium dorsi, aures, pedes, ac manus, quod apud nos non servatur: atque in hoc ritu impediendos non esse, *nisi adsit contraria consuetudo*, definiat BENEDICTUS XIV. in prælaudata Constitut. *Etsi Pastoralis*, §. 2. num. 3. De Clemente VIII. dictum supra, prohibuisse eo loci summum Pontificem Græcis presbyteris haptizantibus, ne consignent, ac mandasse, ut prætermittant, quæ in ipsorum Euchologio sequuntur post illa verba, καὶ μετὰ τὴν ἐυχὴν, usque ibi, εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς χῦμα κύκλε, hoc est, *Et post orationem*, (ubi habetur forma hujus consignationis) usque ad verba, *Postea facit sacerdos figuram circuli*. Dictum quoque Clementem id præscripsisse Græcis, aut Albanensibus degentibus *sub Latinis Episcopis*, non cæteris universis; imo & prudentissimè hortatum esse, ut Latini Episcopi confirmantes neophytos obsignatos in fronte à sacerdotibus Græcis, *cum cautela, & sub conditione id faciant*. Igitur à Clemente VIII. permittitur, ut, ubi Latini non sedent Episcopi, teneatur mos pervetustus, siquidem decreta sua his limitibus coarctat & circumscribit. Atque idem non solum præstat sapientissimus BENEDICTUS dirigens Constitutionem *Etsi Pastoralis* ad Italo-Græcos in Italia, ejusque insulis adjacentibus commorantes, sed ulterius sensum Clementinæ definitionis ad hunc modum accurate & perspicue exprimens: *Episcopi Latini infantes, seu alios in suis diœcesibus baptizatos à presbyteris Græcis absolute chrismate in fronte consignatos confirment; cum neque per Prædecessores nostros, neque per nos Græcis presbyteris in Italia, & in Insulis adjacentibus, ut infantibus baptizatis sacramentum Confirmationis conferant, facultas concessa sit, aut concedatur; quin imo usque ab anno 1595. à fel. rec. Clemente VIII. Prædecessore nostro fuit presbyteris Italo-Græcis expresse interdictum, ne baptizatos chrismate consignent. Secus sub conditione, & cum cautela eos confirmare debent, de quibus verisimiliter dubitari potest utrum ab Episcopis Græcis ordinem Baptismi juxta eorum Euchologium servantibus, fuerint baptizati*. Videsne Romanos Pontifices locutos de Græcis presbyteris Latino Episcopo subjectis? Vides ideo nullam irritamque esse consignationem istorum presbyterorum, quia à Romano Pontifice illis in Italia, & insulis adjacentibus non conceditur confirmandi facultas? Vides idem asserendum non esse de Græcis presbyteris constitutis sub Episcopis item Græcis, à quibus sinit Romanus Pontifex teneri hac in parte instituta majorum, nec idem affirmandum fore de Occidentalibus, si horum alicui urgente de causa Romanus Pontifex impertiretur *extraordinariam* confirmandi facultatem? Tene igitur quod in eadem Constitutione §. IX. num. 24. Papa BENEDICTUS declarat, his nempe, quæ pro Italo-Græcis concessa sunt, aut prohibita, nullum quantumvis minimum præjudicium inferri *Græcorum in Oriente sub propriis Catholicis Episcopis, Archiepiscopis, vel Patriarchis commorantium, & aliarum Christianarum nationum quorumcunque Rituum à Sancta Sede approbatorum, seu permissorum juribus qualibuscunque, si quæ illis de jure, vel ex consuetudine, vel alias quomodolibet legitime competant*. Inter ea verò, quæ in Græcis hujusmodi permittuntur, est collata à presbyteris baptizantibus Confirmatio.

17. Oppugnatur ex Concilio Senonensi.

Opp. ulterius: Concilium Senonense celebratum anno 1528. non, ut vulgo fertur, anno præcedenti, tricesimo octavo decretorum inquit: *Quoniam Abbates nonnunquam attentant munus Confirmationis conferre, idque venditant ex consuetudine præscripta ad se pertinere; nos attendentes hanc impositionem manuum à Christo primum institutam, & ab Apostolis receptam, solis Episcopis (qui Apostolorum sunt successores) reservatam, consuetudinem hujusmodi, quæ potius corruptela dicenda est, reprobamus*. Si ergo Abbates confirmare non possunt, quanto minus inferiores presbyteri? Vide tom. XIV. Concil. pag. 480.

18. Respondetur ad Concilium.

Resp. ex Concilio Senonensi id unum colligi, Abbates non posse *ordinaria* potestate, quam sibi *ex præsumpta consuetudine*, nunquam in Occidentali Ecclesia universim recepta, sibimet arrogabant, confirmare neophytos & calices consecrare: nequaquam verò inde inferri, non posse Abbatibus hanc delegari facultatem. Hinc verbis proximis legimus, si Abbatum aliquis affirmat se tali potestate præditum, non quidem *ex consuetudine*, sed *ex privilegio*, teneatur ejusdem privilegii authenticas literas exhibere: quod potius probat (inquiunt J. CC. apud Em. Gonzalez tom. I. pag. 172.) aliis ab Episcopis facultatem confirmandi posse *ex privilegio* competere. Verba autem Senonensis Concilii hæc sunt: *Quod si qui sint, qui contendant sibi competere hanc facultatem ex privilegio; volumus, quod cum primum fuerint*

fuerint requisiti à Suffraganeis nostris, de privilegio fidem facere teneantur. Et idem statuimus observandum, quantum ad illos, qui calicum consecrationem attentant. Idem, quod de Abbatibus, dicendum est de Chorepiscopis; quos certum est aliquando non solum confirmasse, sed etiam minores ordines, & subdiaconatum contulisse, ut scribit Isidorus lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 6. pag. Rom. edit. 19. & constat ex canone 3. Concilii Regensis celebrati an. 439. tom. III. Concil. pag. 1287. Quos tamen Chorepiscopos non potuisse *ordinaria* potestate baptizatos confirmare, perspicuum est ex Epistola v. Damasi tom. 2. Concil. pag. 879. ex Epistola Joannis III. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, tom. v. pag. 823. ex canone VII. Concilii Hispalensis 2. eodem tomo pag. 1666. ex Capitulis Ecclesiasticis Caroli Magni, tit. IV. cap. 2. ex Concilio Meldensi celebrato anno 845. canone 44. tom. Conc. VII. pag. 1833. atque ex aliis Ecclesiasticis monumentis; quæ nunc prætermitto, propterea quod de Chorepiscopis alio in loco sit pertractandum.

19. Alia adhuc objectio.

Denique oppones: Potestas confirmandi, quæ ordinario jure competit solis Episcopis, non est potestas jurisdictionis, sed Ordinis; si enim foret potestas jurisdictionis, posset quoque consignare Episcopus electus, & nondum consecratus, imo & Diaconus, & simplex Clericus Episcopo consentiente: aut ergo ea confirmandi potestas etiam presbyteris ordinario inest jure, aut nulli potest extraordinaria delegatione committi. Et probatur consequentia ista: enimverò vel Episcopo competit potestas hujusmodi, quæ Ordinis est, ratione consecrationis sacerdotalis, aut ratione consecrationis Episcopalis. Si primum affirmes; igitur quilibet sacerdos tali consecratione insignitus, saltem valide, confirmabit, tametsi Episcopus id vetet, prohibeatque: si verò pronuntias alterum; nulli ergo presbyterorum potest ea facultas committi, nisi prius in Episcopum sit consecratus.

20. Respondetur.

Respondetur, valde nos mirari, quod hæc argumentatio adeo perdifficilis videatur Scholasticis, ut in ea diluenda tam diversæ tradantur rationes, ut quidam in his exponendis septem insumat paginas. Dicimus nos Episcopum ex propria consecratione, (aut imprimat hæc peculiarem characterem, aut sit major characteris presbyteralis ampliatio & extensio,) nanciscì, ut sit Sacramenti Confirmationis *ordinarius* minister; & presbyterum ex consecratione Sacerdotali, cui nequaquam est illa characteris, atque potestatis amplitudo, habere, ut possit esse Confirmationis minister *extraordinarius*: eo ferme pacto, quo Episcopus habet ex propria consecratione, ut conferat Ordines; & presbyter ex consecratione sua tantum habet, ut ordinare valeat, si id ei committat Romanus Pontifex. Cujus rei si causam rationemque expostules, hanc unam proferimus; quoniam Episcopi Romani, summique Pastores Confirmationem collatam ab Episcopo consecrato semper validam censent; à presbytero autem non ita, nisi obtinuerit à Sede Apostolica facultatem. Docet ergo hac praxi Ecclesia, Episcopum consecratione sua *actu* hujus Sacramenti ministrum constitui, presbyterum consecratione sacerdotali acquirere potentiam quamdam, sive *aptitudinem*, ut possit constitui: nec video quid hæc responsio præseferat difficultatis. Ab ea parum recedit Bellarminus de Confirmat. cap. 12. Sylvius in 3. p. q. 72. art. 11. Farvacques in Opusculo sæpe laudato pag. 128. Tournely pag. 285. aliique viri percelebres: tametsi permulti quæ perspicua sunt, ut plurimum, reddant obscura. Corruit eadem responsione quod urget Estius dist. 7. §. 21. ex cap. penultimo, Extra de Consecrat. Eccl. vel Alt. ubi legitur de Episcopo; *Quæ ordinis Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare.* Nescio, cur Vitasii Continuator pag. 481. scribat *in nullis decretis canonicis* hæc haberi. Adeat Decretalium lib. III. tit. 40. cap. *Aqua per Episcopum*, eaque adinveniet. Sed quid inde? Non potest presbyter esse Confirmationis *ordinarius* minister, id enim est ordinis Episcopalis; nec potest Episcopus demandare inferioribus Clericis, ut confirment; quod potest tamen demandare summus Pontifex. Nihil aliud inferas ex eo capite: quin Estius revincitur exemplo eo loci producto Chorepiscoporum, siquidem hos aliquando *ex delegatione* confirmasse liquet ex præcitata Regensi Synodo. Addo in capite *Aqua* sermonem fieri de reconciliatione Ecclesiæ, quam in provincia Bracarensi simplices Episcopi faciebant aqua per Episcopum benedicta, & Rescripto ad Episcopum Asturicensem prohiberi hujusmodi reconciliationes, eoquod spectent ad potestatem ordinis Episcopalis; & nihilominus eodem capite Gregorius IX. tolerat, & ratas habet reconciliationes hactenus factas per simplices sacerdotes: ideoque ex

hoc ipso capite, quod objicitur, apertè constat, posse summum Pontificem committere presbyteris quædam, quæ sunt Ordinis Episcopalis.

21. Propositio 3tia.

Prop. III. Ut valide possit simplex presbyter confirmare, necessaria est in Ecclesia Occidentali Summi Pontificis delegatio; in Orientali autem perantiqua, & universim recepta consuetudo, quam idem Romanus Pontifex aut approbet, aut saltem permittat.

Quamquam enim oppositum docere videantur Ledesma, Alphonsus Salmeron, Layman, ac ex nostratibus Basilius Poncius, Farvacques, Vanroy, idque summatim quidem, sed eruditè nitatur demonstrare cap. 5. ac duobus sequentibus Lucas Holstenius; hi tamen, nostri præsertim instituti, loquuntur Romani Pontificis reservatione secluſa, ac longe probabilior est sententia aliorum ferè omnium recentiorum, ac veterum Theologorum, asserentium penes Episcopum non esse dispensare cum presbytero, ut sacramentum hoc possit administrare. Atque hanc sententiam principio veram esse commonstrat quod ait Eugenius IV. aut de Sardinienſibus, aut de quibusdam aliis presbyteris, aliquando hoc administrasse Sacramentum *per Apostolicæ Sedis dispensationem.* Eo quoque spectant definitiones permultæ Pontificum, atque Conciliorum; quæ declarant confirmandi munus pertinere ad apicem Pontificatus, sive ad Ordinem Episcopalem: quoniam etsi Episcopus possit presbytero, imo cuivis Clerico demandare quæ *jurisdictionis* sunt, ut mox repetam, nequit tamen illis committere, quæ sunt *Ordinis.* Præterea Clemens VI. in literis ad Patriarcham Armeniorum, apud Raynaldum ad an. 1351. num. 12. hæc scribit sedulò à Theologis, qui tenent oppositum, expendenda: *Primo de Consecratione chrismatis, si credis quod per nullum sacerdotem, qui non est Episcopus, potest chrisma ritè & debitè consecrari. Secundo si credis, quod Sacramentum Confirmationis per alium, quam per Episcopum, non potest ex officio ordinariè ministrari. Tertio si credis quòd SOLUM per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio sacramenti Confirmationis presbyteris, qui non sunt Episcopi, committi. Quarto si credis, quod chrismati per quoscunque sacerdotes, qui non sunt Episcopi, nec à Romano Pontifice super hoc commissionem, seu concessionem aliquam receperunt, iterum per Episcopum, vel Episcopos sint chrismandi.* Quid expressius, quid clarius produci potest? Nunquid hæc Scholasticos disputatores fugerunt? Num distinctiunculis eludi possunt, aut emolliri? Accipiant, si id non sufficit, recentissimam constitutionem. Diximus paulo supra BENEDICTUM XIV. declarasse irritas, nullasque Confirmationes collatas à presbyteris Italo-Græcis, hac producta ratione, *Cum neque per Prædecessores nostros, neque per nos Græcis presbyteris in Italia, & in insulis adjacentibus, ut infantibus baptizatis Sacramentum Confirmationis conferant, facultas concessa sit, aut concedatur.* Postremo rationem quoque assignavimus ex cap. *Aqua*, Extra de Consecrat. Eccles. vel Alt. quoniam scilicet Episcopus *quæ ordinis Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare.* Subscribendum proinde absque ulla hæsitatione censemus auctori Glossarum in Decretales Gregorii IX. lib. 1. tit. 4. de Consuetudine, cap. *Quanto*, scribenti: "Episcopi licet ipsi possint chrismare, non possunt id aliis inferioribus demandare, qui hoc ex officio facere non possunt: sed alii Episcopi, vel Archiepiscopi possunt hoc facere in Diœcesi alterius Episcopi de ipsius licentia. Episcopi enim ea, quæ sunt jurisdictionis, ut puta judicare, excommunicare, & similia, committere possunt aliis, etiam non habentibus jurisdictionem: ea vero quæ sunt ordinis Episcopalis & auctoritatis, non possunt demandare, aut etiam delegare aliis, qui sunt inferioris gradus, De consecr. Eccl. vel alt. cap. *Aqua.* Argumento hujus decreti videtur quod Papa non possit hoc delegare simplici Sacerdoti: sed Papa non subjicitur legibus ff. de Legibus L. *Princeps* 9. q. 3. *Cuncta:* unde potest committere simplici sacerdoti, ut cap. *Pervenit*, dist. 50. num. 9.„

22. Respondetur ad aliqua adversariorum argumenta.

Neque enim quidquam evincunt adversariorum argumentationes. Inquiunt hi, Episcopum esse *pastorem ordinarium* in diœcesi sua, quemadmodum Papa in orbe universo. Sed quid inde? Ergone habet Episcopus plenitudinem potestatis, quam habet summus Ecclesiæ Pastor? Ergone potest Episcopus demandare presbytero, ut conferat minores Ordines? Ergone tam quæ sunt *jurisdictionis*, quam quæ sunt *Ordinis* Episcopalis, potest committere Clericis gradus inferioris? At id prohibent Ecclesiastici canones. Addunt confirmasse olim absque Pontificio consensu in Occidentali Ecclesia Chorepiscopos, & etiamnum in Orientali confirmare presbyteros; complures quoque Synodos,

ut

ut Illiberitanam, Toletanam secundam, Arausicanam primam, aliasque presbyteris idem munus, absente Episcopo, demandasse. Verum & hæc nihil probant. Nam, ut mittam quæ supra animadverti, Corepiscopis facultatem confirmandi fuisse non semel denegatam, hosque canones accipiendos non esse de Confirmatione Sacramentali, nego presbyteros tali potestate donatos, Romano Pontifice dissentiente; sed affirmo, ubicunque viguit consuetudo, ut confirmarent presbyteri, summum Pontificem consuetudinem illam approbasse tacito saltem consensu, illam videlicet non corrigendo; postquam verò in presbyteris Italo-Græcis eandem consuetudinem correxit, & reprobavit; cum in his, tum in Latinis omnibus requiri expressam, apertamque ejusdem summi Pontificis permissionem: quod satis, ut mea fert opinio, apparet ex dictis.

ANNOTATIO.

25. Annotantur variæ Theologorum lucubrationes de Confirmatione.

Cur in perdifficili hac quæstione, & præsertim in secunda thesi dilucidanda omiserim plura in Theologorum lucubrationibus dispersa, quæ utique nullius fuisset operis aut exscribere, aut mutilare, aut in unum colligere, ac potius dederim operam, ut insererentur firmiora, suis tamen in fontibus perspecta, rerumque accessione & pondere locupletata, paucis est lectori humanissimo aperiendum. Principio quod profert illustris Sylvius præcitato art. 11. de Anania, qui Saulo manum imposuit; ad sententiam firmandam nostram minus valere hinc apparet, quòd illa manus impositio non fuerit *Confirmatoria*, nec liquido constet Ananiam Episcopali charactere non fuisse condecoratum. Deinde canones ab Holstenio cap. 3. & à Morino 13. & 17. productos non adhibuimus in postrema thesi stabilienda, propterea quod perperam accipiantur de *chrismatione frontis*, ut diximus prop. 1. ad 2. oppositionem. Eandem rationem habuimus vicesimi canonis Synodi Toletanæ; tametsi Farvacques q. IV. §. 3. ejusque sectatores Vanroy tom. IV. pag. 175. & Piette tom. V. pag. 424. negent ibidem agi *de chrismatione* tantum *verticali*; imo Holstenius cap. 7. scribat eos, qui id reponunt, auctoritatem canonis eludere putido, frigidoque responso, ac prodere summam ignorantiam Ecclesiasticæ antiquitatis, quoniam in veteri Ecclesia erat una & sola *chrismatio*, & Innocentius I. eam divisit in *frontalem*, & *verticalem*; hæc tamen omnia à me supra fuerunt dispuncta: imo vir præstantissimus, dum aliorum carpit, & vellicat ignorantiam, non advertit Toletanam primam Synodum illud præscribere, quod ab ætate Sylvestri in consuetudinem receptum fuerat. Quod enim Holstenius ait, Sylvestrum permisisse presbyteris omnibus *unctionem Sacramentalem in fronte*; idque perspicue tradere Anastasium Bibliothecarium, sive Auctorem, quisquis sit, libri Pontificalis, falsum id est: neque τὸ *in fronte* legitur in Sylvestri decreto. Vide Anastasium tom. 1. pag. 302. & notas eruditorum pag. 306. necnon observat. Menardi in lib. Sacram. Greg. tom. 3. pag. 385. Nullam præterea in eadem thesi vim habent quæ scribit prælaudatus Innocentius Primus Epist. ad Decentium cap. 6. non esse energumenis manum à presbytero, vel diacono imponendam, *nisi Episcopus auctoritatem dederit id efficiendi*: unde inferunt Joannes Morinus cap. 16. atque Holstenius cap. 2. posse *presbyteros*, & *diaconos* consignare Episcopi auctoritate & præcepto. Nam, præterquam quod Diaconis nec Græci concedunt, ut chrisment, decipiuntur qui unctionem, atque impositionem manuum factam sonticis atque energumenis censent esse *chrismationem Sacramentalem*; cum semper in Ecclesia consuetum fuerit vexatos à dæmone per impositionem manuum, orationem, signum crucis, atque inunctionem factam sacro oleo expiare, non ut reciperent sacramentum Confirmationis, sed ut à vexatione liberarentur; quod utique Episcopi auctoritate facere possunt presbyteri, aliique clerici. Atque id exquisitis exemplis demonstrat auctor adnotationum ad præcitatum Morini caput, pagina 79. & sequenti. Addé non sibi recte constare Morinum, qui cap. 13. pag. 65. scripserat, *nunquam* licitum fuisse *Diaconis* confirmare, *neque apud Latinos, neque apud Græcos*. Infirma quoque videntur mihi ad demonstrandam potestatem confirmandi factam presbyteris nonnulla Patrum testimonia, quæ post Arcudium idem Morinus, Basilius Poncius, aliique complures producunt; & quæ detorquet callidus verlutusque Dallæus ad sententiam hæreticorum, asserentium presbyteros esse ministros Confirmationis *ordinarios*. Afferunt Scriptorem Constitut. Apostolicarum ita lib. VII. cap. 22. pag. 368. loquentem, περὶ δὲ βαπτίσματος ὦ ἐπίσκοπε ἢ πρεσβύτερε διεταξάμεθα, &c. *De Baptismate, ô Episcope, aut presbyter, jam antea constituimus.* Deinde, χρίσεις δὲ πρῶτον

πρῶτον ἐλαίῳ ἁγίῳ. ἔπειτα βαπτίσεις ὕδατι. καὶ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ: *Unges autem prius oleo sancto: deinde baptizabis aqua; & postremo signabis unguento.* Ergo (inquiunt) etiam presbyter potest chrismate consignare. Sed hanc illationem non percipio; siquidem Auctor ille brevi præstringit *quæ antea constituerat*, videlicet lib. 3. cap. 16. pag. 288. ubi tradiderat, baptismum Episcopis vel presbyteris, unctionem autem chrismatis soli competere Episcopo. Vide cap. 2. prop. 2. Itaque *divisim* accipienda sunt quæ ex libro VII. proferuntur, ita, ut baptismus aut Episcopo, aut presbytero, chrismatio Episcopo tantum, non utrumque utrique conveniat. Idem judicium ferendum est de Dionysio, seu Auctore Operis de Ecclesiastica Hierarchia, ex quo objiciunt quæ leguntur cap. 5. pag. 360. οὔποτε τὴν ἱερὰν θεογενεσίαν ὁ ἱερεὺς ἐνεργήσει τῷ θειοτάτῳ μύρῳ χωρὶς: *nunquam sacram divinamque generationem Sacerdos peraget absque divinissimo unguento.* Non enim ait unguento liniendam frontem à sacerdote; sed eo loci demonstrat vim Hierarchiæ, ut diximus prop. 1. ad 3. in eo sitam, quod Pontifex perficiat chrismate quos presbyter regenerat aqua: unde paraphrasis Pachymeris pag. 380. habet, *Antistite enim opus est, ut unguento inungant baptizatum*, χρεία γὰρ τοῦ Ἀρχιερέως ἔσαι, εἰς τὸ χρίσαι τῷ μύρῳ τὸν βαπτισθέντα, ac præcedenti §. 3. *Diaconi expiant, Sacerdotes illuminant, Episcopi perficiunt*, οἱ Διάκονοι καθαίρουσιν, οἱ Πρεσβύτεροι φωτίζουσι, οἱ Ἐπίσκοποι τελεῖσι. Contendunt docti quidam falli Pachymerem, & corrigendum ex Maximo scribente in eundem locum pag. 374. *Nota, Presbyteris (quos & sacerdotes vocat) non esse consecrandum & conficiendum unguentum, quin nec altare dedicandum, tametsi in eo offerant, uti nec ordinandum. Hæc enim solus Pontifex facit, sine quibus presbyter nec baptizabit, nec offeret; ubi autem hæc prius ab Episcopo fuerint consecrata, tum demum sacrum faciet.* Verum nec S. Maximus inquit baptizatum à presbytero *perungendum*, sed ait duntaxat, non posse presbyterum munera implere sua, aut sacrificii, aut solemnis baptismi, nisi & ipse, & altare fuerint ab Episcopo consecrata; non enim scribit, *Sine quibus neque baptizabit, neque inunget, neque offeret*, sed, ὧν ἐκτὸς ὁ πρεσβύτερος οὔτε βαπτίσει, οὔτε προσοίσει, *sine quibus neque baptizabit, neque offeret*, cautè verbo significante *unctionem* prætermisso. Neque enim S. Maximus oblitus erat eorum, quæ scripserat supra pag. 268. in Scholiis ad caput 2. *Episcopum in Ecclesiastico principatu permanentem eos, qui se convertunt, docere, ungere, confirmare, & post baptismum divini muneris participem reddere.* Tandem neque ex Chrysostomo, aut Oecumenio potest ostendi olim presbyteros consignasse; ac præter horum mentem sunt argumenta ex Commentariis in Acta Apostolorum petita: siquidem docet potius uterque, ut diximus prop. 1. munus & potestatem confirmandi fuisse τὸ δῶρον μόνων τῶν δώδεκα, *donum duntaxat duodecim*, scilicet Apostolorum. Quod verò pag. 96. inquit Morinus, hoc intelligendum esse *respectu diaconorum, non presbyterorum*, est commentatio violenta, falsa, verbisque Chrysostomi repugnans. Hæc mea est de argumentis in appendicem istam rejectis sententia. Si quis tamen illis majorem vim inesse contendat; haud injucundam sibi rem existimet me fecisse, quod ea confutando, unde deprompta sint, & à quibus tractentur accuratius, temperata animadversione prodiderim.

CAP. VIII.

CAPUT VIII.

In quo breviſſimè agitur de Confirmandis, tum de diſpoſitionibus, quæ in his requiruntur, necnon de hujus Sacramenti neceſſitate.

SUMMARIUM.

1. Omnis baptizatus eſt ſubjectum Confirmationis.
2. Parvuli etiam ſunt capaces hujus Sacramenti.
3. Attamen expectandus eſt uſus rationis, niſi contrarium expoſcat urgens cauſa.
4. Quid ſentiendum de ægrotis, amentibus, & energumenis.
5. De diſpoſitionibus confirmandi, & primò de præmittenda confeſſione.
6. Reſpondet auctor contrariæ ſententiæ defenſoribus.
7. In confirmando requiritur fidei notitia, & orationis frequentia.
8. & 9. De jejunio Confirmationi præmittendo.
10. usque ad 14. De neceſſitate Confirmationis.
14. An Confirmatio omnibus neceſſaria.
15. Quis dicendus ſit contemnere Confirmationem.
16. Quinam ſpecialiter teneantur operam dare, ut confirmentur.

1. Omnis baptizatus eſt ſubjectum Confirmationis.

DIXI de legitimo Confirmationis miniſtro; nunc agam brevi de *ſubjecto*, ſive Confirmationem ſuſcipiente: etſi enim aliqua ſcitu ſint neceſſaria; non ſunt tamen difficilia, nec diſputationum ambagibus implicata. Igitur quæritas priori loco, quinam confirmari poſſit, ac ſit ſacramenti, de quo diſſerimus, *ſubjectum?* Reſpondemus autem homines omnes, dummodo ſint initiati baptiſmate, eſſe ad recipiendum Confirmationis *characterem* idoneos. Omnes quippe adverſus ſpiritales nequitias, adverſus Chriſtiani nominis hoſtes, adverſus humanæ naturæ imbecillitatem debent Chriſti ſignaculo, & Spiritus ſancti fortitudine corroborari. Hinc Act. 2. legimus, Spiritum ſanctum *totam* impleviſſe *domum:* quod Doctor Angelicus q. 72. art. 8. egregiè de effectu hujus ſacramenti omnibus *in domo*, id eſt, in Eccleſia exiſtentibus conferendi, interpretatur. At ſolos baptizatos eſſe confirmandos, infertur primò ex praxi Eccleſiæ ab Apoſtolis derivata, juxta quam baptizatis tantum dederunt, & dant modo Antiſtites per manuum impoſitionem Spiritum ſanctum: deinde confirmatur ex quo à Conciliis, & Patribus Confirmatio dicatur *conſummatio*, & *perfectio baptizatorum:* demonſtratur præterea ex eo, quod nativitas ſtabilimentum præcedat, priusque debeat quis ſe principi mancipare, quam adſciſci inter milites; ac poſtremo inde ſuadetur, quoniam baptiſmus janua eſt aliorum ſacramentorum, nec poteſt Spiritus Chriſti particeps fieri, qui in myſticum ipſius Chriſti corpus nondum eſt cooptatus. Ob eandem rationem qui non eſt baptizatus, recipere nequit Ordinis characterem; niſi forte adſit baptiſmi præſumptio, ut habetur cap. *Si quis*, & cap. *Veniens*, Extra de Presbytero non baptizato, necnon cap. *Noviſſime*, de Conſecr. diſt. v. Si opponas, Centurioni collatum fuiſſe Spiritum ſanctum ante baptiſmum; eadem reſpondebo, quæ ſcripſi Volumine VI. nec opus eſt modo repetam.

II.

2. Parvuli ſunt capaces hujus Sacramenti.

Num ergo Confirmationis capaces erant homines infantilis ætatis, ac parvuli? Utique. Hoc enim patet ex ſæpe laudata Epiſtola Innocentii I. ad Eugubinum Epiſcopum, in qua cap. 3. legimus: *De conſignandis verò infantibus, manifeſtum eſt non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere.* In cap. etiam *Si qui*, de Conſecr. diſt. 4 habemus: *Si verò parvuli ſunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiunt, reſpondeant pro illis qui eos offerunt, juxta morem baptizandi: & ſic per manus impoſitionem chriſmate communiti, Euchariſtiæ myſteriis admittantur.* De infantibus quoque locutus eſt Magnus Gregorius ſcribens ad Januarium, ſupra prop. 2. cap. 7. Item S. P. Auguſtinus tract. VI. in Epiſt. I. Joan. n. 10. Habetur præterea inter decreta Burchardi Epiſcopi Wormacenſis lib. IV. cap. 19. *Annuncient presbyteri populis, ut quamcitius potuerint, ſuos infantulos ad confirmandum Epiſcopis præſentari faciant. Quod ſi neglexerint, & presbyter, & populus canonicis diſciplinis ſubjaceant.* Inſuper in Eccleſia Occidentali conſuetum olim fuiſſe infantes ſtatim poſt baptiſmum confirmare, dictum ſupra, & conſtat ex Ordine Romano, ubi tit. de Sabbato ſancto iſta leguntur: *Pontifex egreditur à fonte in Sacra-*

Sacrarium, habens ibi compositam sedem, ut in Ecclesia, ubi voluerit, & sedeat in ea, & cum vestiri fecerit infantes, confirmet eos. Extant similia in Sacramentario Gregorii. Græci autem etiamnum conferunt una cum baptismo Confirmationem; hujusque consuetudinis quidam Græcorum sunt adeo tenaces, ut puerorum, qui non consignati decedunt, videantur desperare salutem: quod tamen supinam redolet ignorantiam, uti apparebit ex iis, quæ de hujus sacramenti necessitate subjicientur. Tandem accedit ratio; quoniam defectus ætatis nullum affert impedimentum spiritualium animarum sanctitati, hujusque incremento. Vide præcit. art. 8. ad 2. beatum Thomam. His non repugnat quod parvuli incapaces sint aliquorum Sacramentorum; etenim ideo Pœnitentiam, Extremamque unctionem nequeunt percipere, quia nullum habent peccatum actuale, aut actualis peccati reliquias. Ordinis pariter ac matrimonii sunt incapaces, propterea quod attinent hæc duo ad peculiare vitæ genus propria voluntate ineundum. At Baptismi, Confirmationis, necnon Eucharistiæ capaces sunt omnes, qui spiritalem vitam, aut spiritalis vitæ possunt recipere perfectionem.

III.

5. Nisi urgeat aliqua necessitas expectandus est usus rationis.

Hinc oritur quæstio tertia, an & modo infantes statim post baptismum sint confirmandi, & cur Latina Ecclesia veterem disciplinam mutaverit? Quam sanè quæstionem solventes dicimus expectandum esse in confirmandis usum rationis, nisi ob urgentem aliquam causam aliter videatur Episcopo. Septennes quippe, aut grandiores, pueros esse consignandos statuerunt sub Paulo III. anno 1536. Synodus Colonienſis p. 7. cap. 9. Mediolanenſis 1. sub Pio IV. an. 1565. Mediolanenſis IV. sub Gregorio XIII. an. 1576. Mediolanenſis V. sub eodem Pontifice anno 1579. Aquenſis, Gregorio ipso sedente, anno 1585. Narbonenſis sub Paulo V. an. 1609. & Synodi aliæ, quarum canones elegit F. Gregorius de Rives pag. 150. Natalis Alex. in hac quæst. Regula VIII. tom. 2. pag. 667. & Martene de Antiq. Eccl. rit. cap. 2. art. 1. num. 6. Quibus addo Sacramentarium Ambrosianum, Manuale Salisburgense, Synodum & Manuale Cameracense, Bononiense per Cardinalem Paleotum, aliaque illustria monumenta, de quibus parte V. cap. 1. Basilius Poncius. Catechismus Romanus p. 2. cap. 3. *Si duodecimus annus* (inquit) *expectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maximè convenit.* Ratio eo loci insinuatur, quoniam scilicet pueri ante usum rationis apti non videntur ad pugnam, quam pro fide Christi tenemur inire. Rationes alias assignant Theologi apud Estium dist. VII. §. 23. quia majus est gratiæ donum, & tenacius inhærens, quod vigilante fide, & proprio mentis motu, ac prævia præparatione suscipitur; & quia confirmati meminisse debent hujus sacramenti, in quo levi etiam alapa accepta, admonentur esse pro fide contumelias & verbera perferenda. Prioribus autem sæculis confirmabantur infantes, & quia solemni baptismo aderant ut plurimum Episcopi, & quia persecutionibus, hæresibusque grassantibus facilius poterant baptizati corporalis, & spiritalis vitæ subire pericula.

IV.

4. Sententia de ægrotis, amentibus, & energumenis confirmandis.

Solet etiam quæri, an confirmandi sint ægroti, amentes, & sontici, vel energumeni. De ægrotis nulla difficultas esse potest. Confirmandos declarat Concilium Parisiense VI. libro 1. cap. 33. his verbis: *Infirmis & morte periclitantibus, sicuti baptismatis gratia succurrendum, ita incunctanter donum Spiritus sancti est tradendum.* Vide tom. 7. Concil. pag. 1621. Sacramentarium pariter Ambrosianum inquit de Parocho: *Aegrotos nondum confirmatos designabit, eosque Archiepiscopo denuntiabit, ne ingravescente morbo sine hoc sacramento decedant.* Habentur similia in præcitata v. Synodo Mediolanenſi. Nonnulli hanc rationem proferunt, quoniam infirmi cum morte sunt luctaturi: & quamvis alii doceant non esse necessarium hoc Sacramentum propter periculum pugnæ præsentis, quando mors non infertur propter fidem; defendi tamen potest ea ratio, quatenus in morte armari quisque debet adversus dæmonum oppugnationes. At S. Thomas præcit. quæst. 72. art. 8. ideo censet morituros consignandos esse, *ut in resurrectione perfecti appareant:* atque hanc rationem militare tam pro adultis, quàm pro parvulis monet in fine articuli idem S. Doctor. Quamobrem non est inutile, aut inconveniens, si etiam parvuli in mortis discrimine confirmentur, ut docent citato paragrapho Estius, Sylvius tom. IV. pag. 220. Habert cap. V. quæst. 5. aliique permulti. Contraria quidem consuetudo spectat potius commodum Episcoporum, quàm decedentium utilitatem.

tatem. Amentes, si lucida habeant intervalla, in his debent confirmari: si perpetuo amentes sint, frustra in eis tempus opportunum attenditur. Tantummodo si in amentiam inciderint gravi peccato inquinati, quoniam tunc percipere nequeunt effectum Confirmationis, non sunt sacro chrismate liniendi. Postremo etiam energumeni egent Confirmatione: imo hujus robore frangunt vires dæmonum, à quibus vexantur. Præceptor Malachiæ, ut scribit in hujus vita S. Bernardus, inungens puerum *lunaticum* chrismate, ipsum restituit sanitati: fregitque magicas incantationes vir Christianus eodem chrismate delibutus, prout narrat lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 41. Gregorius Episcopus Turonensis.

V.

5. De dispositionibus confirmandi, & primò de præmittenda confessione.

In iis verò, qui jam ratione utentes ad Sacramentum istud accedunt, quænam requiruntur animi, corporisque dispositiones? In primis certum nobis videtur ad percipiendum Confirmationis fructum, præmittendam esse confessionem peccatorum, si confirmandus sibimet conscius sit mortalis culpæ, quamvis cum Moralis Theologiæ pervulgatis Tractatoribus, etiam Ruardus, Dominicus Soto, & Estius censeant sufficere, si quis cum pia devotione, & corde contrito ad hoc sacramentum accedat. At Martenius citato capite de sacris, antiquisque ritibus art. 2. complures laudat canones, & Constitutiones Ecclesiasticas, præcipientes, ut adulti sacramentalem confessionem præmittant. Sunt verò decreta illa Odonis Parisiensis Episcopi, Herardi Turonensis, Guilelmi Maclovienſis, ac Synodorum Colonienſis, Lingonensis, Sennonensis, Carnotensis, Parisiensis. Adeasis Martenium tom. 1. prioris editionis pag. 237. Hæc, aliaque produxerunt etiam Farvacq. de Sacr. in gen. c. 7. q. 72. Merbesius 3. p. Summæ Christ. dissert. 2. q. 20. Natalis Alexander de Confirm. c. 5. Continuator Witasii pag. 579. & alii plures. Addere possemus antiqua statuta Ecclesiæ Aedicensis, Cadurcensis, Ruthenensis, Constantiensis. Leodiensis, aliaque collecta in Thesauro Martenii tom. IV. pag. 158. 469. 687. 807. Pauca producam: Burchardus lib. IV. c. 60. canonem affert illum: *Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur confessiones facere prius, ut mundi donum sancti Spiritus valeant accipere.* Desumptus est ex Capitulari Herardi Archiepiscopi Turonensis, edito anno 818. extatque cap. *Ut jejuni*, de Consecr. dist. 5. ubi attribuitur Aurelianensi Concilio. Sacramentale Ambrosianum ex Instructionibus S. Cardinalis Caroli, Synodorumque Mediolanensium decretis compactum, non solum docet confessionem præmittendam, verum etiam mandat pag. 54. *Ut confessionis præstitæ testimonium scriptum* confirmandi *ei præbeant, cui cura hæc commissa est.* Catechismus Romanus cit. cap. 3. num. 19. *Qui adulti jam ætate confirmandi sunt, siquidem hujus sacramenti gratiam & dona consequi cupiant, eos non solum fidem & pietatem afferre, sed graviora etiam peccata, quæ admiserunt, ex animo dolere oporteat. Qua in re etiam elaborandum est, ut peccata etiam prius confiteantur, &c.* Manuale Cameracense pag. edit. Plantin. 37. præcipit, ut confirmandi *sciant distincte Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum. Et insuper, ut adulti præmissa confessione illud suscipiant.* Item Salisburgense pag. 92. *Adulti sint à peccatorum sordibus per confessionem purgati.* Cardinalis Lambertini Archiepiscopus Bononiensis, nunc summus Ecclesiæ Pastor, Notif. edita anno 1732. die 15. Septembris plures istiusmodi definitiones affert, approbat, apertissimamque profert rationem ex D. Anton. p. 3. tit. 14. cap. 3. § 1. quoniam *qui renunciat Gratiæ baptismali, quod fit per mortale commissum, postea accedens ad Confirmationem cum eo, non confirmaretur in gratia, nec augeretur sibi gratia, imo mortaliter peccaret, & magis debilitaretur in anima, quamvis characterem reciperet indelebilem, & hoc nisi restitueretur prius gratia amissa, quod non fit nisi per Pœnitentiam.*

6. Respondet auctor contrariæ sententiæ defensoribus.

Haud me fugit opponere contrariæ sententiæ defensores nonnullos Provincialium Synodorum canones; quibus confirmandi *admonentur*, non jubentur, confessionem præmittere peccatorum. Hos collegit pag. 580. Vitasii Continuator. Verum admonitiones illæ aut præceptum non excludunt; aut non spectant ad illos, qui conscientia lethalis culpæ gravantur; aut vim duntaxat habent, si copia desit confessarii. Enimverò præscribunt iidem canones *maximum peccatorum dolorem, compunctionem animi, & confitendi propositum:* quæ omnia nego sincera esse, si contemnatur, quando haberi potest confessarius, Sacramentum Pœnitentiæ. Recole quæ scripsi libro XXX. cap. 18. prop. 3. Quod si opponas, præscribi

Ecclesiasticis definitionibus etiam jejunium, sine quo tamen Confirmationis obtineri potest effectus; puto latissimam esse disparitatem, siquidem effectum illum non ita impedit comesse, quomodo gravari peccato mortifero: nec percipio vim consecutionis istius, Possunt sacramenta *vivorum* ritè susci pi à non jejuno, ergo & *à mortuo*, Rectè patria lingua, ut rudiores quoque intelligant, sapientissimus Pontifex BENEDICTUS: *In ordine al Sagramento della Penitenza la ragione è troppo chiara, imperocchè essendo incompatibile la grazia col peccato, benchè non lo sia col carattere, se taluno per sua disgrazia riceveſſe in peccato il Sacramento della Cresima, ne riceverebbe il carattere, ma non la grazia, ed aggraverebbe la propria coscienza con un nuovo grave peccato mortale.* Nemo ergo nos rigidiores existimet, quod Volum. VI. eandem sententiam amplexati simus, eidemque modo adhæserimus.

VI.

7. In confirmando requiritur fidei notitia & orationis frequentia.

At, inquis, aliæne præter statum gratiæ requiruntur dispositiones in confirmandis? Sextam mihi proponis quæstionem solutu facillimam. Duo saltem videntur ulterius præmittenda, rudimentorum scilicet fidei notitia sufficiens, orationisque frequentia. Rothomagensis Synodus celebrata an. 1581. de Confirm. num. 1. inquit: *Monemus omnes parœcos, vicarios, & concionatores, ut initio Quadragesimæ, & quoties occasio se obtulerit, de ejus virtute, & utilitate doceant populum:* & sequenti num. præcipit, ut adulti profiteantur *symbolum Apostolicum.* Rhemensis an. 1583. num. 3. *Admoneanturque, ut symbolum Apostolorum, & orationem dominicam memoriæ mandent.* Burdigalensis celebrata eodem anno §. x. *Omnibus Episcopis mandamus, ut suarum diœcesum parochias sæpius obeuntes, hujus sacramenti vim populo explicent, aut explicandam curent.* Bituricensis anno proximo 1584. tit. xx. idem Ecclesiarum Rectoribus, &. scholarum Magistris distincte mandat can. 9. Recitandum quoque symbolum à confirmandis præcipit canone ejusdem tituli quarto. Idem præscribit Concilium Aquense celebratum anno 1585. Tolosanum an. 1590. cap. 3. Narbonense an. 1609. cap. 15. & Burdigalense an. 1624. cap. v. num. 2. Quæ omnia occurrent pervolutanti volumen xv. Conciliorum. De oratione autem prælaudatum Sacramentale sancti Caroli pag. 53. hæc habet: *Paucis ante ministrationem diebus Parochus in cujus Parochia hujus sacramenti ministratio indicitur, primo orationem publicam instituet, ut sui divinæ gratiæ dona uberrime recipiant,* & sequenti pagina de Confirmandis: *In primis frequentiori, & ardentiori religiosæ orationis studio devote seſe exerceant, exemplo sanctorum Apostolorum, qui dum expectarent Spiritum sanctum, perseverantes erant in oratione, & jejunio.* Plura de hac oratione præmittenda tom. v. pag. 319. Ludovicus Habert.

VII.

8. Sententia de jejunio Confirmationi præmittendo.

Commemoravimus nuper jejunium; estne illud quoque Confirmationi præmittendum? *Contrarius usus obtinuit, estque securus in conscientia*, inquit pag. 156. Franciscus Farvacques; qui & do. rationem producit, quoniam modo frequenter post meridiem fit confirmatio. *Seorsim à baptismo, & communione Corporis Christi.* At liquet, usum administrandi Confirmationem post meridiem esse adversus veterem disciplinam, universalem non esse, neque præscriptum fuisse jejunium confirmandis ratione tantum communionis. Atque de veteri disciplina videri possunt canones plurimorum Conciliorum sive apud Vicecomitem lib. 1. de Antiq. Baptis. ritib. cap. 29. sive apud Martenium tom. 1. pag. 237. sive apud Witassen pag. 578. sive apud Josephum Catalanium in Pontif. Rom. tom. 1. pag. 9. non enim necessum est, ut singulos proferamus. Testatur BENEDICTUS XIV. id per duodecim sæcula in Ecclesia servatum, ut jejuni tantum confirmarentur; hujusque rei testem producit Magistrum Sententiarum. Rectè; nam Magister qui obiit die 20. Julii an. 1164. scribit in IV. dist. 7. n. 4. *Hoc Sacramentum à jejunis accipi, & jejunis tradi debet.* Sed etiam post Magistrum pia illa consuetudo diu viguit, eamque inculcant Synodi posteriores, præcedenti numero laudatæ. Pontificale Romanum jussu Clementis VIII. editum, §. 7. tituli 1. *Confirmandi*, inquit, *deberent esse jejuni.* Sacramentale S. Caroli præcit. pag. 54. *Efficiet saltem* (Parochus) *ut pridie diei Confirmationis jejunent qui possunt.* Dabo recentiora. Cardinalis Vincentius Maria Ursinus in Synodo Beneventana an. 1693. tit. 36. cap. XI. inquit: *Laudabilem illam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem, ut nonnisi jejuni Confirmationis sacramentum suscipiant, sancta Synodus tenendam hortatur.* Idem ad summum Pontificatum evectus definivit in Concilio

cilio Romano anno 1725. tit. XXVI. cap. 4. ut sacramentum hoc ministretur, *semper, quoad fieri poterit, de mane in Ecclesia, & jejuni jejunis, maribus à fœminis seorsim dispositis, conferant; & adultis, nonnisi sacramentali prius confessione mundatis.* Quod servasse illius spiritus, thronique possessorem, regnantem Pontificem maximum, mox dicam. Igitur pervetusta illa consuetudo non fuit universim post duodecimum sæculum antiquata, vigetque adhuc apud præstantissimos Custodes canonum. Affirmo pariter, ubique non obtinere usum confirmandi *post meridiem.* Oppositum namque demonstrat primò ratio agendi illorum, qui jejuni jejunosque confirmant. Deinde ætate Amalarii Fortunati, qui floruit circa annum 830. administrabatur Confirmatio *secundum modum primitivæ Ecclesiæ hora tertia;* neque id Episcopus transgrediebatur ob neophytorum ingentem numerum: nam idem Amalarius hoc narrat de Eccl. Off. capite nono ac vicesimo. Insuper observatur adhuc Mediolani Sacramentale frequenter commemoratum S. Caroli: ubi & istud legas: *Constituta die bene mane omnes & mares & fœminæ cum suis patrinis in Ecclesiam suæ parochiæ ad signum campanarum conveniant, ut hora tertia confirmari possint.* Aquensis pariter Synodus celebrata, ut dixi num. 6. anno 1585. *Studebit* (inquit) *Episcopus hoc Sacramentum hora tertia ministrare, quæ hora ex antiquo usu stata est hujus Sacramenti, nisi necessitas aliud suadeat.* Assero tandem non ob percipiendam tantum communionem, sed ob aliam causam mane hoc Sacramentum esse administrandum, scilicet, quia super Apostolos *hora tertia* descendit Spiritus sanctus, cum jejuni essent, ac insisterent orationibus; quod & ex dictis consequitur, & affirmat paulo supra Sacramentale Ambrosianum, & habetur cap. *Ut jejuni,* & cap. *Ut Episcopi,* de Consecrat. dist. 5. num. 6. & 7.

9. Sententia auctoris.

Quamvis ergo fateamur posse Confirmationem quovis tempore ministrari, nec ignoremus quæ tradit S. Thomas q. 72. art. 12. ad 2. non esse coarctandum tempus Episcopis in ampla præsertim diœcesi; neque hactenus dicta servari debeant aliquo imminenti periculo: *ubi tamen congrue observari potest* (inquit eo loci Doctor Aquinas,) *convenientius est, ut à jejunis detur, & accipiatur.* Sed audiendus scientissimus canonum in Pastoralibus literis datis Bononiæ, die, & anno num. v. prænotatis, atque ita sermone Italo parochos, plebemque alloquens: *Per parte poi del corpo, oltre la divota esterna composizione, essendo Noi disposti ad amministrare questo Sacramento la mattina, brameremmo, che chiunque s'accosta à riceverlo fosse digiuno. Per dodici secoli della Chiesa così si è praticato, ed il Maestro delle sentenze è testimonio di questa pratica. Dopo il duodecimo secolo, conforme attesta S. Tommaso nella* p. 3. q. 72. art. 12. ad 2. *s'incominciò à dare anche à chi non era digiuno; ma insinuandosi nel Canone,* Ut jejuni, *è nel canone,* Ut Episcopi, *de* Consecrat. dist. 5. *molto bene considerati dal Venerabile Cardinale Bellarmino nel Tom. 3. delle sue controversie* lib. 2. cap. 13 *in fine, che sarebbe bene, che il conferente, è quelli, à' quali si conferisce il Sacramento, fossero digiuni, è leggendosi nel Pontificale Romano,* Confirmandi deberent esse jejuni, *Noi certamente per noi abbracceremo questo consiglio, ed esortiamo ancora gli altri ad abbracciarlo.* Nil gravius pro sententia nostra dici poterat, nil clarius, nil melius.

VIII.

10. De necessitate Confirmationis mens auctoris.

Tenenturne baptizati omnes ad Confirmationem accedere? Respondeo me non subscribere immensæ illi Casuistarum multitudini, qui scribunt nullum de suscipiendo hoc sacramento extare præceptum, ideoque neminem, secluso contemptu, peccare mortaliter si non confirmetur. Primum itaque dico, Patres, canones, gravissimosque Theologos plurimum inculcare sacramenti hujus necessitatem. S. Cyprianus epist. 70. inquit: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit,* S. P. Augustinus lib. XVII. de Civit. Dei cap. 14. docet Christianos non recte vocari, nisi *chrismate unctos.* Gregorius Magnus lib. XIV. Epist. 32. nunc 17. jubet confirmari illos, de quibus prudenter hæsitatur confirmatos non esse, *Ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat.* Hæc pauca ex Patribus. II. Inter canones perspicuum est caput *Omnes,* de Consecrat. dist 5. depromptum ex Epistola Urbani, seu potius Isidoriana, *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* Laodicenæ Synodi canon 48. est: *Oportet eos, qui illuminantur, post baptismum inungi supercœlesti chrismate.* In canone *Ut jejuni,* citato §. præcedenti, hæc adduntur; *Nunquam erit Christianus, nisi Confirmatione Episcopali*

pali fuerit chrismatus. In Sacramentali Ambrosiano, & Concilio Mediolanensi IV. legimus: *Illis timendum valde, qui cum potuerint, in re salutari negligentes extiterint. Atque in Confirmationis sacramento suscipiendo negligentes, ut decreto provinciali ex canone Rhemensi cavetur, canonicis subjaceant disciplinis: & præterea parentes, quorum negligentia id factum est ex libro Pœnitentiali pœnitentiam olim egisse annis tribus apparet.* Prætermitto hujus generis plura. III. Tonant eadem voce Theologorum culmina. Hugo enim Victorinus lib. 2. parte VII. cap. 3. inquit: *Timendum est iis, qui per negligentiam amittunt Episcopi præsentiam, & non suscipiunt manus impositionem, id est, Confirmationem, ne forte damnentur, quia festinare debuerunt, dum potuerunt.* S. Thomas 3. p. q. 72. art. 1. ad 3. docet Confirmationem necessariam esse, quatenus cooperatur ad perfectionem salutis, *quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu sacramenti.* S. Bonaventura in IV. dist. 7. art. 3. q. 2. *Dicendum est* (inquit) *quod est necessitas simpliciter, & necessitas conditionata. Simpliciter non est gratia Confirmationis necessaria, sed necessaria ex conditione; scilicet pugnanti, & vincere volenti, sicut comedere necessarium est vivere volenti.* Idem tradit, utiturque eadem comparatione Gerson in Compendio Theologiæ.

11. Confirmatio non est necessaria necessitate medii.

Deinde affirmo hoc Sacramentum non esse necessarium ad salutem *necessitate medii.* Id extra controversiam positum est; siquidem si baptizati antequam ab Episcopo confirmentur, & ad usum rationis perveniant, acerbo tollantur funere, cum *nihil damnationis* sit in eis, transferuntur in regnum. Quod Hieronymus asserit etiam de iis, qui *in viculis ac remotioribus locis* piè fatis cedunt, priusquam invisantur ab Episcopis. Canon quoque 77. Illiberitanus baptizatis à Diacono plebem regente, si decedant antequam perficiantur per Episcopi benedictionem, salutem tribuit æternam. Sunt inter Theologos aliqui affirmantes Confirmationem necessariam esse *necessitate medii*, non quidem ad consequendam salutem, sed ut quis sit perfectè Christianus. Ita sentit Continuator Witasii pag. 630. quod probat, ex D. Thoma, cujus 3. p. q. 72. art. 6. ad 1. hæc sunt verba: *Sicut nullus consequitur effectum baptismi sine baptismi voto: ita nullus consequitur effectum confirmationis sine voto ipsius.* Sed animadvertit Sylvius in art. VIII. ejusdem quæstionis, per votum Confirmationis nihil aliud intelligere D. Thomam, nisi voluntatem saltem implicitam non negligendi, neque contemnendi ipsam Confirmationem, quandoquidem robur & gratia ad fidei professionem necessaria obtineri potest oratione, jejuniis, aliisque bonis operibus. Hæc Sylvius. Possumus tamen proprie Divum Thomam intelligere de necessitate Confirmationis saltem in voto comparatè ad illos, quibus coram tyranno fides propugnanda est, aut subeundum martyrium; nam hoc sensu explicat doctorem Angelicum Suaresius Comment. ejusdem articuli sexti: imo quadrat hæc interpretatio difficultati initio articuli propositæ. Auctor librorum de re Sacrament. pag. 349. ait, Confirmationem necessariam esse *necessitate medii* ad habendum hujus sacramenti characterem. Quis id vertat in dubium? Hoc pacto *necessarium* dixeris tali necessitate etiam Sacramentum Ordinis, ad salutem nequaquam singulis necessarium.

12. Est tamen aliquibus necessaria necessitate præcepti vel in voto vel in re.

Tertio itaque loco assero Confirmationem necessariam esse sive in re, sive in voto, necessitate præcepti non tantum Ecclesiastici, verum etiam divini, iis, qui vel coram Tyranno profiteri fidem debent, vel adversus Christianam fidem crebris, gravibusque tentationibus exagitantur. Quamquam enim permulti Casuistarum, qui omnium teruntur manibus, ut Layman, Bonacina, Navarrus, necnon Sylvius in 3. p. q. 72. art. 8. ac Suarez disp. 38. sect 1. asserant nullum dari suscipiendæ Confirmationis præceptum; benè tamen sapienterque scribit BENEDICTUS XIV. Notif. prælaudata, teneri oppositum à Theologis celebrioribus. Certe, ut mittam Estium dist 7. parag. 18. Natal. Alex. de Conf. cap. 4. prop. 2. Juenin q. 8. concl. 2. Ludovicum Habert cap. 9. Nicolaum L' Herminier tom. 1. de Sacram. pag. 137. Tournely pag. 263. Auctorem librorum de Re Sacr. pag. 348. aliosque præ cæteris hac ætate commendatos, conspirant in eam sententiam nostratium omnes, Basilius Poncius p. 5. cap. 2. Franciscus Farvacques cap. 5. q. 2. Leonardus Vanroy quæst. 9. Fridericus Gavardi q. 1. art. 6. Imo & Sylvius fatetur, non excusari à mortali peccato, qui persecutionis tempore negligeret Confirmationem; ac Suaresius videtur quibusdam parum sibi constare, dum citata dissert. 38. scribit nullum dari Confirmationis præceptum proprium, nec esse peccatum mortale hoc sacramentum voluntarie omittere, posteaquam Comment.

ment. in art. 6. scripserat urgere hoc præceptum, *saltem in eo articulo, in quo urget necessitas publicè confitendi fidem coram tyranno:* quod & nos paulo supra animadvertimus. Nostra autem sententia principio suadetur præcitato Laodiceno canone, productaque auctoritate Cypriani: ubi ea verba *Necesse est, oportet, debent*, sonant vim præcepti, nisi respectu omnium, comparate ad eos saltem, qui ineunt pro fide certamina, periculisque jactantur hanc pessundandi. Præterea in cap. *Spiritus sanctus*, de Consecrat. dist. 5. habentur hæc: *Quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Idem probatur verbis Divi Thomæ 3. p. q. 72. art. 6. ad 1. hoc eodem paragrapho recitatis. Evincitur hoc idem ratione; est enim summa præsumptio, in re talis momenti, qualis est Christum confiteri, in tanto discrimine, quantum procul dubio censendum est minis, promissis, ac tentationibus percelli, remedia efficacia, atque ob hunc præsertim finem instituta contemnere. In hoc itaque casu qui non curat, ut ab Episcopo confirmetur, sese lethali culpa inquinare, docet Estius, docet Sylvius, docet Basilius Poncius, docent (inquit BENEDICTUS XIV.) celebriores Theologi. Postremo idem BENEDICTUS in Constitut. de Ritibus Græcorum §. 3. num. 4. declarat confirmatos à simplici sacerdote non habente Sedis Apostolicæ auctoritatem, confirmandos ab Episcopo, & commonendos ab Ordinariis locorum, *eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possint ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt.*

13. Respondet auctor adversis argumentis.

Duo tamen sunt, quæ dictis possunt opponi. Unum, quod hujus præcepti nullum in sacris literis, vel apud Patres extet vestigium: alterum, quod Confirmationis defectum supplere queat *unctio verticalis.* Verum enimverò inania ista sunt. Primum siquidem facile refutatur, cum non desint docti viri, qui istiusmodi præceptum comprobent ex Act. 1. & 8. ubi legimus Jesum præcepisse Apostolis, ne discederent Jerosolymis, *sed exspectarent promissionem Patris*, scilicet Spiritum sanctum: quod utique præceptum, si non omnes, eos saltem comprehendit, qui ante reges, & præsides in testimonium fidei trahuntur. Sunt insuper qui præceptum illud inferunt ex praxi Ecclesiæ, quæ semper olim baptizatis impendit Confirmationem, & persecutionum transacto tempore, hæresibusque devictis, non vult illam parvipendi, & contemni. At contemptus foret maximus, illius robur in statu, de quo disserimus, aspernari. Praxis verò, cujus institutionem aliam non invenimus, ab Apostolorum temporibus, & à Christo repetendam esse, haud semel est definitum. Quamvis præterea nullibi occurreret tale præceptum *explicitum*; illud jure meritoque adesse diceretur, ubi eget homo Spiritus sancti robore ac firmitudine, ex quo sciamus fuisse Confirmationem hujus rei gratia institutam. Hac ergo ratione refutatur prior oppositio. Ad alteram respondetur *unctionem verticalem* supplere effectum gratiæ, quam confert Confirmatio, quando hæc nequit haberi, neque id præstare per se, sed ratione fidei, ex opere operantis, atque per votum Confirmationis suscipiendæ; nam ut Rabanus inquit lib. 1. de Instit. Clericorum cap. 28. unctio verticalis *significat Spiritus sancti descensionem ad habitationem Deo conservandam*, non eam confert; atque, ut scribit Hugo Victorinus prælaudato cap. 3. illa unctio non est Sacramentum, sed ostendit, *quantum Sacramentum istud necessarium sit ad salutem.* Jure itaque Parisiensis Academia an. 1625. confixit hanc quorumdam Anglorum propositionem: *Chrismatio, quam sacerdos in baptismo facit, ideo est ab Ecclesia instituta, non solum ut chrismationis Episcopalis significationem, verum ut effectum ipsum suppleret, id est, ut homines in gratia baptismatis conservaret confirmaretque.*

IX.

14. Confirmatio quomodo omnibus est necessaria?

De cæteris, qui in prædictis circumstantiis periculorum plenissimis non sunt constituti, quid existimas esse tenendum? Quod Theologi omnes, excepto nemine, affirmant, peccare mortaliter, quotquot saluberrimum hoc sacramentum habent contemptui. Nam & benigniores, qui suscipiendæ Confirmationis nullum extare præceptum universim pronuntiant, (quod tam absolute, me quidem judice, nefas est pronuntiare,) eam adhibent exceptionem, *modo absit contemptus*, in sententiam trahentes suam verba Aquinatis cit. q. 72. art. 1. ad 3. *Hoc modo Confirmatio est de necessitate salutis* (ad perfectionem scilicet comparandam) *quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti.* Nil hac veritate manifestius. Etenim ad producta superius monimen-

ta accedit Rothomagensis Synodus, definiens tom. xv. Concil. pag. 827. *imperfectum* esse, *nec omnibus armis instructum*, quem sacramentum hoc non corroborat. Turonensis ib. pag. 1012. declarans, *Confirmationem esse sacramentum ab omnibus maxime amplectendum.* Aquensis ib. pag. 1128. præcipiens, ut parochi, *omnes, quos in ætate legitima, qua eos Episcopus duxerit esse debere, cognoverint, ad illud suscipiendum omni cura, & diligentia adducant.* Narbonensis ib. pag. 1588. admonens Episcopos, ut sint solliciti, *ne per eorum negligentiam fiant vires populi sibi commissi ad resistendum imbecilliores:* Burdigalensis demum pag. 1642. mandans, *Ne sacramentum Confirmationis ad augendam Spiritus sancti gratiam, & in ea confirmandos fideles, ullatenus negligatur.* Sane hæc, & alia plurima hujus generis hortamenta ad Episcopos, ad parochos, ad parentes, ad fideles demum universos directa, nemo dixerit spectare ad rem parvi tenuisque momenti.

X.

15. Quinam dicendus est contemnere Confirmationem?

Verum quisnam contempsisse Confirmationem dicendus erit? Arbitror non eos tantum, qui spreverunt, & tanquam inutilem ceremoniam sacramentum chrismatis habuerunt, quod redolet sacrilegii crimen, hæresisque portentum; verum & illos, qui non ex contemptu, ut inquiunt, *formali*, sed ex negligentia non receperunt ipsam Confirmationem: adeo, ut si adsit Episcopus, ac se ad confirmandos neophytos denuntiet esse paratum, adulti ætate, nulloque legitimo impedimento detenti, dicendi sint hujus sacramenti *contemptores*, nec veniali, sed mortali peccato sese obstringant. Scio Doctores aliquos asserere, quod omissio Confirmationis sit grave peccatum grassante duntaxat infidelium, aut hæreticorum persecutione: at idem dicendum in casu nuper exposito, nec confirmandos tantum, verum etiam parentes, tutores, dominos, parochos gravis peccati reos esse, si non suscipiant, aut suscipiendam non curent ipsam Confirmationem affirmat Archiepiscopus Bononiensis, nunc beatissimus Pontifex in sæpe laudata Notificatione. Ne opineris, lector, virum summum secutum doctrinam rigidiorum Theologorum, æqua lance non ponderatam. Antequam enim Natalis Alexander, & reliqui num. viii. commemorati sua vulgarent scripta, imo antequam *rigidiorum* Theologorum audiretur nomen, Scotus in iv. dist. vii. q. 2. de hoc Sacramento scripserat: *Est tamen necessarium adulto sic, ut non contemnat*; ac subinde explicans quid sit contemnere, *Judicaretur enim contemptus, si omnimoda opportunitate oblata non susciperetur.* S. Bonaventura post verba num. viii. producta, *Ideo*, inquit, *si quis cum habet locum & tempus & opportunitatem, negligendo contemnit, periculo se exponit.* Auctor Summæ Angelicæ v. Confirmatio: *Itaque contemnens ipsum suscipere peccat mortaliter: propterea credo, quod notabilis negligentia Episcoporum in non conferendo illud, sit eis peccatum mortale.* Mitto juniorum quamplurimos. Hanc verò optimam, tutissimamque sententiam probo 1. quia præcitata Concilia docent sacramentum Confirmationis *amplectendum esse*, præcipiuntque, *ne ullatenus negligatur.* Dum ergo eos damnant qui illud *contemnunt*, accipienda sunt, inquit Franciscus Henno, non rigidus, sed benignus auctor, & Leonardi Vanroy antagonista) quæst. ix. Concl. 3. *non tantum de contemptu formali, qui semper est mortalis, licet res contempta sit tantum consilii, sed etiam virtuali, qui censetur adesse, quando res potest sine ullo incommodo obtineri, & tamen negligitur.* Ita explicandum contendimus S. Thomam 3. p. q. 72. art. 1. ad 3. Præterea Concilium Senonense an. 1524. ad hunc loquitur modum: *Omnes Christiani tam viri, quam mulieres usum rationis habentes, obligantur suscipere, aut saltem non contemnere Confirmationem: Contemni autem dicitur, quando Episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens negligit, aut despicit suscipere.* Vide Juenin in Comment. q. 9. cap. 2. art. 1. Nat. Alex. cap. 4. prop. 2. Reg. 2. Franc. Henno loco nuper citato: in quorum fide Synodum Senonensem anni 1524. laudavi, à Tournely quoque, & Vitasse commemoratam, quamvis eam me legisse non memini neque in Binii, neque in Labbei, neque in Harduini, neque in recentioribus Collectionibus. Idem evincitur ex Sacramentali Ambrosiano verbis S. Caroli, & Concilii Mediolanensis iv. conscripto, cujus verba dedimus octavo numero. Insuper Academia Parisiensis an. 1625. hanc aliam propositionem proscripsit: *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, nisi cum commode haberi potest, vel, ut alii dicunt, commodissime, quando sine ullo, vel minimo prorsus incommodo.* Censura autem Sarbonica his verbis comprehenditur, *Ista propositio*

est

est scandalosa, in maximum sacramenti Confirmationis contemptum, maligno animo proposita. De hac propositione Juenin, L' Herminier, Tournely, & Natalis Alexander præcitatis in locis. Tandem nonne peccat graviter, qui sponte exponit sese periculo cadendi in spirituali conflictu? Atqui tali periculo se exponit qui circumdatus infirmitate, lacessitus ab hostibus, & undique mundi irretitus illecebris, media necessaria ad vincendum, dum exhibentur, & habentur ad manus, rejicit & aspernatur. Graviter peccat igitur, &c.

XI.

16. Quinam specialiter tenentur operam dare, ut confirmentur?

Dic ergo, sodes, quos oportet non solum non negligere, verum & dare operam ut confirmentur, si valeant adire Episcopum? Dicam brevi. I. Qui ad negandam Christianam fidem à paganis vel hæreticis provocantur; & quibus memoria repetendum est quod de Novato legimus apud Eusebium lib. VI. cap. 34. ob confirmationem neglectam, *persecutionis tempore metu debilitatum, & nimia vitæ adductum cupiditate negasse se esse presbyterum.* II. Inter hæreticos commorantes, aut alias in periculis pessundandi fidem, morumque probitatem constituti. Horum præsertim causa decrevit Synodus Rhemensis tom. XV. Conc. pag. 891. sacramentum Confirmationis non esse prætermittendum *hoc tam calamitoso, & hæreseon pleno tempore;* ac pariter Archiepiscopus Cameracensis Guilelmus de Berges an. 1606. in Pastorali Admonitione: *Car bien que ce Sacrament soit tousjours fort salutaire, & que les anchiens Peres, & Docteurs de l'Eglise n'ayent reputé ceulx-la Chrestiens parfaicts, qui n'avroient receu l'imposition des mains de l'Evesque: toutes fois en ce temps plain d'heresie & de tout vice, il semble tellement necessaire, qu'on ne le deibt aucunement obmettre, &c.* III. Tridentinum Concilium sect. 23. cap. 4. de Reformat. hæc mandat, *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint:* unde infertur Confirmationem ante Ordines, necnon ante tonsuram esse suscipiendam. Sunt qui contendant subesse verbis vim consilii, non autem rigoroſi præcepti. Ita Navarrus, Soto, Suarez, Salmanticenses. At oppositum tenent nostrates, Basilius Poncius, Farvacques, Girken, Vanroy, Gavardi, aliique omnes, si unus excipiatur Gibbon. His subscribendum arbitror; nam principium juris est apud Panormitanum, cæterosque pertractantes de legibus, verba imperandi vim habere *in actu exercito* ad legem constituendam: quam doctrinam tradiderat ipsemet Suaresius lib. 3. de legibus cap. 5. num 8. Ac nisi illam amplectamur, quanta sacrorum conciliorum præcepta, hac subdola, laxaque interpretatione, quod hortatoria sint, eludi poterunt & contemni? Deinde sententia Navarri rejicitur in declarationibus Concilii Trid. factis à S. Rom. E. Cardinalibus pag. 294. edit. Lugd. ubi etiam ab eo, qui primam tonsuram petit, nisi possit aliter probare se confirmatum, requiritur saltem ut juret. Animadvertendum tamen harum declarationum permultas esse confictas, nec auctoritatem habere aliquam, nisi proferantur *in authentica forma*, ex decreto Urbani VIII. die 2. Augusti 1631. Ad hæc recipientes *coronam in capite* vocantur in Dei sortem, divino officio mancipantur, atque ab omni strepitu temporalium cessare debent, ex cap. *Duo sunt genera*, XII. q. 1. num. 7. Tenentur ergo præ cæteris Christianæ militiæ insignibus, armisque instrui. At irregularitatem non contrahere qui non recepta tonsura promoveretur ad Ordines, consentiunt omnes, idque infertur ex Regula XV. Juris in Sexto. IV. Idem, quod de initiandis tonsura, merito censet Farvacques de emittentibus professionem religiosam; hoc excepto, quod non invenimus de istis præceptum aliquod, sed congruentiam duntaxat, petitam ex genere vitæ, cui se obstringunt, atque ex necessitate superni roboris ad vincenda perduellis voluptatis, cupiditatum, carnisque luctamina. Hinc magnus Basilius serm. 1. Commonit. ad Vitam Monasticam ait: *Qui sanctorum Christi discipulorum commilitonibus cupis numerari, nervos tuos omnes ad rerum adversarum tolerantiam intendito, & forti animo ad veræ pietatis cultorum te cœtum conferto.* V. Continuator Witassii pag. 632. & Franciscus Hallier de sacris Ordinat. pag. 132. docent Confirmationem præmittendam sacro Virginum velamini: quod Hallier probat ex carmine Alcimi Aviti ad Fuscinam sororem, ibi namque hi versus leguntur:

. . . . . Dominus plebem cum forte doceret
Pervigili cura supremum noscere tempus,
Expectare diem, quo judex imminet orbi,
Virginibus sancto signatis chrismate confert.

Aliter

Aliter Hallier hos versus laudat: sed vide tom. IV. Bibl. Patrum pag. 624. Ex eodem carmine superiori pagina hanc rationem depromo:

Namque ibi bellatrix, & pleno robore pollens
Virginitas armata venit: quam fœda libido
Appetit, & casso vocat in certamina nisu;
Si bellatricem te sentiat æmulus anguis,
Cumque lacessitæ concedent prælia palmam,
Læta feras summum calcato ex hoste trophæum.

Hæc verò, sicuti de religiosis viris dixi, congruentiæ rationem habent, non præcepti. VI. Eos, qui parato Episcopo possunt confirmari, si id negligant, peccare lethaliter satis commonstrat præcedens sectio. VII. Qui demum ad ætatem longævam differunt tam salubre remedium, cogitare debent Apostolos, *cum Samaria recepisset verbum Dei*, statim eò profectos, ut impositione manuum baptizatos confirmarent: Ecclesiam adeo fuisse de confirmandis sollicitam, ut aliquando non confirmatis Eucharistiam denegaret, uti demonstrat Martenius tom. I. de Antiq. rit. pag. 237. ex Lambethensi, & Bituricensi Conciliis: repetendam denique ex hujus Sacramenti neglectu tantam in conflictationibus spiritus imbecillitatem, tantam vitiorum illuviem, tantamque in hostibus vincendi facilitatem.

CAPUT IX.

Pertractatur de duplici Confirmationis effectu.

SUMMARIUM.

1. Gratia primus est effectus Confirmationis.
2. Alter effectus est character.
3. Confirmatio confert gratiam sanctificantem.
4. Gratia hæc est augmentum gratiæ, tribuens baptizato perfectionem, robur, & firmitudinem.
5. Quomodo differat à gratia baptismali.
6. Non confert hæreticis resipiscentibus gratiam primam absque pœnitentia, vel contritione.
7. Imprimit characterem, & nequit iterari.
8. Juxta aliquos iteratò recipiens, aut conferens Confirmationem, non fit irregularis.
9. Ritus, quo olim recipiebantur hæretici in Ecclesiam, non fuit repetitio hujus Sacramenti.
10. Probatur præfata resolutio.
11. & 12. Solvuntur objectiones.
13. 14. 15. & 16. Sententiæ oppositæ nec Augustinus, nec Cyprianus favet.
17. Impositio manuum in receptione hæreticorum tantùm erat ceremonialis.
18. Differt character confirmationis à baptismali.

1. Gratia primus est effectus Confirmationis, contra hæreticos.

Sacramenti Confirmationis duos effectus Orthodoxi omnes agnoscunt, *Gratiam*, videlicet, & *Characterem*. Gratiam hoc Sacramento conferri negant Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Dallæus, & universi propemodum Novatores, non eo duntaxat titulo, quod Sacramentis omnibus hanc denegant efficientiam, sed insuper, quia per impositionem manuum Apostolicarum datum velint solum donum linguarum, non sanctificantis gratiæ decorem. Quæ igitur disserui lib. XXX. cap. 19. de Sacramentorum vi & efficacia, atque præsenti in libro de Confirmationis, ut loquuntur scholæ, natura, eadem revincunt, oppugnantque sententiam hæreticorum. Catholici vero posteaquam commonstrarunt sanctificantem gratiam hoc sacramento produci, inquirunt præterea quænam sit hæc gratia confirmatrix, & num distincta ab illa, quam producit sacrum regenerationis lavacrum: quam utique nos arbitramur esse haud magni momenti quæstionem. Fuerunt nonnulli, qui scripserunt Sacramento Confirmationis conferri aliquando *primam gratiam*: deleri eodem Sacramento peccatum originale affirmavit Raymundus Lullus apud Eymericum Nicolaum 2. p. direct. Inquisit. q. 9. pag. 276. Eodem Sacramento justificari hæreticum ad Catholicam redeuntem, scripsit lib. IX. de Pœnit. cap. XI. Joannes Morinus. Atque de hac quæstione, cum nihil penitus dixerint, qui censentur de Re Sacramentaria accuratius pertractasse, nonnulla post Farvacquesium reponam. Demonstrabo itaque priori loco produci per Sacramentum Confirmationis gratiam sanctificantem, idque brevissimè, & in compendium redigens jam prolixe disputata: dicam postea quænam sit ista gratia: ostendam deinceps quomodo distinguatur à gratia baptismatis;

ac tandem inquiram, an Confirmatio per se aliquando conferat gratiam primam. Absolvetur itaque prima pars hujus capitis quatuor thesibus.

2. Secundus est character contra eosdem.

De *charactere*, qui est Confirmationis effectus alter, revocabo ad examen, an revera hoc sacramento imprimatur; quod præter hæreticos negaverunt Armenopolus in Scholiis ad canonem 47. Apostolorum, Job Monachus, Nicolaus Cabasila, & Gabriel Philadelphiensis apud Arcudium in Concordia lib. 2. cap. 18. Ostendam præterea, quod hujus consectarium est, nunquam Confirmationem esse iterandam. Cum autem hæretici revertentes ad gremium Ecclesiæ recepti olim fuerint per manuum impositionem, dicam simul, fueritne talis impositio manus *confirmatoria*, an tantum reconciliatrix. Investigabo pariter sensum Cypriani, & Augustini, ubi de hac manus impositione loquuntur; nam à Cypriano per impositionem manuum, qua recipiebantur hæretici, intelligi Sacramentum Confirmationis sentit Natalis Alex. dissert. x sec. 2. §. 14. atque idem de Augustino judicium profert Morinus cit. loco, & Joannes Maldonatus tom. 1. Controvers. pag. 112. Denique & illud expendam, num character Confirmationis sit distinctus à charactere baptismatis, ut veteres, & recentiores scholastici, si perpaucos excipias, tradiderunt; num verò indistinctus, ut visum Altisiodorensi in Summa, necnon Simeoni Archiepiscopo Thessalonicensi. Atque hæc pariter, quoniam sunt facillima, & modo addantur aliqua de impositione manuum, qua transactis sæculis recipiebantur hæretici, superioribus dissertationibus explicata, quatuor aliis thesibus expediam, agens in prima de Confirmationis *charactere*, in altera de hæreticorum receptione, in tertia de sententia SS. Cypriani, & Augustini, in postrema denique de utriusque *characteris*, Baptismi scilicet, & Confirmationis discrimine.

DE GRATIA

Thesis I.

3. Confirmatio confert gratiam.

Sacramento Confirmationis confertur gratia aliqua sanctificans, sive, ut loquuntur Scholæ, gratum faciens. Consequitur ex cap. 2. hujus libri. Eo namque loci ostendimus Apostolos per impositionem manus dedisse *Spiritum sanctum*, quem Augustino teste conferunt etiamnum Episcopi, quamvis minimè impertiantur donum linguarum, & miraculorum. Diximus etiam datum ab Apostolis Spiritum sanctum fuisse virtutem *Spiritus supervenientis ex alto*, ut baptizati Christi fidem invictè profiterentur, atque in ejus confessione persisterent. Demonstravimus præterea hunc *Spiritum sanctum* omnibus per baptismum regeneratis fuisse collatum, cum tamen linguarum donum, aliæque gratiæ *gratis datæ*, nec justis tantum, nec baptizatis universis soleant concedi. Ulterius affirmavimus Apostolos præcipuos, Petrum, & Joannem magna cura atque sollicitudine missos Jerosolymis ad Samaritanos, ut eos confirmarent; cum inter illos Philippus Diaconus curaret paralyticos & claudos, ejiceret immundos spiritus, atque signa alia innumera perpetraret: quæ omnia in distinct. VII. §. 12. firmo ratiocinio complectitur illustris Estius, Theologorum autem nullus ignorat. Adhæc percurrentes omnium sæculorum spatia produximus innumera & locupletissima testimonia Conciliorum, & Patrum assentium neophytos confignatione Episcopali accipere *Spiritum sanctum*, perfici, confirmari, proficere spiritaliter, consummari, fieri unctos Dei, & supercœlesti suavitate perfundi. Hæc autem omnia commonstrant hanc thesim, & Scholasticam ratiocinationem hoc plane modo conglutinant: Gratia in Ecclesia perseverans, ac distincta à temporario dono linguarum, communis omnibus absque pravæ voluntatis obice confirmatis, eosque perficiens, corroborans, & supervenientis Spiritus virtute communiens, est procul dubio gratia sanctificans, & *gratum faciens*. Per sacramentum Confirmationis confertur ritè dispositis gratia à munere linguarum & miraculorum diversa, & quæ baptizatos perficit, consummat, roborat, redditque Spiritus sancti munimine alacriores, & firmiores. Itaque per Sacramentum Confirmationis confertur gratia sanctificans, & *gratum faciens*.

Thesis II.

4. Quæ gratia est augmentum gratiæ &c.

Gratia, quam producit Sacramentum Confirmationis, est augmentum gratiæ tribuens baptizato perfectionem, robur, ac firmitudinem. Demonstratur primo Ecclesiasticis definitionibus. Nam can. 38. & 77. Illiberitanis non semel laudatis, statuitur baptizatos per Confirmationem *perfici*. Florentinum Concilium Tom. XIII. collect. Lab. pag. 536. *Effectus* (inquit) *hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; ut videlicet Christianus auda-*

ter Christi confiteatur nomen. Synodus Narbonensis celebrata an. 1609. tom xv. pag. 1587. aliæque omnes ejusdem voluminis, docent: *in hoc sacramento, quo per impositionem manuum Episcopi Spiritus sanctus diffunditur in corda fidelium, robur, atque fortitudinem dari.* Profertur ibidem exemplum athletæ, antequam ad singulare aliquod certamen descenderet, ungi soliti. Tertia Decreti parte de Consecrat. dist. v. cap. *Spiritus sanctus*, ex Epistola Isidoriana inscripta Melchiadi, hæc legimus: *In baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur:* pauciscque interjectis, *Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos: Confirmatio autem armat, & instruit ad agones mundi hujus, & prælia reservandos.* Similia leguntur cap. *Cum venisset*, de sacra unctione, supra cap. 2. prop. 2. II. Eadem est doctrina Patrum; Tertullianus enim de Resurr. Carnis, cap. 8. scripsit, signari carnem, *ut anima muniatur.* Auctor sermonis de unctione Chrismatis inter Opera Cypriani pag. cviii. Append. ait: *Ex hujus unctionis beneficio & sapientia nobis & intellectus divinitus datur; consilium & fortitudo cœlitus illabitur; scientia pietas & timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo uncti cum spiritualibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus spuriis imbui possumus, qui balsami spiritalis odore fragramus.* Cyrillus Jerosolymit. catech. 3. pag. 63. inquit, *Deinde cum tibi gratia* (post baptismum, & per unctionem chrismatis) *confertur, tunc tibi adversus contrarias virtutes dat potestatem:* εἶθ, ὅταν τῆς χάριτος καταξιωθῇς, τοτὲ σοὶ κατὰ τὰς ἀντικειμένας δυνάμεις παλαίειν δίδωσι τὴν ἐξουσίαν. Plura catech. 3. Mystagogica, pag. 527. unde nonnulla exscripsimus supra cap. 2. Præterea, quæ apertissima sunt, & eo loci producta, tradit Cyrillus nos chrismate inungi, *ut induti thoracem justitiæ fortiter adversus insidias diaboli consistamus.* Addit nos sacro unguento perunctos facilius custodire donum fidei *intemeratum & impollutum.* Eucherius Lugdunensis Episcopus, qui juxta Trithemium floruit an. 350. hom. in die Pentecostes habet ad literam totum prælaudatum Caput, *Spiritus sanctus*, de Consecrat. dist. 5. ut merito suspiceris, hinc, non ex supposita Melchiadis Epistola fuisse depromptum. Adeasis Bibl. PP. paginam 649. sexti Voluminis. III. Idem tradidere qui de Ecclesiasticis Officiis, ritibusque pertractarunt. Isidorus lib. 2. cap. 25. *Ideo*, inquit, *post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur.* Rabanus Maurus lib. 1. cap. 30. ait: *Novissime autem à summo Sacerdote per impositionem manus Paraclytus traditur, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis idem, quod ipse in baptismate consecutus est, per gratiam vitæ donatus æternæ.* Addi potest Joannes Stephanus Duranti lib. 1. cap. 20. num. 15. Sacramentale Ambrosianum pag. 51. præcipit, ut confirmandis explicentur *quæ ad Spiritus sancti septem dona pertinent*, quorum collatio est hujus sacramenti præcipuus effectus; revocatque ad memoriam verba Ambrosii lib. 3. cap. 2. num. 8. *Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis, atque pietatis, Spiritus sancti timoris: septem quasi virtutes Spiritus.* Vide caput, *Accepisti mysterium*, de Consecrat. dist. 4. num. 90. Hinc Nat. Alexander lib. 2. Theol. Mor. & Dogmat. cap. 3. art. 2. agens de Gratia Confirmationis diffuse pertractat de septem donis Spiritus sancti. Quemadmodum per Sacramentum baptismatis regeneramur in Christo, & quasi modo geniti lacte potamur, præstatque nobis regenerationis gratia, ut quasi nobis ipsis vivamus, nullam cum exteris actionem liberam exercentes: ita per sacramentum Confirmationis perficimur, & quasi adulti ætate agimus communem vitam, periculis undique circumsepti. Congruum est ergo, ut quemadmodum per baptismum recipimus gratiam generationis spiritalis, per quam vivificamur in Christo; ita per sacramentum Confirmationis perficiamur, ut in communis vitæ conflictu viriliter, & tanquam Christi milites dimicemus. Utitur autem consimili ratiocinatione S. Thomas 3. p. q. 72. art. 5. & 7. & Catechismus Romanus p. 2. cap. 3. num. 20.

Thesis III.

Gratia, quæ sacramenti Confirmationis effectus est, connotativè differt à gratia baptismali, eâque non absolutè, sed tantum comparativè est perfectior. Prima pars constat, cum enim hæc gratia perficiat, consummetque gratiam baptismatis, necessum non est aliud intrinsecum discrimen inter unam & alteram constituere, nisi illud, quod scholæ appel- 5. Quomodo differat à baptismali &c.

pellitant differre *secundum magis & minus*; maximè quod sententiâ nostrâ gratia sanctificans est quidem inhærens qualitas, & superaddita animæ *habitudo*, sed non *entitas* recondita inter Aristotelicas categorias. Imo & S. Thomas 3. p. q. 72. art. 7. ad 3. necnon S. Bonav. in IV dist. 7. art. 2. q. 2. videntur huic sententiæ subscribere, dum ille ait, gratiam sacramentalem addere *supra gratiam gratum facientem aliquid effectivum specialis effectus, ad quod ordinatur sacramentum*: alter verò inquit: *In sacramentali gratia & est gratia gratum faciens, & effectus specialis quem habet virtute sacramenti: & in quantum gratum faciens una est; sed ratione effectuum distinguuntur*. At rectè scribunt hæc duo scholarum lumina statuendam esse distinctionem, *ratione effectuum*, sive *connotativam*; nam gratia baptismatis delet originale peccatum, vitamque tribuit spiritalem; & gratia Confirmationis vires adauget, & habet effectum alium à virtute baptismi, *scilicet*, inquit, eo loci Bonaventura, *ablationem pusillanimitatis*. Consequitur ex hac doctrina gratiam Confirmationis non esse *absolutè* perfectiorem gratiâ baptismatis, cum longe majus sit spiritaliter regenerari, quam confirmari & perfici; sed eatenus nonnulli Theologi ac Patres confirmatricem gratiam prætulerunt baptismali, quatenus hac præsuppositâ melius est, si homo reddatur robustus ac fortis, quam si vivat infirmus atque imbecillis. Quare minime probo doctrinam illorum Theologorum, qui hac prætermissa comparatione, absolutè pronuntiant gratiam, quæ in Confirmatione confertur, perfectiorem esse illâ, quam producit baptismus; propterea quod Apostoli fuerint in die Pentecostes donis præstantioribus cumulati, aut confirmatio per digniorem ministrum, nempe Episcopum, conferatur. Idem quidem viri docti, & exercitatissimi affirmant, quibus & concinit Fridericus Gavardi tom. VI. pag. 238. Verum arridet mihi plurimum Seraphicus Doctor præcitata quæstione hæc scribens: *Quando ergo fit comparatio harum gratiarum, potest fieri dupliciter. Uno modo cum præsuppositione: & sic omnino major est gratia Confirmationis, quam baptismalis; sicut benè & perfectè vivere melius est quam vivere, quia hoc addit ad illud & complet. Si autem intelligatur præcise, ut scilicet hæc gratia quæ additur sit major, vel minor, dicendum sine dubio quod non est tantæ efficaciæ, ut patet; quia vivificare mortuum major gratia est, & potentia, quam jam vivificatum sanare, vel fortificare; præcise loquendo. Sed cum præsuppositione majus est esse vivum & sanum, quam vivum tantum.* Hactenus S. Bonaventura.

THESIS IV.

6. Non confert Hæreticis resipiscentibus absque pœnitentia gratiam primam.

Hæreticis resipiscentibus sacramentum Confirmationis non confert absque pœnitentia, vel contritione, primam gratiam. Statuimus positionem hanc adversus Morinum, asserentem cit. cap. II. num. 8. hæretico, dum impositione manuum præmissa hæreseos anathematizatione in Ecclesiam admittitur, gratiam primam conferri. In qua assertione non uno ex capite labitur vir præclarus. Principio supponit *impositionem manuum*, qua admittebantur hæretici, esse Confirmationis sacramentum, quod falsum esse ostendemus paulo infra: quamquam, etsi Sacramentum foret, corrueret Morini hypothesis, si reponeretur econtra, præmittendam resipiscentibus exomologesim, ac pœnitentiam, quam nos superiori cap. num. 5. etiam ad Confirmationem necessariam diximus, si præsumatur labes mortalis culpæ. Deinde non recte Morinus num. 10. & sequentibus profert ad opinionem firmandam suam, S. Thomæ, Cajetani, Dominici. Soto, Henriquez, Tanneri, aliorumque testimonia, dum asserunt interdum Confirmationem, & reliqua Sacramenta *vivorum*, eripere à statu peccati, & justificare, modò accedens *conscientiam gravium scelerum non habeat, aut bona fide reputet sè contritum*. Enimvero ex quo in hac hypothesi sacramenta viventium dent peccatorum remissionem, & primam gratiam, quod & nos affirmavimus lib. XXX. cap. 21. inferendum potius est, id non præstare aut in hæretico, aut in quovis peccatore, quem pupugerit conscientia patrati criminis, nisi agat pœnitentiam, & conteratur. Quod etiam scribit Morinus, baptismum, qui in hæreticis est inefficax, per Confirmationem revirescere, fructumque hæretica perfidia oppressum excutere, & exerere, eloquenter utique, at non veraciter dictum arbitror. Nam *revivisci* quidem baptismus *sublato obice*; sed cum fictio veraci confessione recedit, & qui simulato animo, & cum affectu peccati tinctus fuerat, cordis conversione mutatur, ut dixi libro XXXI. cap. 21. num. 4. Nec Confirmatio facit, ut baptismate deleantur peccata, sed ut his remissis, baptizatus supercœlesti fortitudine corroboretur: imo, quoniam baptismus delet originariam labem, &

peccata, quæ præcedunt spiritalem renascentiam; simulatio, & pravi animi affectio illam comitantes vi pœnitentiæ remittuntur, non ablutione baptismatis. Atque his adnotationibus detegitur Morini alucinatio, & evanescunt singula ipsius argumenta. Porrò facillimum est refutare Scriptoris hujus sententiam. Evertunt ipsam primo, quæ de gratia Confirmationis dicta sunt paulo supra, hanc nempe gratiam esse baptismalis perfectionem & augmentum, & jam regeneratos, atque spiritalem vitam agentes juvare ad pugnam, instruere armis, & viribus augere. Nisi ergo renascatur antea, & spiritalem vitam percipiat; nequit homo recipere gratiam illius Sacramenti, quod appellatur in Epistola adscripta Melchiadi, *adjumentum militiæ*, atque apud Amalarium Fortunatum, *sacri titulus bellatoris*. Dixi præterea confutari Morinum etiam auctoritate & testimonio Theologorum asserentium eos, qui non habent peccati conscientiam, dummodo non simulatè accedant, consequi in hoc Sacramento gratiam primam, & remissionem. S. enim Thomas q. 72. art. VII. ad 2. eo scilicet loco, quem laudat Morinus, inquit: *Sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur ad confirmandum quod prius invenerit, & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam: & propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitentiam reparatis.* Insuper si vera sit commentatio Morini, falsum erit quod de Sacramento Pœnitentiæ definit sess. XIV. cap. 1. Synodus Tridentina, *Sacramentum videlicet Pœnitentiæ* illud esse, *quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur*; tum quod ait cap. 2. *Est autem hoc sacramentum Pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus:* & quod ibidem docet illos, *quos Christus Dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal* (Pœnitentiæ) *tanquam reos sisti: ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari.* Quomodo enim hæc vera sunt, si per sacramentum Confirmationis absque sacramento Pœnitentiæ suscepto in re, aut in voto, potest aliquis consequi remissionem peccatorum, quæ post baptismum patrata sunt? Nunquam ergo sive hæreticis resipiscentibus, sive peccatoribus baptismo renatis aut Confirmatio, aut sacramentum aliud viventium conferet gratiam primam, nisi cum voto, aut relatione ad sacramentum Pœnitentiæ; ut disertè adversus Morinum demonstrat insulensis Farvacques, qui de hac quæstione egit accurata & exquisita lucubratiuncula.

DE CHARACTERE CONFIRMATIONIS.

Thesis I.

7. Ob characterem iterari nequit.

Sacramentum Confirmationis imprimit characterem, atque iterari non potest. Quod primo demonstratur ex Epistola Pauli ad Corinthios 2. cap. 1. ubi ait: *Qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris:* de quo loco plura volum. VI. ubi ostendimus vim & significationem Græci verbi, σφραγιζειν, quod idem est, *ac impresso sigillo insignire*, sive Patres, sive etiam profani scriptores consulantur. Deinde traditione stabilitur hæc thesis. Auctor enim Constitut. Apost. lib. III. cap. 16. inquit, *Cum decenti gravitate collatio sigilli infragilis peragatur*, σεμνοπρεπῶς ἡ μετάδοσις τῆς ἀθραύστου σφραγῖδος γίνηται: quæ verba accipienda de Confirmatione scribunt Estius in IV. dist. VII. §. 15. & Basilius Poncius p. 2. cap. 7. idque ego demonstro ex verbis immediatè proximis, *Et postea Episcopus baptizatos ungat chrismate*, Καὶ μετὰ τοῦτο ὁ ἐπίσκοπος χριέτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ. Vide PP. Apost. tom. 1. pag. 288. Tertullianus de Præscript. cap. 40. dum scribit diabolum æmulanter affectare sacramenta Christi, ideoque *signare in frontibus milites suos*, sed attemperare mysteriis idololatriæ rerum divinarum instrumenta, non effecta sacramentorum, ostendit hæc non solum *in frontibus*, verum etiam in corde consignare milites Christi. Cyprianus epist. 73. ad Jubajanum pag. 281. docet ideo baptizatos confirmari, *ut Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.* Auctor etiam serm. de Ablutione pedum in Append. Cypriani pag. CIII. argumento ex natura consecrationis deprompto demonstrat hoc sacramentum non posse iterari. S. Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 2. laudatus paulo supra, & relatus in c. *Accepisti*, de Consecrat. dist. IV. confirmationem pariter appellat *spiritale signaculum.*

culum. S. P. Augustinus lib. 2. contra lit. Petil. cap. 104. ipsam Confirmationem comparat baptismo, eamque permanere docet *in hominibus pessimis*, quod de charactere tantum accipi potest: & serm. de Cataclysmo, quem tamen PP. S. Mauri tom VI. pag. 598. opinantur esse addititium, comparans baptizatum navi tempestate procellisque jactatæ, *Baptizatus es*, inquit, *signatus regio charactere, &c.* Theodoretus in Cantica Sacramentum hoc appellat *sigillum, notamque regiam*, ut vidimus capite hujus libri secundo. Accedunt definitiones Ecclesiæ. Etenim Gregorius Magnus lib. XIV. Epist. 17. alias 32. ad Felicem Episcopum Messapensem, vetat ne baptismus, aut Confirmatio repetatur. Idem definit Gregorius II. Epist. ad Bonifacium, unde Gratianus conflavit cap. *De Homine*, de Consecrat. dist. V. num. 9. Haud secus Innoc. III. in cap. *Pastoralis*, Extra de Sacram. non iterandis. Concilium pariter Toletanum VIII. an. 657. cap. 7. *Sanctum Chrisma collatum*, inquit, *& altaris honor avelli nequeunt.* Ita Concilium Cabillonense II. an. 813. atque his vetustius Tarraconense an. 490. laudatum cit. §. 15. ab Estio, quam tamen Synodum vereor ne sit fictitia, cum prima Synodus Tarraconensis celebrata sit an. 516. sedente Hormisda. Florentinum Generale in decreto Unionis, *Inter sacramenta*, inquit, *tria sunt baptismus, confirmatio, & ordo, quæ charactérem, id est spirituale quoddam signum à cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile.* Tridentinum denique sess. VII. can. 9. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Postremo Theologi suas etiam rationes addunt, scilicet, quod Sacramentum istud conferatur *per modum consecrationis*, & semel consecrata talia permaneant, quam rationem urget Magister in IV. dist. 7. Estius in eandem distinctionem, aliique passim. Videtur hæc ratio initi iis, quæ scribit præcit. Auctor serm. de Ablut. pedum. *Semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere*, ob quam rationem & S. P. libro 2. contra Epist. Parmen. cap. 17. probat non posse in Ecclesia baptismum & ordinem iterari: *Quod indubitanter* (ait in fine distinctionis Magister) *etiam de Confirmatione tenendum est.*

Verum tamen est, eum, qui Confirmationem iterum reciperet, aut conferret, complurium sententiâ non fieri irregularem, quemadmodum fit repetens baptismum; propterea quod irregularitas contrahatur duntaxat in casibus jure expressis, atque pœnæ sint potius restringendæ, quam ampliandæ. Legi potest Sylvius in articulum 5. quæst. 72. III. Partis, ubi etiam præter recentiores laudat Scotum, Petrum de Aliaco, Paludanum, & Dominicum Soto. 8. Juxta aliquos iterans non fit irregularis.

Thesis II.

Ritus, quo olim hæretici recipiebantur in Ecclesiam, non erat repetitio sacramenti Confirmationis. Diximus cap. 1. hujus libri redeuntes ad Ecclesiam hæreticos fuisse receptos aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola fidei professione, recitatis verbis Gregorii Magni ex Epist. 67. libri XI. Diximus præterea in Occidentali Ecclesia Arianos receptos impositione manus, in Orientali autem unctione chrismatis, imo & hanc unctionem aliquando adhibitam in quibusdam Ecclesiis Occidentalibus, Galliarum præsertim, atque Hispaniarum. Videndum est ergo, an reciperentur per Sacramentum Confirmationis, adeo, ut hæc iterum conferretur. Ac primo advertas difficultatem nullam esse de hæreticis invalide baptizatis, inter quos lib. XXXI. cap. 8. connumeravimus non solum Bonosiacos, Cataphrygas, & Montanistas, verum etiam Eunomianos & Aetianos, necnon Arianos Gothos: quos propterea resipiscentes iterum baptizari, & confirmari oportebat. Nulla pariter occurrit difficultas de iis, qui baptizati quidem, at non confirmati fuerant, ut de Novatianis scripserunt Pacianus, qui obiit sub Theodosio seniore an. 380. Epistola ad Sympronianum, quæ extat tom. IV. Bibl. PP. pag. 309. ac Theodoretus denatus anno 460. lib. 3. hæret. fabul. cap. 5. tom. IV. pag. 230. editionis Sirmondianæ. Ergo de hæreticis & baptizatis, & confirmatis procedit quæstio. Ac hæreticos omnes promiscue receptos impositione manus *confirmatoria* contendit Sirmondus in Antirrhetico 2. cap. 5. idem affirmant de hæreticis baptizatis, & confirmatis in hæresi, non autem de baptizatis & confirmatis in Ecclesia Catholica priusquam in hæresim laberentur, Maldonatus q. 1. de Confirmat. Morinus libro IX. de Pœnit. cap. 7. quem tamen Continuator Witasii pag. 554. ait sententiam mutasse, 9. Ritus, quo olim recipiebantur hæretici in Ecclesiam, non erat repetitio hujus sacramenti.

& Antonius Augustinus in Epitome Juris Pontif. lib. 23. tit. 8. Communior tamen, & vera sententia est, hæreticorum neminem jam baptizatum & confirmatum, sive in hæresi, sive in Ecclesia, reformatum receptumque fuisse per Sacramentum Confirmationis, adeo, ut impositio manus, aut chrismatio adhibita in hujusmodi hæreticorum receptione, ceremonia quædam fuerit, non Sacramenti hujus repetitio. Quam utique sententiam præter Bellarminum, Arcudium, & Petrum Aurelium Sirmondi adversarium, propugnant ex Theologis ætati nostræ proximioribus Christianus Lupus ad canonem VII. Constantinopolit. tom. 2. pag. 246. & sequentibus Franciscus Farvacques de Confirmat. cap. 1. q. 4. Juenin q. 7. cap. 1. art. 2. Tournely q. IV. art. 2. concl. 2. L' Herminier tom. 1. de Sacram. pag. 349. Cardinalis Gotti q. 2. dub. 3. & q. 3. dub. 2. Benedictus A. M. Canali lib. 3. de Sacrament. q. 1. cap. 5. Auctor Op. de Re Sacram. lib. 3. cap. 5. aliique quamplurimi.

10. Probatur sententia.

Suadetur propositio 1. quoniam Stephanus Papa in celebri suo decreto adversus Rebaptizantes ait: *Si ergo ad quacunque hæresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Impositio autem manus *in pœnitentiam* est *reconciliatrix*, non autem *confirmatoria*: quod constat tum ex significatione verborum, tum ex Epistolis Cypriani, & testimoniis Augustini producendis thesi sequenti. Nec audiendus est Joannes Morinus, qui libro IX. de Pœnit. cap. 7. num. 13. scribit Stephanum contendisse, ut hæretici reciperentur per manus impositionem *in Spiritum sanctum*, non, *in pœnitentiam*; sanctus enim Cyprianus Epistola 74. semel, iterumque repetens decretum Stephani, legit ut nuper productum est: idque non diffitetur Morinus eodem cap. num. 12. Præterea ex Morini, aliorumque confessione baptizati in Ecclesia recipiebantur per impositionem manus reconciliatricem, quoniam Cyprianus Epist. 71. & 74. Cresens à Cirta, aliique à Cypriani partibus, apud Augustinum lib. VI. de Baptis. cap. 15. atque ipsemet Augustinus eodem Opere lib. III. cap. 11. affirmant hujusmodi hæreticos recipi per impositionem manuum *in pœnitentiam.* At idem affirmandum est de baptizatis in hæresi, cum Innocentius I. epist. 18. scribat, *Arianos baptizatos in hæresi suscipi in Ecclesia per manus impositionem sub imagine pœnitentiæ*, atque idem asserat de hæreticis omnibus Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, & Augustinus lib. V. de Baptismate cap. 23. Igitur si baptizati in Ecclesia excipiebantur impositione manus reconciliatrice, admittebantur ea pariter ratione baptizati extra Ecclesiam. III. Donatistæ schismatici & ab Ecclesia divulsi non recipiebantur impositione manus *confirmatoria*, siquidem Catholici tam baptismum, quam Confirmationis sacramentum collatum à Donatistis ratum, validumque putabant; cum sit utriusque Sacramenti eadem ratio, nec ministrantium fides det efficientiam, aut auferat Christi lavacro, vel oleo. Testis est Optatus Milevitanus lib. VII. contra Parmenianum num. 4. testis Augustinus lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 104. testis Alcimus Avitus Viennensis Episcopus epist. 24. ad Stephanum Lugdunensem. Invenimus ergo baptizatos extra Ecclesiam, nec tamen receptos impositione manus *confirmatoria.* Eapropter manus impositio adhibita in recipiendis hæreticis appellatur *reconciliatio* in libro Pontificali, ubi agitur de Eusebio Papa, in perantiquo Breviario fidei contra Arianos edito à Sirmondo pag. 131. in literis Rufini ad Macarium, cæterisque illustribus monumentis ab eximio Lupo collectis. IV. Abierunt in sententiam oppositam docti viri, propterea quod constat ex veterum monimentis imponendam manum redeuntibus ab hæresi, *ut accipiant Spiritum sanctum.* Ita canon 8. Concilii 1. Arelat. Siricius Papa epist. 1. ad Himerium Tarraconensem, Innocentius Epist. 22. Leo Magnus Epist. 135. aliàs 37. & Vigilius epist. 2. ad Eutherium, quæ omnia collegit ex Morino pag. 629. de Pœnit. eruditus ævi nostri Theologus. At hæc, aliaque id genus plura de sola impositione manus *in pœnitentiam* accipienda sunt. Corruunt ergo sententiæ oppositæ fundamenta. Minorem probo hac ratiocinatione. Est sententia Augustini libro 3. de Baptismo cap. 13. num. 18. Baptismum apud hæreticos non operari remissionem peccatorum, *propter discordiæ fœditatem, & dissensionis iniquitatem*; ac tum valere, *cum ad Ecclesiæ pacem venerint*, quoniam idem baptismus, *qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operatur salutem.* Ideo ergo per reconciliationem hæretici accipiunt peccatorum remissionem, ut docuerat idem Augustinus lib. 1. ejusdem Operis cap. 12. num. 18. *Quia ipsa reconciliatione,*

ac

ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum in unitate jam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat. Atque hæc est quoque doctrina S. Thomæ 3. p. q. 69. art. 10. calculis Theologorum omnium firmata. Ita nunc alucinationem adversariorum detegimus. Impositio manuum, qua recipiebantur hæretici, non conferebat Spiritum sanctum & remissionem peccatorum vi sua, ac per se, ut faciunt sacramenta, sed ratione unionis & pacis, per quam sacramenta jam susceptа incipiebant prodesse, cum in separatione & discordia mortem, non gratiam operarentur. Non erat ergo illa manus impositio sacramentum Confirmationis. Hinc Siricius explicans citata Epistola quid præstaret resipiscentibus hæreticis impositio manus Episcoporum, *Episcopalis manus impositione*, inquit, *Catholicorum conventui sociamus.* Innocentius I. epist. 22. cap. 3. ait, ab hæreticis ordinatos *vulneratum per illam manus impositionem habere caput*, decernitque, *ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse.* Tum cap. IV. de baptizatis in hæresi, inquit, *Nostræ verò lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem, vel exiguum subrogare.* Capite autem 5. *At verò hi, qui à Catholica fide ad hæresim transierunt, quos non aliter oportet nisi per pœnitentiam suscipi, apud vos non solum pœnitentiam non agunt, verum etiam honore cumulantur.* Non apparet his in locis discrimen, quod Morinus num. 8. aliique post Morinum confinxere, primi generis hæreticos per impositionem manus *confirmatoriam*, cæteros per solam *pœnitentiam* fuisse receptos. Minimè; impositione enim manuum primi hæretici recipiebant *communionem laicam*, id est, nullo frui poterant clericatus honore; cum baptizati in Ecclesia & transeuntes ad hæresim, *si revertentes longa pœnitentia abolevissent crimen apostasiæ*, suscipere possent dignitatem Ecclesiasticæ ordinationis. Atque id legenti Innocentianam Epistolam erit perspicuum. Idem sensus est S. Leonis scribentis ad Episcopum Ravennatem, *Si ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus sacramentum regenerationis iteretur: sed hoc tantum quod ibi defuit conferatur, ut per Episcopalem manus impositionem virtutem sancti Spiritus consequatur.* Quo sane in loco virtus Spiritus sancti est effectus baptismi, videlicet gratia, quam reconciliatus consequitur per impositionem manus, quatenus per hanc unitur Ecclesiæ. Quid enim est illud, *quod defuit* in baptismo collato ab hæreticis, nisi unitas Ecclesiæ, extra quam sacramentum regenerationis non potest prodesse? Nam si defuit etiam Confirmatio, jam hæc non repetitur; neque, hoc etiam dato, adversariis suffragatur auctoritas Magni Leonis. Vigilius denique in Epistola ad Eutherium cap. 3. asserit tantum, rebaptizatos ab Arianis reconciliari, *non per illam impositionem manus, quæ per invocationem sancti Spiritus operatur, sed per illam, qua pœnitentiæ fructus acquiritur, & sanctæ communionis restitutio perficitur.* Diversa ratione reconciliari hæreticos baptizatos in hæresi nec Vigilius asserit, nec vestigium est aliquod, unde istud conjicias. Ex quibus omnibus habes, impositionem manus in hæreticis ad fidem conversis contulisse Spiritum sanctum ratione unionis Ecclesiæ, non efficientiâ repetitæ Confirmationis. Absolvamus argumentationes istas apertissimo Augustini testimonio, quo utitur Thomas Valdensis contra Armacanum, de Sacram. Confirmat. cap. 15. & adversus Morinum Farvacquesius q. IV. §. 5. *Manus autem impositio, si non adhiberetur ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse judicaretur; propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem quæcunque alia sancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.* Ita Augustinus lib. v. de Baptismo cap. 23. num. 33.

Diluenda remanent pro sententia opposita quæ sequuntur. I. Canone VIII. Nicænæ Synodi statuitur, ut Cathari, id est, Novatiani recipiantur *impositione manus.* II. Septimo Concilii primi Constantinopolitani legitur: *Arianos quidem & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos, qui dicunt seipsos Catharos, & Aristeros, hoc est mundos vel siniştros, Tessaradecatitas, sive Tetraditas, & Apollinaristas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit, ut sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia, & signatos, sive unctos primum sancto chrismate & frontem & oculos, & nares, & os, & aures; & eos signantes dicimus, Signaculum doni Spiritus sancti.* Quo in canone ob expressam

11. Oppugnatur sententia.

Confir-

mationis *materiam & formam* apertum est non de ceremonia pertractari, sed de vero, proprioque sacramento. III. Basilius Magnus in Epistola Canonica ad Amphilochium, num. 1. ait: *Omni ratione statuatur, ut qui ex* hæreticorum *baptismo ad nos accedunt, chrismentur à fidelibus, & sic mysteriis participent.* IV. In Euchologio Græcorum edito à Jacobo Goario habetur *Reconciliatio* redeuntium ad Ecclesiam conscripta à sancto Methodio martyre; ex qua constat recipiendos hæreticos cum unctione chrismatis, & prolatione verborum, *Signaculum doni Spiritus sancti.* Fertur quoque eandem reconciliationis praxim apud Græcos etiamnum obtinere. Quod si respondeas hanc verborum formulam diversam esse ab ea, quæ præscribitur pro neophytis confirmandis, *non sensu tantum & scopo, sed tenore ipso verborum*; ut inquit perpolitus Auctor librorum de Re Sacram. tom. 1. pag. 332. jure meritoque repones, annon idem præclarus scriptor laudat eo loci Euchologium Barberinum, Cryptoferratense, & Parisiense Regium, recitatque illa Euchologii verba: *Et ungit eum ungento, sicut & recens illuminatos,* baptizatos, *eandem super illum formulam proferens,* Signaculum doni Spiritus sancti? Annon hæc est formula Confirmationis, ut ostendimus cap. VI. prop. 3. & præcitatus Auctor docuerat pag. 324? Quomodo ergo pro reconciliandis, & pro confirmandis formulæ traduntur diversissimæ *tenore ipso verborum?*

12. Respondetur ad argumenta contraria.

Ad objectionem priori loco positam constat responsio ex cap. 2. prop. 2. ubi plura de Nicæni canonis sensu: sat est modò, si repetamus nullam eo in canone commemorari impositionem manus *confirmatricem.* Ad alteram ex canone Constantinopolitano petitam, respondet Christianus Lupus pag. 252. verba, *Signaculum doni Spiritus sancti*, non esse Sacramenti Confirmationis formulam, & antiquissimos Græcorum solam frontem tribus vicibus, non membra singula perunxisse; ideoque non agi eo loci de unctione Sacramentali. Verum quod tradit de *forma*, à nobis est refutatum, assertumque ab eodem præstantissimo viro castigatissima moderatione, *Crediderim.* In unctione etiam chrismatis præcipitur in Euchologio Græcorum, ut illuminatorum frons, oculi, nares, os, aures que consignentur, pap. 360. idemque legitur apud Cyrillum Catech. 3. Mystag. pag. 524. tametsi frons dicatur prius inungenda, quàm partes reliquæ. Nec dubium est ullum, quin de unctione Sacramentali istic sit sermo. Respondendum itaque haud levem haberi suspicionem canonis, de quo agitur, suppositionis. Etenim *Sabbatianorum* nomen, teste Socrate lib. v. cap. 21. est Synodo Constantinopolitana posterius. In paraphrasi etiam Arabica hujus Synodi apud Harduinum tom. 1. Conc. pag. 818. & desideratur canon iste, & asseritur editos in ea Synodo canones tantum quatuor. Verum septimo quoque admisso, illum exponendum censemus de hæreticis non confirmatis. Novatiani siquidem, auctore Theodorito lib. III. H. Fab. cap. 5. iis, quos baptizabant, *sanctissimum chrisma* non præbebant: *Quapropter eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præceperunt.* διὰ τοῦτο καὶ τοὺς ἐκ τῆς δὲ τῆς αἱρέσεως τῷ σώματι τῆς ἐκκλησίας συναπτομένους χρίειν οἱ παναοίφημοι πατέρες προσέταξαν, inquit ibidem pag. 230. Cyri Episcopus. Sabbatianorum hæresis Novatianæ surculus erat, & Balsamon utramque censet unam. Certè Sabbatium ex Judæo Christianum accessisse Novatianis, scribit citato loco pag. edit. Valesii 281. Socrates Scholasticus. Cum vero Novatiani & Sabbatiani negligerent Confirmationem; idem asserendum est de hæreticis aliis, quos canon adstringit eidem legi. Quis enim ostendet Macedonianos, cæterosque Pneumatomachos non contempsisse hoc Spiritus sancti signaculum, aut si adhibuerunt, non adulterasse præscriptam formulam, aut si hanc retinuerunt, consignatos fuisse ab Episcopis? Neque enim in illorum presbyteris præsumenda est permissio Pontificis Maximi, aut totius Orientalis Ecclesiæ consensio, qualem adstruimus in valida consignatione presbyterorum Græcorum. Undique ergo secunda objectatio flaccescit. In tertia non immorabor, quoniam adversariis sudandum est, si demonstrare velint locutum Basilium de unctione sacramentali: quamvis inverisimile non sit, aut existimasse illum invalida sacramenta data extra Ecclesiam; aut instituisse sermonem de nondum confirmatis: quod postremum ob diversam rationem, qua Basilius loquitur de baptismo, & de unctione, censet in Concordia pag. 102. Petrus Arcudius. Ad IV. Arcudius ipse respondet, (hæsitans tamen ac dubitans) Methodium illum non esse sanctissimum virum à Photio circa annum 840. vehementer vexatum, sed Methodium schismaticum, qui vixit sæculo XIII. Addit nihil de *forma* reperiri in MS. Cryptæ

ptæ ferratæ à se perlecto, neque in Exemplaribus aliis, testes appellans Joannem Matthæum Caryophilum Cydonium, aliosque Græcorum. Falli Arcudium putat Goarius in Notis pag. 886. ductus antiquorum Codicum auctoritate; & Goario subscribunt Possevinus, Gesnerus, Aubertus Miræus, Philippus Labbeus. Potest hoc dissidium componi, si dicas Euchologium à Methodio seniore (non tamen à Methodio Patarensi, sed Constantinopolitano) exaratum; superadditam tamen formulam, quæ in MSS. compluribus desideratur. Sane Baronius, ad quem Goarius provocat, ad annum 842. num. 21. hunc recitat Methodii canonem: *Si puer quidem comprehensus fuerit, seu metu, seu ignorantia, & insciția; is propitiationis preces septem diebus accipiat, & octavo die lavetur, & à lavacro linteo accinctus chrismate inungatur, ut solent inungi qui baptizantur, & ferat vestes novas, secundum ordinem illorum, qui illuminantur.* Et infra de adolescentibus, ac de senibus, *Laventur, & ungantur secundum priorem constitutionem.* Hic proculdubio non apparet *forma* Confirmationis: imo sicut lavacrum, de quo Methodius, est quædam similitudo baptismatis, non baptismus; ita unctio est imago Confirmationis, non Confirmatio. Quare Methodium accipiendum de ceremonia, per quam lapsi iterum unirentur Ecclesiæ, eisque repræsentaretur effectus sacramenti, à cujus gratia exciderant, docent Theologi bene multi. Idem affirmandum, si in reconciliatione illa pronuntiata fuerint verba, *Signaculum doni Spiritus sancti.* Quamvis enim si adhibeantur *materia* & *forma* cum debita intentione, perficiatur sacramentum; attamen si à circumstantiis, ab intentione ministri, & ab adjunctis precationibus verborum formula determinetur ad alium effectum, præsertim si ambigua sit, diversumque patiatur sensum, qualis est præsens formula; sacramentum nequaquam administratur. Itaque in Reconciliatione à Methodio conscripta, sive pronuntiaretur, sive non, τὸ *Signaculum doni Spiritus sancti*, non iterabatur Confirmatio. Nam si non pronuntiabatur, deerat *forma*, pars scilicet sacramenti essentialis: si proferebatur autem, quoniam etiam unio, & Catholicæ Ecclesiæ communicatio est *maximum donum Spiritus sancti*, ut inquit Augustinus lib. III. de Baptis. cap. 13. & lib. v. cap. 23. atque donum istiusmodi conferebant sacerdotes reconciliatis hæreticis; idcirco in tali circumstantia sacramentum minime perficiebatur. Idque magis manifestum est, si perpendatur oratio tunc recitata: qua priusquam fieret unctio, ita sacerdos orabat, *Ut salutaris baptismatis scintilla in ejus anima insidens, & relicta aura gratiæ, ventilata spiritaliter rursus accendatur, & impressum sigillum in ejus corde, & cogitationibus, per crucis Christi tui signationem, per spem in te, & veritatis agnitionem evidentius appareat.* Vide Euchologium Goarii pag. 878. Atque hæc responsio etiam objectionibus aliis potest aptari. Persistit hac ratione quod scribunt memoratus Auctor de Re Sacrament. Farvacques noster, Goarius ipse, & alii permulti, intelligendum Methodium de unctione reconciliatoria, pœnitentiali, & per quam sacramentum jam susceptum, sublato impedimento erroris, & *fœditate discordiæ*, vim exerceret suam: quod explicare etiam conantur exemplis religiosorum vota sua renovantium, conjugatorum recurrente Jubilæo iterum contrahentium, & ordinationum Episcopi schismatici, vel hæretici; quamvis istorum exemplorum aliqua non videantur ad rem; aliqua etiam eadem laborent difficultate.

Thesis III.

Neque Augustinus, neque Cyprianus affirmavere reconciliandos venientes ab hæresi per iteratum sacramentum Confirmationis. Ac primo quantum spectat ad Augustinum, id evincitur ex dictis Thesi superiori: nam S. Pater lib. v. de Baptis. cap. 23. scribit manum imponi correctis hæreticis, *propter charitatis copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti.* Existimat ergo per illam manus impositionem hæreticos copulari Ecclesiæ, ut separatione sublata vim suam exerant sacramenta foris susceptа. Præterea fatentur adversarii (Morinus saltem, & Maldonatus) baptizatos in Ecclesia priusquam declinarent in hæresim, receptos *per manus impositionem in pœnitentiam*, idque Stephano concessisse Rebaptizantes, cum hi tantum sacramenta repetenda contenderent in baptizatis in hæresi. Atque id manifestum est ex literis Cypriani mox producendis. Quare Augustinus lib. 3. de Bapt. cap. XI. num. 16. ait: *Hoc enim ipse etiam Cyprianus cum cæteris statuit, ut si ab hæresibus redirent ad Ecclesiam quicunque fuerant in ea baptizati, non jam per baptismum, sed per pœnitentiam reciperentur; unde constat eos non posse admittere recedentes, quod*

19. Sententiæ oppositæ nec Augustinus, nec Cyprianus favet.

non recipiunt remeantes. Consensisse Cypriano Crescentem à Cirta, Cassium à Macomadibus, aliosque Patres Synodi Carthaginensis, celebratæ cura & auctoritate Cypriani, constat ex eodem Opere Augustini lib. VI. cap. 15. & 19. Atqui S. Pater in universo illo Opere demonstrat eandem rationem habendam esse de baptizatis in Ecclesia, & de baptizatis in hæresi, probatque integra in utrisque permanere sacramenta. Igitur credidit utrosque reconciliandos *per solam manus impositionem in pœnitentiam.* Insuper quod Augustinus affirmavit de baptismo, validum hunc esse extra Ecclesiam collatum, idem asseruit de Confirmatione, revincens Petilianum sacramentum chrismatis datum ab hæreticis repudiantem, ut patet ex lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. num. 239. Quemadmodum ergo baptismus, ita Confirmatio nunquam juxta Augustini doctrinam est iteranda. Rursus movet adversarios quod scribit Augustinus lib. III. de Bapt. cap. 16. *Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest*; unde inferunt, Igitur per Augustinum repetitur Confirmatio. Sed inepta, & illegitima consecutio; siquidem demonstrandum est, quod negamus, hanc manus impositionem esse sacramentum Confirmationis. Negamus, inquam, id, & pernegamus; primum quia ex Augustino Confirmatio nequit repeti: impositio itaque manus, quæ potest iterari, non est Confirmatio. Deinde statim de illa manus impositione subjicit S. Pater, *Quid est aliud, nisi oratio super hominem?* Affirmat ergo, quod repeti possit, quoniam non est sacrosanctum signaculum permanens in desertoribus, & imprimens characterem, cujusmodi est *sacramentum chrismatis*; sed oratio, quam Episcopi fundebant imponendo manum *substratis.* Ad hæc lib. v. cap. 20. num. 28. aperte Augustinus sacramentum Confirmationis distinguit *ab impositione manus*; & cap. 23. num. 32. huic impositioni manus tribuit reconciliationis, & gratiæ vim, *propter charitatis copulationem*: imo eodem cap. 16. scripserat per manus impositionem dari Spiritum sanctum, *quia charitatem non habent, qui ab Ecclesiæ communione præcisi sunt*; ii autem quibus manus imponitur Spiritus sanctus invisibiliter & latenter confertur, *propter vinculum pacis.* Neque probant oppositum Augustini verba, eodem capite affirmantis nunc eos, *quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur*, linguis repente non loqui. Non enim sensus horum verborum est comparandam esse undequaque impositionem manus *reconciliatoriam* impositioni manus Apostolorum *confirmatoriæ*, ut adversarii nugantur. Sensus est, impositione manus *reconciliatoria* dari Spiritum sanctum *latenter propter vinculum pacis*; quemadmodum Apostoli impositione manus *Sacramentali* dabant *invisibiliter* Spiritum sanctum ad animi firmitudinem, & *visibiliter* ad *commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda*, cæterum impositionem manus reconciliatoriam nihil esse aliud, quam *orationem super hominem*, & in hac esse cooperationem Spiritus, *& donum charitatis & pacis*; cum in impositione manus Apostolorum esset *Sacramentum* imprimens characterem, *quod habere etiam Simon magus potuit.* Refutantur itaque adversarii tum ex aliis Augustini locis, cum ex præcitato cap. 16. lib. 3. de Baptismo, ex quo petunt erroris sui patrocinium.

14. Sententia S. Cypriani circa eadem.

Veniamus ad Cyprianum. Hunc putant quidam existimasse, quod venientes ab hæresi, & foris baptizati reciperentur per impositionem manus *confirmatoriam*, quoniam in Epistola ad Jubajanum pag. 280. & 285. novæ edit. pugnat cum Catholicis, demonstratque iterandum esse baptismum ex quo ipsi Catholici universim iterent Confirmationem. *Quod si secundum pravam fidem* (inquit) *baptizari aliquis foris, & remissam peccatorum consequi potuit; secundum eandem fidem consequi Spiritum sanctum potuit, & non est necesse venienti manum imponi, ut Spiritum sanctum consequatur, & signetur.* Præterea in eadem Epistola, necnon in Epist. ad Steph. pag. 275. ait tunc redeuntes ad Ecclesiam sanctificari, *si utroque sacramento nascantur*; idemque affirmat in Concilio Carthaginensi Nemesianus à Tubulis, aliàs Tubunis. Adde quod nisi Cyprianus explicetur de sacramento Confirmationis, arripient iterum ansam hæretici, & contendent *impositionem manus*, de qua S. Martyr, puram putam ceremoniam esse, neque ab eo admitti chrismatis sacramentum.

15. Responsio aliquorum de hac re.

Complures ad hæc respondent, Cyprianum utique existimasse sicuti baptismum, ita Confirmationem hæreticorum esse irritam, atque errori addendo errorem, id est, putando in Catholica recipi hæreticos omnes per iteratum Confirmationis sacramentum, hoc telo adversus Catholicos *ad hominem*, ut inquiunt, decertasse, Iteranda est Confirmatio data ab hæreticis, ergo & illorum

rum baptismus : hanc tamen pugnandi rationem falsæ suppositioni esse innixam. Verum, etsi fortè Cyprianus idem judicium tulerit de Confirmatione, ac de baptismo, & utrumque sacramentum apud hæreticos nullum crediderit, quod ego non ibo inficias ; nihilominus falsum est loqui illum de Sacramento Confirmationis, ubi pertractat de hæreticis recipiendis. Quod ut palam fiat, animadverte in hoc deceptum Cyprianum, quod crederet sententiam esse Stephani baptizatos ab hæreticis renasci, induere Christum, & remissam consequi peccatorum. Quod nos Volum. VI. apertissime demonstravimus, &, ni fallor, ex locis quoque nuper productis evincitur. Hac sola adnotatione facilius, quam alii faciant, hunc solvam nodum. Ergo in Epistola ad Jubajanum verborum Cypriani sensus est : Si tincti ab hæreticis consequuntur peccatorum remissam, quare redeuntes ad Catholicam expiantur impositione manus, ut sanctificentur ? Numquid potest haberi absque Spiritu sancto peccatorum remissio ? Non consecuti fuerant in hæresi *Spiritum sanctum* ; igitur neque peccatorum remissam, ideoque nec baptismum. Quod utique Cypriani argumentum non procedit ex suppositione, quod hæretici reciperentur per impositionem manus *confirmatoriam*, sed ex suppositione, quod Stephanus traderet baptizatos ab hæreticis renasci, induere Christum, & peccatorum consequi remissionem. Qua in re, ut dixi, Cyprianus sententiam Stephani non est assecutus, neque accuratè distinxit inter *characterem* Sacramentorum, & gratiam. Idem aliorum testimoniorum sensus est. Probat enim in Epistola ad Jubajanum, & in altera ad Stephanum, opus esse, ut hæretici resipiscentes utroque sacramento renascantur, ex textu Evangelii, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto ;* ubi nihil de Confirmatione : eundemque locum urget in Synodo Carthaginensi Nemesianus. Quare uterque ratiocinatur hoc pacto : Qui baptizantur ab hæreticis, non renascuntur *ex Spiritu sancto ;* igitur non valide baptizantur, nec renascuntur : spiritalis quippe renascentia non *ex aqua* sola repetenda est, sed *ex aqua, & Spiritu sancto.* Renasci itaque *utroque sacramento*, non est in sensu Cypriani, renasci Confirmatione, & baptismate ; quando enim, & ubi Confirmatio appellatur renascentiæ sacramentum, seu regenerationis lavacrum ? Sed est renasci aqua, & renasci Spiritu sancto : *Neque* enim *Spiritus sine aqua operari potest*, inquit Nemesianus apud Augustinum lib. VI. de Baptismo, *nec aqua sine spiritu.* In qua pariter argumentatione Rebaptizantes lapsi sunt, characterem à gratia non distinguentes. Quod si adhuc contendas, *τὸ ex utroque sacramento* accipiendum in rigore verborum ; potius ad baptismum, & pœnitentiam, quam ad baptismum & Confirmationem, ea verba referrem. His corruunt argumenta superius posita : quorum postremum nullius est roboris ; siquidem alia suppetunt adversus Dallæum, cæterosque hæreticos loca Cypriani apertissima, commonstrantia sacramentum Confirmationis : de quibus cap. 2. prop. 2. pag. 15.

16. Roboratur ulterius Cypriani sententia.

At, inquis, unde constat Cyprianum non urgere sua in Stephanum argumenta ex suppositione, quod juberet Romanus Pontifex, ut reconciliarentur hæretici per iteratam Confirmationem ? Respondeo id constare ex ipso Cypriano, necnon ex adversariorum complurium sententia. Præscribebat enim Stephanus veterum traditionem, ut venientes à quacunque hæresi, modò baptizati forent in adunata Trinitate, non repetito baptismate, reciperentur *sola impositione manus in pœnitentiam.* At quod Stephanus universim de hæreticis pronuntiabat, hoc Cyprianus observandum esse concedebat de baptizatis in Ecclesia priusquam à fide desciscerent, contendens præter illam impositionem manus, in baptizatis apud hæreticos adhibendum iteratum baptisma. Fatebatur ergo Cyprianus redeuntes hæreticos recipi juxta veterum consuetudinem, *per manus impositionem in pœnitentiam.* Manifestum est ratiocinium istud ex præcitatis Augustini verbis lib. III. de Baptism. cap. XI. atque ex ipsomet Cypriano hæc scribente in Epist. ad Quintum pag. 272. *Dicunt se in hoc veterem consuetudinem sequi, quando apud veteres hæreseos prima adhuc fuerint initia, ut hi illic essent, qui de Ecclesia recedebant, & hic baptizati prius fuerant ; quos tamen ad Ecclesiam revertentes, & pœnitentiam agentes necesse non erat baptizare. Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse, & à nobis ad hæreticos transisse, si postmodum peccato suo cognito, & errore digesto ad veritatem & matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere ; ut quia ovis fuerat, hanc ovem abalienatam & errabundam in ovile suum pastor recipiat.*

Consectarium.

17. De impositione manuum quoad hæreticos &c.

Non erat ergo impositio manuum, qua recipiebantur hæretici baptizati in Ecclesia, diversa ab illa, qua recipiebantur baptizati in hæresi; sed utraque erat ceremonialis, reconciliatrix, pœnitentialis. Hoc inter utrosque discrimen, quod baptizati in hæresi facilius veniam consequebantur, & per manus impositionem reconciliati Ecclesiæ accipiebant in ea communionem, charitatem, pacem, unitatem, atque invisibilem Spiritum sanctum: atque ita salubriter incipiebant habere sacramentum baptismatis, quod susceptum in hæresi tanto perniciosius, quanto indignius habebant. At baptizati in Ecclesia, utpote apostatæ, desertores, & qui disruperant vinculum unitatis, ante reconciliationem ad publicam pœnitentiam subeundam cogebantur; & ubi primum venientes ad unitatem, statim admittebantur inter *Substratos*, ut se Antistitum manui substernerent; redeuntibus post spontaneum lapsum, à gradu *Fletus* ad *Audientiam*, ab *Audientia* transeundum erat ad *Substrationem*, & complendum ita universum curriculum pœnitentiæ. Hoc insinuat Innocentius I. præcit. Epist. 22. ad Rufum Episcopum Thessalonicensem: hoc Augustinus confirmat lib. 2. adversus Cresconium cap. 16. hoc scholio in canonem VII. Constantinopolitanum demonstrat Lupus; hoc denique hujus, ac præcedentis thesis est consectaria conclusio.

Thesis IV.

18. De differentia characteris Baptismalis à charactere Confirmationis.

Statuenda est inter characterem baptismi, & characterem Confirmationis aliqua connotativa distinctio. Nam per characterem priorem tribuitur homini regenerato potestas, quæ ad ejus vitam & salutem spectat; per hunc verò characterem potestas pertinens ad spirituale certamen: per unum confertur signaculum civium spiritalis Jerusalem; per alterum Christiani militis nota. Etsi enim quisquis baptismo initiatur, adscribitur in Christianam militiam, eique adversus hostes, quibus *abrenuntiavit*, pugnandum est; sacro tamen linitus chrismate, quasi militari baltheo exornatur, inungitur, constituitur athleta, ut non tantum inire valeat communia & quotidiana certamina, verum etiam difficiliora, interdum cum vitæ discrimine, & profusione sanguinis subeunda. Adeat, qui de hac re plura expetit, S. Thomam 3. p. q. 72. art. 5. & 6. Estium in IV. dist. VII. §. 16. & Basilium Poncium p. 3. cap. 2. quippe nobis non est diutius, & obnixius huic perquisitioni incumbendum.

CAPUT X.

Brevi pertractans de Ritu Confirmandi, sive de hujus Sacramenti ceremoniis.

SUMMARIUM.

1. Præliminaria.
2. Quid de chrismate contra Claudium sentiendum.
3. De Patrinis confirmandorum.
4. De forma unctionis tam Græcorum, quàm Latinorum.
5. De vittis lineis, sive fasciolis.
6. De alapa confirmato danda.

1. Præliminaria.

Non erimus agentes de sacro Confirmandi Ritu nimium prolixi, cum de hoc pertractarint stylo ampliori Durantus, Casalius, Vicecomes, Martenius, & qui de Re Sacramentaria scripsere medii ævi, ac nostræ ætatis Theologi. Plura etiam nos superioribus disputationibus delibavimus, egimusque de ministrantium, & confirmandorum conditione, de tempore quoque, & hora, necnon de chrismate, & balsamo, quo conficitur, atque de ejusdem chrismatis benedictione. Cum verò necessum non sit ea repetere; partes nostras impleviſſe arbitramur, si notas quasdam subjiciamus, quibus ipsius chrismatis usus, compatrum conditio, modus unctionis, vittæ lineæ, seu fasciolæ religamen, & alapæ, quæ impingitur confirmato, ratio exponantur.

De Chrismate.

2. Quid de chrismate contra Claudium Vert sentiendum?

Ut ergo exordiamur à *chrismate*, fallitur principio Claudius de Vert scribens tom. 2. pag. 156. & seq. ipsius originem nequaquam fuisse *mysticam*, quod eo utens Ecclesia intenderit duntaxat instaurare

instaurare ritum, ceremoniamque Judaicam. At hinc potius eruitur oppositum: veteres quippe ritus præsignabant Christianæ legis mysteria; & præsertim *chrisma* in consecrationibus olim adhibitum, Exodi xxx. 25. & xl. 9. typus erat *Christi*, quem ob hypostaticam unionem, & gratiæ plenitudinem *unctum*, Psalmista Ps. xliv. 8. testatur. Illa quoque consecratio legalis erat symbolum spiritalis unctionis, & habitualis gratiæ, cujus intuitu Joannes Epist. 1. cap. 2. 20. ait: *Vos unctionem habetis à sancto*; Græcè, ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου. Errat ergo, suisque argumentis refutatur De-Vertius, in quem alibi acuimus stylum. II. Oleum pariter operamque perdunt sacram unctionem arcessentes è moribus Ethnicorum, qui perungebant pugiles & luctatores. Quamquam enim non diffitemur etiam in agone pugnantes unguentis perlinitos, quippe qui legimus Myrothecia Scacchi, & quæ ibi in 1. cap. 34. profert vir doctus ex Virgilio 3. Aen. canente, *Exercent patrias, oleo labente, palæstras*, ex Plutarcho scribente in Themistocle, hunc oleo delibutum *ad obeunda pro patria certamina*, ἐπὶ τοὺς ἀγῶνας ὑπὲρ τῆς πατρίδος, & ex aliis profanæ, & sacræ eruditionis monumentis, nec ignoramus quæ de athletis scriptores plurimi consignaverunt literis; duo tamen sunt, quæ sacrorum chrismatum præstantiam tutantur: unum scilicet, quod nil deroget sacrosanctis signaculis, si aliquem apud profanos usum habeant, cui insit cum spiritali effectu similitudo aliqua & necessaria ad sacramenti rationem *analogia*, ut diximus libro xxx. cap. 1. alterum, quod eodem capite animadvertimus, non solum in profanis, verum etiam in negotiis idololatriæ, ut phrasi utamur Tertullianea, dæmonem *æmulanter* affectasse res divinorum Sacramentorum. Quod in unctionibus præsertim factum tradit idem Tertullianus, commemorans de Præscript. cap. 40. consignationem militum factam à Mitra, præcipuo scilicet sacrorum ministro, qui etiam ab Apulejo *Mithra* nuncupatur; quamvis eo vocabulo Persæ appellitent solis simulacrum. Ac fortasse dæmon ad æmulationem illam vehementius est incitatus, quod Judæi cultores unius numinis adhiberent unctiones frequentissimas, etiam antequam inirent prælia: quod solemni ritu peractum in Juda Machabæo, auctor est lib. 3. historiæ hebraicè conscriptæ Joseph Ben-Gorion. III. In *Chrismatis* consecratione, quam faciendam diximus ab Episcopo in Feria v. majoris hebdomadæ, tametsi priscis sæculis fas erat chrisma conficere quocunque die, ut constat ex can. 20. primæ Synodi Toletanæ, culpant heterodoxi consuetudinem illam, qua Episcopus & presbyteri confectum chrisma salutant, dicentes, *Ave sanctum chrisma*. Partim verò commoventur hæretici, quod adoratio facta inanimi elemento videatur idololatriæ crimen, partim quod ineptum sit, & supra modum puerile salutem dicere, sive jubere, ut salva sit res sensu destituta. Verum delirant, & aniles ineptias, gerrasque effutiunt hæretici. Observatum optimè à Pouget tom. 2. Instit. Cathol. cap. 8. & à sapientissimo Pontifice Not 189. in Fer. v. majoris hebdomadæ, hunc salutationis ritum quinto, ac sexto sæculo viguisse: quod nos facile comprobamus ex quo illius meminerint Magnus Gregorius in Sacrament. antiquus Ordo Romanus, Pontificale Remense annorum mille, Pictaviense ejusdem ferme vetustatis, & perantiqua MSS. Egberti Eboracensis Archiepiscopi, laudata ab erudito viro tom. iii. in Pontif. Rom. pag. 77. nec meminerint tantum, ritum ipsum præterea commemoraverint, non quasi eo temporis institutum, sed tanquam receptum, communem, probatumque auctoritate majorum: quod utique antiquissimæ originis argumentum est apertissimum. Jam vero hæreticorum nugas refutarunt plerique Theologorum, & Pontifex summus, respondendo adorationem Chrismatis non esse *absolutam*, sed *relativam*, ad Christum nempe, cujus symbolum est, referendam, atque in illa animi exultationem ob perfectam rem mysteriorum, virtutisque plenissimam, reverentiam insuper sacramentorum, esse attendenda. Protulerunt quoque docti viri exempla Paulæ, quæ cum Bethlemum perveniisset, ut in ejus Epitaphio tom. iv. pag. 674. scribit Hieronymus, exultans ait: *Salve Bethleem domus Panis, in qua natus est ille panis, qui de cœlo descendit. Salve Ephrata regio uberrima, atque* καρποφόρα (fructifera) *cujus fertilitas Deus est.* Exemplum quoque Andreæ crucem alloquentis, *Salve crux pretiosa*, & Gregorii Nazianzeni, qui valedixit Constantinopolitanæ urbi, templo, & cathedræ, quando sese abdicavit Episcopatu. Et si exempla alia quæras; extat in antiquo carmine de die Parasceves producto à nobis tom. 5. pag. 349. *Salve festa dies, quæ vulnera nostra coërces*: in Ordine Romano pag. 56. & apud

Venantium Fortunatum, de die Paschatis, *Salve festa dies, toto venerabilis ævo:* apud Alcuinum poëm. 216. de urbe Roma, *Salve Roma potens, mundi decus, inclita mater:* quarum salutationum possent, si vacaret, proferri plurimæ. IV. De *chrismate* autem hæc præterea statuta esse invenimus: primò, quod singulis annis sit innovandum, ex decreto, ut fertur, Fabiani Papæ; ex cap. *Si quis de alio*, de Consecrat. dist. IV. num. 122. & apud Burchardum lib. IV. decret. cap. 72. ex Concilio Bituricensi anno 1584. quo etiam statuitur, *ut vetus igni comburatur.* Præterea definitum est, ut presbyteri non à quocunque Episcopo, sed à proprio recipiant chrisma, ex cap. *Præsbyteri*, de Consecrat. dist. IV. num. 123. deprompto ex Concilio IV. Carthag. can. 36. ex præcit. cap. *Si quis de alio*, quod Burchardus, Ivo, & Gratianus tribuunt Synodo Lugdunensi, ex Conciliis Vasensi, Antissiodorensi, & Cabillonensi laudatis à Tournelio pag. 250. & Vitassio pag. 641. edit. Ven. Græco-Itali tenentur & ipsi accipere chrisma à proprio Episcopo Latino, cujus jurisdictioni subjiciuntur, nunquam vero recipere illud possunt ab Episcopis schismaticis, seu non habentibus cum Romana Ecclesia communionem, ex Const. BENED. XIV. super Rit. Græc. §. 4. Tertiò cautum est, ut *chrisma* diligentissimè sub sigillo, aut sera custodiatur, canone 27. Concilii Moguntiaci an. 813. confirmato à Synodo Lingonensi tit. X. cap. 4. can. 4. Concilii Lamethensis an. 1530. canone 17. Concilii Friningensis an. 1440. à quo laudantur quoque constitutiones Concilii Lateranensis, ex Concilio III. Mediol. an. 1573. item cap. 55. Capitul. Caroli M. lib. 3. & cap. *Præterea & illud*, ex collectis à Burchardo lib. IV. n. 80. Plura eodem libro extant decreta, quæ prohibent, ne pro chrismate Episcopi, aut alii Ecclesiarum ministri recipiant *denarios, vel quælibet munuscula.* V. Continuator Vitassii, cum omnia ad Sacramentum Confirmationis spectantia studuerit comprehendere, egit q. 2. sect. 6. §. 20. etiam de variis chrismatis usibus, scilicet in consecratione electi in Episcopum, in consecrationibus templorum, altarium, calicis, patenæ, campanæ, in benedictione aquæ baptismalis, in verticali unctione baptizatorum, atque in ipsorum confirmatione. Ignoro, cur in tam distincta enumeratione prætermiserit usum *chrismatis* in benedictione cerearum imaginum, quas dicimus *Agnus-Dei:* olim quippe *chrisma* ceræ immiscebatur, ut constat ex carmine Urbani V. ad Imperatorem Constantinopolitanum, ubi materia, ex qua sacræ illæ imagines conficiuntur, his versibus exprimitur:

Balsamus, & cera munda, cum chrismatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum;

quamvis modo *chrisma* non immiscetur ceræ, sed infundatur aquæ, in quam *Agnus-Dei* in solemni benedictione merguntur. VI. Illud postremò de chrismate est adnotandum, benedictiones in quibus ipsum *chrisma* adhibetur, faciendas à solis Episcopis, neque ab ipsis posse committi presbyteris, quantumvis inter cæteros honore dignis, absque speciali Sedis Apostolicæ privilegio. Sacra enim Rituum Congregatio interdum concedit Episcopis facultatem delegandi pro benedictione sacrorum indumentorum, *in quibus chrisma non debet adhiberi*, simplices quoque presbyteros; at non pro consecratione aliqua *chrismate* peragenda. Atque id sacra Congregatio rescripsit die 17. Januarii an. 1733. Archiepiscopo Bononiensi Prospero Lambertini, nunc Pontifici Maximo, qui eodem anno de Benedictionibus edidit Notificationem numero vicesimam, doctrina, & eruditione, numerisque omnibus absolutam, atque, ut reliquæ omnes, lectu dignissimam. Præfectus quoque Sacrarii Apostolici, qui solet ex Ordine nostro assumi, cum ex Pontificio diplomate possit benedicere ornamenta altarium, sacra indumenta, corporalia, & quidquid ad sacrum pertinet usum; non potest tamen benedictiones illas perficere, quæ *chrismate peraguntur*, nisi Episcopali charactere sit insignitus, ut inquit Angelus Rocca tom. I. pag. 324. At de chrismatis significatione mystica, consecratione, custodia, & usu, si hæc perpauca præcedentibus disquisitionibus adjiciantur, satis superque dictum est.

De Confirmandorum Patrinis.

8. De Patrinis Confirmandorum.

Eadem prorsus dicenda sunt de susceptoribus, seu Patrinis Confirmandorum, quæ capite ultimo libri XXXI. scripsimus de suscipientibus baptizandos. Addamus nihilo tamen minus nonnulla. Adhibendos in Confirmatione susceptores, constat ex perantiqua Ecclesiæ praxi, comprobata ex capite, *In catechismo*, quod tribuunt Hygino, protulitque sæculo septimo Theodorus in Pænitentiali num. 4.

num. 4. item ex cap. *Non plures*, deprompto ex Walafrido Strabone, & ex cap. *In Baptismate, vel in Chrismate*, sive ex Theodoro, sive ex Concilio Moguntino: quæ omnia collegit Gratianus de Consecrat. dist. 4. S. Thomas q. 72. art. 10. hujus ritus hanc profert rationem, quod illi, qui seliguntur ad pugnam, debent instrui à veteranis, & diuturno usu in re militari exercitatis, quemadmodum recens nati capessere debent vitæ rudimenta. Ac sunt, qui cum Ladulpho Carthus. p. 1. Vit. Christi cap. 24. repetunt Compatrum originem ab Apostolis; quorum senior Andreas Petrum fratrem suum adduxit ad Dominum. II. In Confirmatione nemo teneri potest à patre, vel matre, vel vitrico, vel noverca: quod statutum fuit à Concilio Londinensi sub Innoc. III. an. 1200. can. 3. & præcitato cap. *In baptismate.* Idem sancivit an. 813. can. 31. Concilium Cabillonense, cujus decretum extat cap. *Dictum est nobis*, xxx. q. 1. Necnon Nicolaus I. epist. 19. ad Rodulphum Bitur censem Episcopum an. 864. & habetur cap. *De his, qui filiastros suos*, eadem Q. n. 6. Horum decretorum ratio petitur ex cognatione spirituali, quæ contrahitur *Confirmantem inter & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem*, sed hos non egreditur limites, ex Concil. Trident. sess. XXIV. de Reformat. Matrim. cap. 2. Ob eandem rationem, ne scilicet multiplicentur impedimenta Matrimonii, præscribit Pontificale Romanum, ut *nullus teneat, nisi unum, aut duos, non plures, nisi aliter suadeat necessitas*; quod etiam habetur Cap. *Non plures*, de Consecrat. dist. IV. num. 101. in Synodo Burdigalensi celebrata an. 1583. aliisque Ecclesiasticis definitionibus. III. Requiruntur autem in Compatribus conditiones, quas subjiciam. Primum debent esse baptizati & confirmati, ex præcit. capite *In baptismate, vel in chrismate*, ex Pontif. Romano, innumerisque Synodorum statutis. Deinde nec mares fœminis compatres, neque fœminæ viris, neque senioribus juniores esse debent, cum id minime deceat, ut præmonuit idem Pontificale Romanum, statuitque an. 1585. Synodus Aquensis. Ad hæc merito exigit Concilium Mediolanense V. an. 1579. ut tam confirmandi, quam patrini orationem Dominicalem, salutationem Angelicam, & symbolum Apostolicum memoria teneant, imo hæc omnia recitent coram Episcopo. Meminisse quoque debent muneris sui; in suam quippe tutelam recipiunt confirmatum, eique tenentur tradere quæ decent probum, honestumque Christianum; ut jure optimo declarat can. 15. Synodus Narbonensis sub Paulo V. celebrata: quæ si verterent animo, *vix ardentius arcessiti & invitati id muneris obirent*, ut in Resp. ad Dionysium Monachum lib. III. Juris Orient. ajebat Elias Cretensis. Insuper studium adhibere debent, ut iis, quos suscipiunt, immutetur nomen, si turpe aut ridiculum sit, vel ex avita gentilitate derivatum; ut mandant præcitata Synodus Aquensis, & Mexicana anni 1585. Qua in re servari debent, quæ de nomine baptizandis imponendo scripsi tom. VI. Adhæc præcitata Aquensis Synodus, necnon Mediolanensis I. anni 1565. prohibuere, ne susceptores sive iis, quos susceperint, sive horum parentibus quidquam, vel minimum largirentur, ne videantur spiritalia munera largitionibus officiisque captari. IV. Si quis non confirmatus alium susciperet, peccaret quidem graviter; consensione tamen Doctorum contraheret spiritualem cognationem, ut observarunt Sylvester v. Matrimonium, §. VIII. q. 7. Dominicus Soto dist. 41. q. 1. art. 3. & Sylvius 3. p. q. 72. art. 10. propterea quod, ratione baptismatis esset capax ejusdem cognationis spiritualis; teneretur pariter, quod compatrum est, confirmatum monere, instruere, eique tanquam dux præesse in spiritali certamine, & probatæ vitæ exemplo & magisterio præire. V. Patrini infantes in brachiis tenere debent; at si confirmentur adulti, *ponunt pedem suum super pedem patrini sui*; quod non solum præcipit Pontificale Romanum, verum etiam Gregorius Magnus in Sacramentario tom. 3. pag. 73. & antiquus Ordo Romanus pag. 54. Recte itaque S. Carolus in quinto Mediolanensi Concilio ritum hunc appellavit *antiquum*. Censet Auctor Commentariorum in Pontif. Rom. tom. I. pag. 12. ad hunc ritum referenda esse verba Nicolai I. in laudata Epistola XIX. ad Bituricensem Episcopum; *De his qui filiastros suos, dum chrismantur ab Episcopis, super se SUSTINENT, &c.* Addit significatum hac ceremonia regendos esse à compatribus juniores, de quibus Isaias cap. LIX. 8. *Viam pacis nescierunt, & non est judicium in gressibus eorum.*

De unctionis Forma.

4. De forma unctionis tam Græcorum, quàm Latinorum.

Græci, ut liquet ex Euchologio pag. 360. consueverunt ungere baptizatum ἐπὶ τοῦ μετώπε, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ τῶν μυκτήρων, καὶ τὲ στόματος, καὶ τῶν δύο ὤτων, *in fronte, oculis, naribus, ore, & duabus auribus.* Pectus addit S. Cyrillus Catech. 3. pag. 526. harumque unctionum ita significationem exponit: *Ac primum quidem fronti illinitur, ut eum abstergat pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circumferebat, simulque efficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Domini intueri. Deinde vero aures unguntur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis. Postea nares, ut divinum recipientes unguentum dicatis, Christi gratus odor est Deo in his qui salvantur. Tum verò & pectus inungitur, ut induti thoracem justitiæ fortiter adversus insultus diaboli consistatis.* Similia Goarius nota 30. in Officium Baptismatis. Euchologia quædam addunt unctionem manuum ac pedum apud Isaacium Habertum in Pontificali Græcorum pag. 708. sed unctionem hanc veteres omittebant, ut testatur lib. 1. Concordiæ cap. ult. Arcudius, confirmatque Goarius ex MSS. Cryptoferratensi & Barberino, ex præcitata Cyrilli Jerosolymitani catechesi tertia, necnon ex canone VII. Concilii 1. Constantinopolitani: de quo supra. II. At Latini solam adhibent unctionem frontis, quoniam in fronte verecundiæ sedes est; & Confirmatio præstat, ne Christi nomen confiteri erubescamus, ut docent Florentinum Conc. in Instruct. Armen. Catech. Romanus p. 2. cap. 3. num. 24. S. Pater Augustinus lib. XII. contra Faustum cap. 30. serm. 27. aliàs 20. de Verbis Apost. num. 6. serm. 174. aliàs 8. de Verbis Apost. num. 3. in Ps. 50. num. 1. & 143. num. 2. aliisque in locis, Innocentius III. Extra, de Sacra Unctione, & cum D. Thoma q. 72. art. 9. universi Theologi. Quod si opponas ungendum & pectus, quoniam istic sedes est roboris; aut inungendum totum corpus, quia ubique serpet languor; aut saltem liniendum os, quo articulatur fidei confessio; jam habes ex Angelico Doctore responsum, in fronte tantum, ubi sedes pudoris sita est, & fortitudinis, & verecundiæ, & timoris indicia apparere, ideoque frontem solam esse inungendam chrismate, quoniam sacramento Confirmationis non confertur virtus fidem catholicam profitendi animo tantum & corde, neque aperto duntaxat ore, verbisque sonantibus; sed palam, intrepidè, & absque erubescentia, absque trepidatione, quas affectiones nisi superna virtus expectoret, apparent in fronte illarum vestigia; sunt enim signa perturbati animi, ut Lucretii lib. VI. utar verbis,

Triste supercilium, furiosus vultus, & acer.

Contra frons, quæ nullo velamine tegitur, ingenuæ, liberalis, non fucatæ, nullaque arte quæsitæ confessionis exhibet conjecturas. III. Præterea cum facies sit hominis pars præcipua, in eaque frons emineat, idcirco *chrismate* consignatur, ut Domino cruci affixo sese confirmatus addictum & consecratum esse cognoscat, mundique illecebras, voluptates, ornatusque, uti spopondit in baptismate, despiciat, & aversetur, tanquam sacræ huic unctioni contrarias. Ad sacrum propterea *chrisma* intendisse animum creditur beata Agnes, dum ait: *Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.* Inde quoque occasionem arripuit reprehendendi mulieres percultas Aurelius Prudentius in Psychomachia, dum luxuriæ & sobrietatis pugnam describens cecinit:

Quis furor insanas agitat caligine mentes?
Quo ruitis? cui colla datis? quæ vincula tandem,
Proh pudor! armigeris amor est perferre lacertis?
Lilia luteolis interlucentia sertis,
Et ferrugineo vernantes flore coronas?
His placet assuetas bello jam tradere palmas
Nexibus? his rigidas nodis innectier ulnas?
Ut mitra cæsariem cohibens aurata virilem
Combibat infusum croceo religamine nardum,
Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Unguentum regale datum est, & chrisma perenne?

De

De vittis lineis, sive fasciolis.

5. Frons uncti lineis vittis cingi debet.

Quanta autem reverentia peragi debeat hæc unctio, suadent ipsa frontis ligamina, horumque apud veteres usus. Nam priusquam *chrismate* inungatur frons confirmandi, majorum nostrorum instituto curandum est, ut frons munda & nitida fiat, abluatur caput, & tondantur capilli. Ita præscripsere an. 1579. Synodus Mediolanensis, & 158[illegible]. Rothomagensis; ne alia hujus generis decreta commemorem. Jusserunt pariter, ut parentur vittæ lineæ, atque iis frons ligetur, sicque maneat ligata, quousque *chrisma* exsiccetur, aut extergatur. Hæc ligamina ex nova tela, munda, tribusque lata digitis ut fiant, mandat Concilium Vigornienſe an. 1240. & Colonienſe an. 1280. Adde statuta Synodalia Ecclesiarum Cadurcensis, Ruthenensis, & Tutelensis num. 7. in Thesauro Anecd. Martenii tom. IV. pag. 687. Ut confirmato ligetur frons, præcipit quoque Pontificale Romanum. II. Manebat olim frons confirmati ligata fasciolâ *septem diebus*, & per totam octavam Pentecostes, ut constat ex Ordine Romano, ex Amalario Fortunato, & Hugone Victorino. Postea *tribus diebus* deferendum ligamentum sancivit an. 1374. Synodus Beneventana, & an. 1400. Synodus Trecensis. Id vero ad spatium *viginti quatuor horarum* coarctavit Synodus Carnotensis anni 1526. Abstergendam statim frontem, sed abstinendum per septem dies à capitis ablutione, decrevit an. 1542. Synodus Lugdunensis. Ita paulatim Ecclesiastica disciplina fuit immutata. Saltem cavendum, ut *chrismatis* extersio fiat à Sacerdote adhibito gossipio, ut præcipiunt Synodus Mediolanensis V. Bituricensis, Aquensis, & statuta Synodalia paulo supra laudata ex Anecdotis Martenianis. III. Ut fasciola cremetur, & cineres serventur in primum diem Quadragesimæ, statuit præcitata Synodus Bituricensis; & quædam perantiqua statuta pag. 162. ejusdem Volum. Anecd. mandant, ut iidem *chrismalium* cineres in Ecclesia, vel atrio abscondantur sub terram. Eædem vittæ in profanum usum nullatenus possunt transferri: & si in usum Ecclesiæ depurentur, abluendæ prius sunt sale, & aqua in sacrarium funderda. Simili ratione lavandas frontes confirmatorum, cum fasciolæ auferuntur, ex Trecensi, Senonensi, & Carnotensi Synodis docet illustris Auctor Commentariorum in Pontif. Romanum tom. I. pag. 11. & Continuator Witassii postrema pagina, aliique post Martenium lib. I. de Antiq. Eccl. Rit. cap. 2. art. 3. pag. 248.

De alapa, qua confirmatus leviter caeditur.

6. De alapa confirmato danda.

Statim ac Pontifex pronuntiavit Confirmationis formulam, cædit leviter consignati maxillam, dicens, *Pax tecum.* Ceremoniam hanc non legi apud veteres, nec perantiquam esse, affirmant Juenin, L' Herminier, Vitasse, Tournely, aliique recentiores. Martenius ipse cit. cap. 3. ait neminem de hac ceremonia pertractasse ante Durandum Mimatensem Episcopum. Frui tamen illam antiquitatis honore demonstrant Pontificales Codices MSS. Vaticanus num. 4744. & Angelicæ nostræ Bibliothecæ: quorum ille quadringentorum annorum, iste vero quingentorum ætatem superat. Neque hi codices instituunt primò, sed institutum supponunt eundem ritum. Hinc nota è Scriptorum silentio non semper erui ratiocinationes invictas. II. Infligi confirmatis levem alapam, ut suscepti sacramenti serventur memoriam, Senonensis & Carnotensis Synodi tradiderunt. Et quidem, sive attendatur indelebilis *character*, sive in Christianam militiam aggregatio, nunquam sacramentum, quod nefas est iterari, & quod est confessionis nostræ *signaculum*, deleri debet oblivione. Jure Prudentius in Cathemer. hymno *ante somnum*, ita hoc revocat in singulorum memoriam:

Cultor Dei, memento
Te Fontis, & Lavacri
Rorem subisse sanctum,
Te CHRISMATE innotatum.

Aliam hujus percussionis rationem proferunt Concilium Colonienſe, Catechismus Romanus, S. Carolus Borromæus, aliique plurimi; ut nempe meminerit confirmatus, se tanquam athletam paratum esse oportere ad omnia adversa pro Christi nomine perferenda: ut percutienti dexteram, sinistram porrigat: ut Dominum Jesum imitetur, qui ante iniquorum

tribunal percussus alapa, invicto animo passus est injuriam. Dum enim ante Caipham consisteret, seque Dei filium & promissum Liberatorem profiteretur, ut narrat Evangelica historia, & canit lib. IV. Juvencus Presbyter,

Tunc sanctam Christi faciem sputa improba complent,
Et palmæ in malis, colaphique in vertice crebri
Insultant, verbisque omnes illudere certant:
Christe prophetabis cujus te palma cecidit.

Errant ergo hæretici, qui ut irrideant ritus Catholicæ Ecclesiæ, ceremoniam istam adhiberi autumant loco impositionis manuum, per quam Apostoli conferebant Spiritum sanctum. Verum de hoc ritu plura Joannes Ekius hom. 23. Joannes Stephanus Duranti lib. 1. cap. 20. & Natalis Alex. lib. 2. Th. Mor. tract. 3. cap. 6. De pace, ac benedictione data ab Episcopo confirmatis non opus est alia verba profundere, quam Catechismi Romani num. 26. *Pax ei* (confirmato) *datur, ut intelligat se gratiæ cœlestis plenitudinem, & pacem, quæ exuperat omnem sensum, consecutum esse*, ad Philipp. IV. 7. HaC ergo MethoDo LIber XXXII. absoLVtVs est.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER TRIGESIMUS TERTIUS,

Sive de mysteriorum omnium maximo; id est, de sacrosancto EUCHARISTIAE Sacramento.

1. Prævisum à Davide Eucharistiæ sacramentum.

REGIUS Vates, ut animadvertit Catechesi ex Mystagogicis quarta Cyrillus Jerosolymorum Antistes, prænuntians Evangelicæ legis mysteria, atque ob maximam horum dignitatem, utilitatemque lætitia plurima exultans, *Parasti*, inquit Psalmo XXII. *in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me: impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus est!* Postquam enim sacramento Confirmationis, quod significatur olei pinguedine, impressit fronti baptizatorum signaculum gratiæ, & sanctificationis sigillum; instruit eis, apparatque Dominus *Mensam*, in qua, ut in ipso maneant, aluntur Filii hominis carne, & sanguine in remissionem peccatorum effuso spiritaliter inebriantur. Nec Cyrillus tantum, etiam alii patres de EUCHARISTIA interpretati sunt Psalmographi verba, Origenes præsertim, Cyprianus, atque Augustinus. Igitur, cum superiori libro de sacramento Chrismatis pertractaverim, nunc mihi disserendum est de sacrosancto EUCHARISTIÆ mysterio: quod & postulat rerum ordo, susceptique operis institutio. Præsignarunt mysterium istud oblatio facta olim à rege Salem, & Dei altissimi sacerdote Melchisedech, servati in altare panes propositionis, panes item primitiarum oblati cum agnis anniculis, necnon Paschalis victima manducanda cum azymis, aliæque complures veteris Testamenti figuræ; quibus prænuntiata fuere juge sacrificium, cæleste convivium, Angelorum hominumque consortium, immensa demum gratiarum munera, quæ nobis confert divinum hoc, atque ineffabile sacramentum. Illud ipsum est, quod sive à symbolis, sive à re quam continet, sive à mysterii celebratione & frequentia, Ecclesiæ Patres appellaverunt Panem mysticum, supersubstantialem, cælestem; Corpus ac Sanguinem Domini; Sanctum donum, communionem, synaxim; & ne singula recenseam nomina, Sacramentum augustissimum, omniumque perfectionum consummationem. Nihil propterea potest à nobis excogitari sublimius, nihil difficilius investigari, nihil utilius aut mentis contemplatione, aut eloquio sermonis, aut Theologicis disceptationibus & commentariis attingi. Neque verò id conantibus præstigiæ hæreticorum hominum sunt nimium pertimescendæ; siquidem *adversus eos, qui nos tribulant*, & lacessunt, adversus insidias dæmonum, hæresumque portenta, hæc *mensa*, ut diximus, parata est; & ex illa, dum modo non accedamus indigni, surgimus hostibus formidabiliores, quemadmodum Græcorum Patrum eloquentissimus, Joannes Chrysostomus, memoria repetens quæ in immolatione Paschalis agni contigerunt apud Aegyptios, alloquebatur neophytos, *Si angelus viderit sanguinem, non illitum postibus, sed sanguinem veritatis in ore fidelium splendentem, abscedet ocyus.* Utinam id nobis præstet Panis ille vivus, qui descendit de cœlo natus in Bethlehem, atque ut nos proprio sanguine ablueret, ablutosque nutriret, sese tradidit peccatoribus apud unum Prophetarum dicenti-

bus, *Mittamus lignum in Panem ejus, & eradamus eum de terra viventium*: utinam, inquam, Panis ille transiens in animarum nostrarum vegetationem clementer nobis indulgeat, ut quæ libamus Sancta, digne possimus conficere, digne ministrare, digne edisserere, digne adversus hæreticorum machinamenta defendere.

CAPUT I.

De Sacramenti EUCHARISTIÆ institutione.

SUMMARIUM.

1. Eucharistiam esse Sacramentum supponitur ex dictis.
2. Ejus definitio.
3. 4. 5. Quidnam dici possit Eucharistiæ sacramentum, refertur Scotistarum, Thomistarum, & Auctoris,
6. Opinio aliquorum falsa, & Calvinianorum hæretica.
7. Quo die mensis Nisan immolabatur Phase.
8. 9. 10. 11. Contigisse hoc luna 14. exeunte, non ineunte, probatur multipliciter.
12. Tempore Christi Domini Judæi non utebantur duplici Neomenia.
13. Christus Dominus pridie, quàm pateretur, legale Pascha cum discipulis manducavit.
14. 15. 16. Firmatur hæc sententia
17. Christus eadem die cum Judæis Pascha typicum celebravit.
18. & seqq. nullus Judæorum annô passionis Christi distulit Pascha in proximum sabbatum, & in exeuntem lunam 15tam.

1. Supponitur ex dictis, Eucharistiam esse Sacramentum.

SACRAMENTI hujus dignitatem admiratione potius prosequi volumus, quam oratione; cum longe superet inopiam humani eloquii, nec possit exornari verbis, aut mente comprehendi. Illam lector Christiana pietate præditus, ex iis, quæ dicenda erunt de Filio Dei, Angelorum Domino, hominumque Reparatore sub mysterii hujus velaminibus latitante, poterit æstimare. Neque diu immorandum in ea quæstione, quæ solet esse caput cæterarum, an Eucharistia novæ legis sacramentum sit; posteaquam hanc pertractavimus lib. xxx. cap. 5. ubi vidimus etiam in ea convenire pestilentissimos hæreticorum: qui cum omnia Christianæ Fidei mysteria pessumdare, evertere, & labefactare tentaverint, duo tamen sacramenta receperunt, Baptismum, & Eucharistiam; si recepisse dicendi sunt, qui illis denegant vim sanctificandi, pluraque de illis tradunt hæresum, & impietatis portenta. Sed hæc ad alia potius capita, quam ad illud, in quo Theologi disputant de hujus Sacramenti *existentia*, referenda esse videntur. Qui ergo Eucharistiam sacramentum esse demonstrare velit theologicis argumentis, adeat præcitatum caput libri tricesimi: non enim de hac re indicunt nobis certamen infensissimi Ecclesiæ hostes, quemadmodum faciunt de sacramento Confirmationis, & de aliis, quæ ad Eucharistiam consequuntur.

2. Definitio Eucharistiæ.

Duo tantum perdifficili, amplissimæque dissertationi hoc loco instituendæ præmittimus; unum, quid sit Eucharistia; alterum quid sit illud, quod proprie Eucharistia nuncupatur. Eucharistiam itaque complures hac definitione circumscribunt: *Eucharistia est Sacramentum novæ legis, constans ex visibilibus speciebus panis, & vini, & invisibili carne & sanguine Domini nostri Jesu Christi, quod ipsemet pridie quàm pateretur instituit, ut suos qui erant in mundo suamet carne enutriret, & ipsi ambularent in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei.* Atque hanc definitionem cæteris præfert, vindicatque Merbesius 3. parte Summæ Christianæ pag. 137. In ea tamen, quæ de institutione dicuntur, ad definitionem non spectant, & quæ verbis afferuntur postremis, deprompta ex III. Regum XIX. 8. sapiunt veterum allegoriam, & fortasse superflua sunt. Quare breviorem, notissimamque Eucharistiæ definitionem probamus: *Eucharistia sacramentum est, in quo sub panis vinique speciebus Christi corpus & sanguis continetur, ad spiritualem animarum nostrarum refectionem.*

3. Quid sit illud, quod proprie Eucharistia dicitur.

Cum autem plura in Eucharistia reperiantur, id est, panis vinique accidentia, Christi corpus, & sanguis, ipsa subjectæ materiæ consecratio, vel sumptio; solent Scholastici investigare, quid horum revera sit, quod appellamus *Eucharistiæ sacramentum*. Ac sunt plerique asserentes accidentia, seu species, ipsummet sacramentum esse; non quidem suapte natura, sed quatenus per verba consecrationis determinantur ad significandum & continendum Christi cor-

corpus, comparate ad animorum refectionem ac nutrimentum. Qui verò ita sentiunt, ducuntur præsertim hac ratione, quod Tridentina Synodus sess. XIII. cap. I. communisque sensus cum Patrum, tum fidelium universorum profiteatur in sacramento Eucharistiæ Christi corpus, & sanguinem contineri: quod perinde est, ac dicere, rationem sacramenti congruere permanentibus panis, vinique speciebus, non Christi corpori aut sanguini; alioqui dicendum foret, sacramentum contineri sub sacramento. Id vero, inquiunt, erit manifestius, si ratio signi sensibilis, quæ inest cuique sacramentorum, attendatur; non enim quæ latent, sed *quæ ingerunt speciem sui*, signa possunt appellari. Atque hæc sententia inter Scotistas, aliosque vulgaris potest ab unoquoque teneri.

4. Sententia contraria Thomistarum.

Verum pugnant contra Thomistæ quidam cum Sylvio in quæst. 73 art. I. & Estio dist. VIII. §. 3. & contendunt sacramentum istud esse Christi corpus & sanguinem, non absolutè, sed quatenus continentur sub panis, & vini accidentibus, subnixi proximis argumentis. Principio, ajunt, Eucharistiæ sacramentum adorandum est eo cultu, quem appellamus *latriam*: est animarum cibus, atque viaticum: confert etiam gratiam, & futuræ gloriæ pignus, ac symbolum est. Species verò non sunt id, cui fideles exhibent adorationem latriæ; non illæ sanè, sed Christi corpus & sanguis enutriunt animum spiritualem, dicente Domino Joan. VI. 56. *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: neque species præsignant gloriam cælestem ac sempiternam. Deinde, inquiunt, species ante consecrationem aderant, nec tamen erat tunc sacramentum: ipsumque sacramentum conficitur verbis consecratoriis, cum species habuerint præexistentiam suam ante prolationem horum verborum. Postremò contendunt infirma esse oppositæ sententiæ argumenta; quando enim dicimus corpus Christi contineri sub sacramento, sensus est illud existere *sub speciebus sacramentalibus*, aut nobis exhiberi sub visibilibus signis: unde non sequitur corpus Christi non esse sacramentum; quemadmodum, ait Sylvius, ex verbis Apostoli II. ad Corinth. v. 19. *Deus erat in Christo, &c.* non infertur Christum non esse Deum, sed Deum factum nobis esse visibilem in Christo, qui Deus est. Ipsum quoque Christi corpus est signum sensibile ratione speciei, sicut Deus apparuit nobis in Christo ratione assumptæ carnis.

Arbitror ego utramque sententiam esse probabilem; & rejicio duntaxat comparationem nuper productam. Enimverò Christus Deus est, atque inter divinitatem, & humanitatem ipsius reperitur *substantialis unitio*: sed hanc minimè asserere possumus inter Christi corpus & species panis, nisi subscribamus Lutheranæ *de impanatione* hæresi, hoc eodem libro oppugnandæ. Qua unione sublata, non rectè diceretur, *Deus est Christus*, nisi forte sensu Nestoriano. Atque ita non est satis castigata locutio, *Christi Corpus est sacramentum*, nisi sic accipiatur, *Christi Corpus est sub sacramento*; quoniam inter Christi corpus, & visibilia signa non intercedit illa unio, quam dicimus *hypostaticam*. Verba quoque Apostoli, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, Dei nomine non singularem Christi personam, sed vel Patrem, vel totam Trinitatem, cui pro nobis satisfecit, significare mihi videntur. Ad omnem ergo sophisticam prolixitatem vitandam, dico Sacramentum Eucharistiæ utroque constare, *visibili scilicet specie elementorum, & invisibili Domini nostri carne, & sanguine*, & utrumque dici sacramentum; sed neutrum sacramentum esse, si separetur ab altero. Id verò demonstrant ea, quæ subjicio, momenta. Cap. *Hoc est*, de Consecrat. dist. 2. hoc expresse, iisdemque verbis traditur, & licet idem caput proferatur ab Estio ad demonstrandam sententiam secundo loco positam: non refellit tamen priorem: imò distinguit sacramentum à re sacramenti, his verbis: *Est igitur sacramentum, & res sacramenti, id est, corpus Christi.* Cæterum eo loci, etiam corpus Christi, quod est *sacramenti res*, dicitur sacramentum, *Caro carnis, & sanguis sacramentum est sanguinis: quoniam scilicet, cælestis panis, qui verè Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera sit sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale in cruce est suspensum; vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio.* Ita Lanfrancus Cantuariensis, qui circa an. 1059. adversus hæresim Berengarii sedulam, egregiamque navavit operam, & ex quo desumptus est canon, *Hoc est*, Prospero Augustini discipulo communiter attributus. Præterea cap. *Multi*, 1. q. 1. num 84. inquit Gregorius: *Sunt autem sacramenta, baptisma, chrisma,*

5. Sententia auctoris.

corpus & sanguis Christi ; quæ ob id sacramenta dicuntur , quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorundem sacramentorum operatur.

6. Opinio aliquorum falsa, & calvinianorum hæretica.

At opinio eorum , qui putant sacramentum Eucharistiæ situm esse in sola consecratione , sive , ut placet Calvinianis , in sumptione sacramentali , apertissime falsa est ; & quantum ad secundam partem , hæretica. Falsa est prior opinio ; non enim consecratio , sed res consecrata est sacrosanctum signum , ac sacramentum : nec quidquam officit , quod sacramenta constent sensibili materia , atque forma ; quippe necessum non est , ut forma ipsa permaneat , dum sacramentum manet ac perseverat , quoniam , ut ostendimus Volumine VI. pag. 69. non habent partes , quæ sacramentum constituunt , cum principiis physicis æquabilem analogiam. Ex quo insuper sacramentum permaneat consecratione transacta , evidenter consequitur maximum inter ipsam consecrationem , & sacramentum reperiri discrimen. Calvini verò sententia eo directa , ut deneget in Eucharistia veram corporis & sanguinis Christi præsentiam , infra argumentis plurimis confutabitur. Nunc sat est animadvertere , confici sacramentum , quando verborum formula accedit ad elementum sensibile ; quod fieri ante Eucharistiæ sumptionem manifestò commonstrat Ecclesiastica Liturgia. Profectò quod inquit hæresiarcha , Christum dixisse , *Accipite & manducate* ; sacramenta consistere in actione quadam mystica , ut ablutione , unctione , absolutione , nullumque sacramentum esse absque subjecto illud recipiente ; probat tantummodo eatenus *sumptionem* sacramentum vocari , quatenus illa nobis applicatur virtus sacramentalis : probat Eucharistiam ex Christi præcepto sumendam esse ; probat denique præter subjectum , à quo consecrata symbola communicantur , in hoc sacramento , quod permanens est , dari aliquid diversum ab actione transeunte , in quo servetur vivificans Christi caro : quæ omnia ultro , libenterque concedimus. Legi potest Maldonatus q. 2. de Euchar. pag. 117. nobis enim ad quæstionem propositam properantibus consilium fuit hæc tantum præmittere , & scholasticas quæstiones complures compendio tradere , ne tempus his conscribendis libris concessum , rebus utilioribus & gravioribus subtrahatur.

7. Opinio plurimorum de

Pertractantes igitur de Eucharistiæ institutione , cum vulgaris sententia sit Eucharistiam institutam à Christo postremâ cœnâ , postquam cum Apostolis manducavit Judaicum Pascha ; venit priori loco inquirendum , qua die mensis *Nisan* immolaretur *Phase*. Nam Aloysius noster Legionensis , ejusque insignis discipulus Basilius Poncius contendunt argumentationibus plurimis mactatum agnum lunâ decimaquartâ ineunte : qua statuta sententia , obvio planoque sensu explicantur , quæ scribit Joannes Evangelista , Dominum celebrasse cœnam postremam *ante diem festum Paschæ* , crucique affixum in paschatis Parasceve , nec in solemni festo , sed in hebdomadali die , in qua fas erat accusare , exercere judicia , cunctaque emere ac vendere : quæ omnia in memoranda illa emortuali die contigisse apparet ex historia Evangelica. Et quamquam hujus sententiæ sparserint quædam semina commentariis in cap. 23. Levitici Oleaster , & in cap. 12. Lucæ Didacus Stella , necnon Scaliger lib. v. de Emend. temporum ; Poncius tamen noster in libro *de Agni typici & veri immolationis legitimo tempore* , tanta argumenta complexus est , ut merito sententiæ illius dicatur auctor , & propugnator. Hujus quoque liber tanto eruditorum plausu exceptus est , ut illum donarit Gallico idiomate notisque illustrarit an. 1695. P. Daniel. Oppugnarunt tamen acerrime sententiam illam , non solum recentiores , inter quos non absque laude commemorandi sunt Tournelius de Euch. pag. 228. L' Herminier tom. 2. de Sacram. pag. 464. & Carolus Witasse pag. 41. verum etiam Vasquesius in 3. p. disput. 172. & ex Protestantibus Aegidius Strauchius in dissertatione *de Paschate primo* , & in altera *de tempore* πάχατος ϛαυρωσίμε , quos tantum sufficere arbitror ad quæstionem hanc dirimendam. II. Sunt qui , cum persuasum habeant celebrandum fuisse Pascha non luna 14. incipiente , sed exeunte , duplicem distinguunt *Neomeniam* , seu duplex initium mensis ; à congressu luminarium , & à primo lunæ conspectu , sive , ut inquiunt , ἀπὸ τῆς συνόδε , *ab conjunctione* , ἢ ἀπὸ τῆς φάσεως , *& ab apparitione*. Qua distinctione posita putant Judæos Jerosolymitanos celebrasse Pascha servatis diebus lunæ ἀπὸ τῆς φάσεως ; ab apparitione priori , & die , quæ ad crucifixionem Domini consecuta est ; cæteros autem , inter quos Christus secutus morem Galilæorum , spectatis diebus lunaribus ἀπὸ τῆς συνόδε , à luminarium congressu , & *pridie quam paseretur*. Ex qua sententia inferunt Christum manducasse supremum Pascha statuta

die mensis Nisan , qua immolaretur Phase.

tuta die, idem servasse, licet diverso tempore, Jerosolymitas; & crucifixum Dominum eo die, qui Hierosolymis profestus erat, non Pascha. Atque hæc sententia, si vera foret, mirifice componeret omnia loca difficilia occurrentia in Evangelio Joannis. Pugnat autem pro sententia ista P. Peseronius in Historia Evangelica Gallicè conscripta, & Harduinus in dissertatione de supremo Christi Paschate, Bucherius, aliique perpauci. III. Nonnulli censent Dominum in extremo vitæ suæ anno Pascha non manducasse, ut figura immolationis agni impleretur in Christi crucifixione. Existimant enim qui ita sentiunt, jussu Domini paratum Pascha ab Apostolis, mactandum ipsa die passionis dominicæ post solis occasum, ita, ut quando Apostoli Magistrum allocuti sunt: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* existimantes velle ipsum celebrare Pascha more legitimo, ac Dominus respondit, *Ite in civitatem &c.* sapienter Christus usus sit discipulorum suorum ignorantia, atque intellexerit de celebratione Paschatis nobilioris, id est de mox instituenda Eucharistia, quod illi accipiebant de manducatione Paschatis legalis, sive agni typici. Nec tamen hi auctores concedunt Græcis institutam Eucharistiam *in fermentato*; sed oppositum tenent, asserentes in vespera, quæ præcedit agni mactationem, omne fermentum à domibus Judæorum fuisse sublatum. In qua sententia de postremo Paschate à Christo, ritu Judaico, non celebrato stilum exercuerunt viri celebres, Bernardus Lamy in dissert. de hoc argumento, & lib. v. comment. in Harmoniam Evangelicam cap. 17. Toynardus Harm. Evang. pag. 151. Augustinus Calmet dissert. de novissimo Paschate D. N. J. C. in qua demonstrare nititur sententiam istam saltem cum aliis in eodem auctoritatis gradu consistere, Tourneminus refutatus ab Honorato in animadversionibus Criticis, tom. 2. pag. 454. Grotius in cap. 26. Mat. pag. 246. & Arminiani, ac Sociniani unanimiter. Mitto diatribam Anonymi inscriptam S. Petro Alexandrino Episcopo & Martyri, quem Scriptorem habes in *Uranologio* Petaviano, aliosque veteres, de quibus Calmet in dissertatione nuper laudata. IV. Invaluit eadem sententia apud nonnullos Græcorum; qui ut facilius propugnarent sententiam suam de Eucharistia in pane fermentato instituta, asseruerunt Dominum celebrasse supremam cœnam luna XIII. nondum sublato fermento, nec inchoatis azymorum diebus: quamquam est inter Græcos ipsos sententia communior, Christum eadem luna 13. manducasse Pascha legale cum azymis ritu Mosaicæ legis servato; postea verò instituisse Eucharistiam in fermentato, sive communi, & usitato pane, nondum vetito. V. Tenent postremò aliqui Dominum instituisse Eucharistiam, & celebrasse simul Pascha legale statuto tempore, & luna XIV. Judæos tamen distulisse mactationem agni in diem alteram, sive in lunam decimamquintam, post Domini crucifixionem: quod non una ratione explicant. Quidam enim putant cum Paulo Burgensi receptam eo temporis traditionem quamdam Judaicam, qua præcipiebatur, ut Paschalis solemnitas, si incidisset in feriam sextam, transferretur in proximum sabbatum, ne duo simul festa concurrerent; Christum autem servasse diem legitimam atque prædefinitam. Alii cum Dionysio Petavio Animadv. in Epiphanium pag. 182. contendunt anno, quo mortuus est Christus, duplex fuisse Pascha, legitimum unum, quod non solum Christus, sed etiam seniores Judæi celebraverint; præposterum alterum, inductumque ex Pharisæorum corruptela, quod luna XV. celebratum sit à Pharisæis, Scribis, & Judæorum plerisque; & denique nonnulli ducti auctoritate Chrysostomi, & Theophylacti, putant cùm Dominum, tum Judaicam multitudinem celebrasse Pascha statuta die, & luna XIV. sed principes Sacerdotum & Scribas, ut Jesum perderent, transgressos legale præceptum, distulisse agni Paschalis manducationem ad proximam vesperam: atque id sentientibus subscribunt Vossius disput. XIX. thesi 3. & 4. Carolus Sigonius lib. III. de Republ. Hebræorum cap. 9. & ex nostris Christianus Lupus in dissertat. de S. Leonis IX. Actis p. 3. Synod. Gen. pag. edit. Lovanienses 675. Abierunt autem Doctores in tam varias, oppositasque sententias, propterea quod Joannes affirmat Christum fecisse cœnam ultimam *ante diem festum Paschæ*, pluraque narrat, quæ demonstrare videntur diem Christi emortualem non fuisse diem festum: quæ pariter ad eliminandum azymum obiiciunt Græci. Ut ergo hæc dissertatio recta methodo distribuatur; videndum est primò, quo tempore Pascha legale fuerat celebrandum: deinde an ætate Christi viguerit duplex *Neomenia*, quarum unam observarent Jerosolymitani, alteram reliqui Judæorum: tum, an revera Christus subiturus crucem manducaverit agnum typicum: posthac, an illum man-

manducaverit eadem die cum Judæis, ideoque instituerit Eucharistiam in azymo: insuper, an saltem Judæorum aliqui, sive ut Christi crucifixioni darent operam, sive ex recepta aliqua consuetudine, sive ex translatione festorum celebrarint Pascha præposterum, & pomeridianis horis feriæ sextæ, mortuo jam Domino; ac tandem solvendæ sunt oppositiones Græcorum, atque Evangelium Joannis cum iis, quæ scribunt alii tres Evangelistæ, comparandum & conciliandum est. Ita enim Lector circa institutionem Eucharistiæ percipiet difficultates omnes, dirimet objecta Græcorum, & Romanæ Ecclesiæ inviolatas traditiones facilius assequetur, tenacius tenebit, validiusque tutabitur.

8. Immolabatur luna 14. exeunte.

Prop. I. Pascha Judaicum immolabatur luna XIV. exeunte, non ineunte, id est, horis pomeridianis decimæ quartæ diei mensis Nisan, ad quas consequebatur vespera, initiumque diei XV. & Paschalis solemnitas.

9. Probatur Scripturâ & aliis auctoritatibus.

Demonstratur I. Præcipiens Dominus Exodi XII. 6. paschatis mactationem jussit, ut agnus ad sacrificium selectus servaretur *usque ad decimam quartam* Nisan, & ab universa filiorum Israel multitudine immolaretur ad vesperam. *Immolabitque* (ait) *eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Habet Hebraicus codex: וְשָׁחֲטוּ אֹתוֹ כֹּל קְהַל עֲדַת יִשְׂרָאֵל בֵּין הָעַרְבָּיִם׃

Et immolabunt eum omnis cœtus synagogæ Israel inter duas vesperas. Nota, *Inter duas vesperas*, quæ verba habentur quoque in Samaritana, Syriaca, & Arabica versione, tom. I. Polygl. pag. 274. Nihil est aliud *Inter duas vesperas*, quam inter tempus vespertinum diei XIV. & vesperam unde exordium ducit dies XV. ideoque mactandus erat agnus luna XIV. exeunte, & manducandus sub noctem diei XV. Audias Rab. Kimchi in libro Radicum: cujus verba refert Bouxtorfius in Lexico v. ערב, בין הערבים: *inter duas vesperas, id est, à tempore inclinationis solis ad Occidentem, quod est à sexta hora, & ulterius usque ad noctem. Dicit autem,* ערבים, *quod notat duas vesperas. Nam à tempore, quo sol incipit declinare, ea est vespera una: post occasum solis est vespera altera. Inter hoc tempus est illud quod dicitur* בין ערבים Hinc Rab. Maimonides *in Korban Pesach*, apud Lightfootum in Horis Hebraicis pag. 376. inquit: *Non mactandum erat Pascha nisi in atrio: mactandumque die decimoquarto post meridem, post juge sacrificium, post oblatum thymiama.* Josephus pariter libro VI. de Bello Judaico cap. IX. pag. novissimæ edit. 399. scribit, *Paschales victimas mactari solitas,* ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης, *à nona quidem hora, usque ad undecimam.* Ex Talmuld quoq. in *Pesach* per. 5. habemus quotidianum sacrificium mactatum *hora septima & dimidia, oblatumque hora octava & dimidia, & pascha post ipsum*, ac deinde victimas purgatas *ad finem usque diei.* Videsis in *Ministerio Templi Hierosolymitani* cap. XII. sect. 3. pag. 730. Neque soli Hebræi id tradunt: consentiunt nostrates, Lorinus in caput 23. Levitici, Cornelius à Lapide, & Menochius in cap. XII. Exodi, ac Lippomanus in Catena pag. 81. Rectè Lyranus: *Vespera, prout hic accipitur, incipit à septima quartodecimæ diei, quia ex tunc sol incipit tendere ad occasum & ab illa hora usque ad principium noctis, potest immolari Phase. Immolabatur autem ad vesperam, quia illa hora jam pertinebat ad diem sequentem solemnem; in qua exiverunt de Ægypto.* II. Hæc postrema Lyrani verba suppeditant nobis demonstrationem alteram. *Vesperam*, ad quam mactabatur paschalis victima, excipiebat solemnis & festiva dies XV. non erat ergo prior vespera diei quartodecimæ, sed postrema. Probo ant. primò quia Matthæus cap. XXVII. 15. feriam sextam proximè subsecutam ad Eucharistiæ institutionem appellat *diem solemnem*, in qua Pilatus dimittebat Judæis vinctum aliquem; quod & narrat Marcus XV. 6. & Joannes XVIII. 39. Deinde Josephus diserte scribit lib. III. Antiq. cap. X. n. 5. mactari Pascha in mense Xanthico, qui Hebræis Nisan, die XIV. secundum lunam sole in ariete existente, additque è vestigio: *Die autem quintadecima Paschalem excipit Azymorum festivitas septem dierum:* πέμπτη δὲ ἡ δεκατὴ διαδέχεται τὴν τῶ πάσματα ἡ τῶν Ἀζύμων ἑορτή, ἑπτὰ ἡμέρας ἔσα: quod apertè falsum foret, nisi immolatus fuisset agnus exeunte luna XIV. unde & Patres communiter asserunt crucifixum Dominum in solemnitate Paschali. Præterea S. P. Augustinus Epistola XXXVI. ad Casulanum num. 30. disertè docet ea vespera immolatum Pascha, qua incipiebat dies prima azymorum, nec alio sensu Matthæum quintam sabbati appellasse diem azymorum primam, nisi quia *ejus vespera sequente futura erat cœna Paschalis, qua cœna incipiebat azymum, & ovis immolatio manducari.* III. Probatur

tur insuper thesis ratiocinatione ista: Exodi XII. posteaquam descriptæ sunt omnes Paschatis ceremoniæ, legitur vers. 42. *Nox ista observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti, hanc observare debent omnes filii Israel in generationibus suis:* & versu proximo, *Hæc est religio Phase.* In Deuteronomio pariter, XVI. 6. *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Quare indubitatum est, immolasse Judæos *Phase* vespera præcedente noctem, quâ egressi sunt de Ægypto, hujusque egressus fuisse memoriale perenne pascha quotannis mactatum. Hinc Josephus lib. XVII. Antiq. cap. 9. pag. 850. inquit: *Pascha enim illa festivitas appellatur, in memoriam exitus illorum ex Aegypto instituta:* Πάσχα δὲ ἡ ἑορτὴ καλεῖται, ὑπόμνημα ὅσα τὴν ἐξ Αἰγύπτε ἀπάρσεως αὐτῶν γενομένης. At Filii Israel *profecti sunt de Rameste mense primo, quintadecima die mensis primi, altera die Phase.* Num. XXXIII. 3. igitur tempus mactandi agni est vespera lunæ XIV. ad quam proximè sequitur quintadecima dies mensis Nisan. Atque hoc argumentum non uno ex capite confirmatur. Enimvero præcitato capite XII. Exodi vers. 40. de nocte, qua paratis azymis manducaverunt mactatum agnum legitur, *Eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti:* quo in loco habet Hebraica lectio, בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה *in corpore diei ejus*, & Chaldaica paraphrasis, necnon Pentatheucus Samaritanus, *In hac eadem die:* quod nequaquam verum esset, nisi immolatio *Phase* facta esset luna decimaquarta exeunte, & cœna paschalis ineunte decimaquinta. Præcitata quoque verba Num. XXXIII. 3. *altera die Phase*, non significant inter mactationem paschatis, & egressionem de Aegypto intercessisse diem: minimè, commonstrant apertissimè immolatum agnum exeunte XIV. die, & ante subsequentem vigiliam matutinam, inchoato jam die quintodecimo filios Israel arripuisse fugam; ut constat ex versione LXX. Interpretum, τῇ ἐπαύριον τὸ Πάσχα ἐξῆλθον οἱ υἱοὶ Ισραὴλ, *Postridie ipsius Paschα exierunt filii Israel:* & expressius Hebraicus Codex, מִמָּחֳרַת הַפֶּסַח *A crastino Pesach*, scilicet, die crastina post mactationem Paschalis victimæ. Atque hoc argumentum notationibus nostris suffultum omnem, ni fallimur, dirimit controversiam. IV. Proferendum est tamen alterum. Immolabatur *Pascha* in vespera spectante ad primam diem azymorum, sive in vespera, unde sumebat exordium solemnitas azymi, quæ apud Hebræos *à vespera usque ad vesperam*, quemadmodum & festa alia, celebrabatur, ex Levitici XXIII. 32. Marcus enim cap. XIV. 12. inquit: *Et primo die azymorum, quando Pascha immolabant, &c.* & Lucas XII. 1. *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha*, atque versu 7. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Atqui constat ex Levitici capite XXIII. 5. & 6. solemnitatem azymorum incidisse in diem decimamquintam, sic enim eo loci habemus, *Mense primo quartadecima die mensis ad vesperam Phase Domini est: & quintadecima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est.* Igitur *vespera* ad immolationem Phase designata ea est, quæ antevertit decimæ quintæ diei. Hoc item in loco habet Hebraica, & Samaritana lectio, *Inter duas veseperas*, & Caldaica, *inter duos soles.* V. Accedit argumentum petitum ex ritu, festo, diebusque azymorum. Principio mactatâ Paschali victimâ, debebant Judæi *nocte illa* comedere *carnes assas igni*, & *azymos panes*, Exodi XII. 8. Jam ergo fermentum erat fermentatum. Ad hæc mos fuit vetustissimus Judæorum investigare, num in domo aliqua lateret fermentatum, die decima quarta, antequam sol occideret, eademque die XIV. fas erat, saltem ad meridiem usque, comedere fermentatum: idque non tantum habemus in Thalmud cap. *Pesachim*, per I. verum etiam apud Maimonidem in *Hamets umatsah*, per. 2. R. Salomon, & R. Alphes, de quibus Lighfootus in *Horis Hæbraicis* pag. 458. tom. I. & in *Ministerio Templi* cap. XII. sect. I. pag. 72. quæ traditio non proinde rejicienda est, quia ad nos è fontibus istis manavit; conformis quippe est præcepto Domini Exodi XXXIV. 25. *Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ, neque residebit mane de victima solemnitatis Phase.* In quem locum Rab. Moyses Aegyptius p. 2. Biblioth. Rabbinicæ p. 729. scribit non immolandum Pascha, dum adhuc fermentum supereset domi, ideoque die 14. fermentum auferri juxta mandatum Domini, Exodi XII. 15. vetitumque comedere fermentatum *die XIV. Nisan à meridie, & deinceps, hoc est à principio horæ septimæ diei.* Quomodo ergo luna XIV. ineunte mactatus est agnus, fermento nondum sublato? Insuper sacræ literæ septem tantum commendant dies azymorum, quarum prima & septima ritu peragebantur solemni;

lemni: *Septem diebus azyma comedetis*, inquit Dominus citato cap. XII. Exodi versu 15. quod repetitur Levitici XXIII. 6. & Num. XXVIII. 17. At postremus dies azymorum est vicesimus primus mensis Nisan, ex eodem cap. XII. Exodi vers. 18. *Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam.* Igitur festivitates azymorum à die XV. non à XIV. & à luna XIV. exeunte, non ineunte, ducebant initium. VI. Nostra quoque ætate Judæi, etsi agnum non mactant, ceremonias tamen paschales observant luna quæ est, aut ab illis creditur esse decima quarta, secundis in vesperis, *& nocte præcedente decimamquintam lucem Nisan*, ut inquiunt Maimonides de Pesach cap. 6. Moyses Aegyptius paulo supra laudatus, Leo Mutinensis cap. 3. de Ritib. Hebr. aliique innumeri. Nec Judæi tantum: etiam Samaritani in Monte Garizim sole occidente, & die XIV. declinante jugulabant Paschalem agnum. Videsis Harduinum in præcitata dissert. §. IV. num. 13. Confirmat verò perpetuum hujus celebritatis usum antiqua hæresis Quartodecimanorum, qui tempus Judaicum servantes luna XIV. jejunabant, incipiebantque solemnia Paschatis, *cum Judæorum populus fermentum abjiceret*, ut inquit Eusebius lib. V. H. E. cap. 24. pag. edit. Vales. 192. Quod indicio est, primis quoque Christiani nominis sæculis Judæos non aliud Paschatis servasse tempus, quàm hactenus demonstratum. VII. Quamvis plenilunium Nisan concurrat cum luna XIV. tamen non est lunaris orbis rotundus, ac plenus, nisi die quintadecima ingrediente. Constat autem ex antiquissimorum Hebræorum testimoniis, productis ab Anatolio Laodicensium Episcopo apud Eusebium lib. VII. H. E. cap. 32. pag. 558. nunquam celebratum pascha Judaicum, nisi tam sol, quam luna pertransiissent æquinoctiale segmentum, & hæc appareret plenissima. Unde recte S. Hieronymus in cap. 26. Matth. tom. IV. pag. 126. inquit: *Quartadecima dies mensis primi est, quando agnus immolatur, & luna plenissima est, & fermentum abjicitur*: & Beda in Argum. lunæ §. de Myst. XIV. diei: *Quartadecima agnus immolabatur die, quando luna plena est, & nihil ei de lumine deest.* Absolvamus primæ propositionis momenta, quæ me à sententia Legionensium nostrorum divellunt, gravissimis verbis ejusdem eximii temporum metatoris, id est, Bedæ: *Quod Dominus* (inquit de Rat. temp. cap. 45.) XV. *luna, feria sexta crucem ascenderit, & una sabbatorum, id est, die Dominica resurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare Catholico, ne legi quæ agnum Paschalem decima quarta die primi mensis ad vesperam immolari præcepit, pariter & Evangelio, quod Dominum eadem vespera tentum à Judæis, & mane sexta feria crucifixum, ac sepultum, prima sabbati resurrexisse perhibet, videatur incredulus.* Profecto si nefas est dubitare Christum suffixum cruci luna XV. nec in dubium revocandum est, celebratum anno mortis Christi pascha Judaicum luna XIV. exeunte.

Sententia, quam oppugnavimus, præter argumenta aliis quoque communia proximoque solvenda capite, hoc habet peculiare, quod videatur inverisimile inter immolationem Phase, & exitum de Aegypto unam tantum noctem intercessisse. Superat enim (inquiunt) humanum captum, intervallo diei quartæ decimæ Hebræos habitantes terram Gessen ac regionem inferioris Ægypti, vasa argentea & aurea ab hominibus à se loco disjunctis accepisse commodato, tum congregatos pascha pomeridiano tempore mactavisse, deinde singulos per familias distributos manducasse agnum coctum & assum, nocte postea progrediente percussos primogenitos omnes, commotum Pharaonem clamore suorum vocasse ad se Moysen & Aaron Memphim regiam urbem, sitam ad occiduam Nili ripam, indulsisse Hebræis ut abirent, rediisse Moysen cum fratre in terram Gessen, congregasse simul ingentem populum, & cum universa multitudine profectum de Ramesse, & ex tentoriis quintadecima die mensis Nisan. 10. Roboratur sententia.

His eruditi viri reponunt, tunc temporis Pharaonis regiam non fuisse Memphi, sed Tani, vel Taphni, urbe Aegypti inferioris ad Nili ostium, nunc etiam *Tanes* dicta, in cujus viciniis Moysen mirabilia patrasse testatur David Ps. LXXVII. 12. & 43. Israelitas verò jam antea petiisse vasa ab Aegyptiis, simul convenisse, & manducasse Pascha accinctos & ad faciendum iter paratos, dum interim primogenitorum excidium excitavit ululatum, quo permotus Pharao largitus est filiis Israel facultatem abeundi. Non sinimur hæc in dubium vertere, postquam legimus Exodi XII. Phase immolatum *quartadecima die ad vesperam, eadem die* eductos filios Israël de terra Aegypti, in hujus rei memoriam 11. Reponunt ad hoc alii.

riam Pascha institutum, & Num. xxxiii. *quintadecima die* profectum populum de Rameſſe. Opponere tam apertæ narrationi conjecturas, quæ ſi admittantur, nec perſiſtet ſententia contraria, quoniam neque ſpatio intermediæ diei poſſunt illa omnia contingere, eſt ſoli tenebras offundere. Demus eveniſſe omnia, ut narrat Joſephus lib. ii. Antiq. cap. xiv. num. 6. nulla certe repugnantia, labyrinthus nullus. *Deus autem* (inquit Hiſtoricus) *oſtendens adhuc una plaga percutiendos eſſe Aegyptios, ut cogerentur Hebræos dimittere, juſſit Moyſen edicere populo, ut in promptu habeant ſacrificium, præparantes illud decima Xanthici menſis in quartamdecimam (qui menſis apud Aegyptios vocatur Pharmuti, apud Hebræos Niſan, Macedones vero Xanthicum eum appellant) dein ut & ipſe Hebræos ducat omnia ſua ſecum portantes. Et ille quidem cum Hebræos ad egreſſum expeditos haberet, & per tribus diſpoſitos in uno loco eos continebat. Quartadecima autem illuceſcente omnes, cum jam in eo eſſent, & egrederentur, ſacrificabant, atque ſumptis hyſſopi faſciculis domos ſuas ſanguine conſpergentes purificabant: cumque cœnaſſent tanquam exituri, reliquias carnium excuſſerunt. Unde mos inolevit, ut etiamnum ita ſacrificaremus, feſtum illud Paſcha nuncupantes. Tranſitum autem id ſignificat, &c.* Narrat ſubinde *eadem nocte* Iſraelitas à Pharaone dimiſſos; & proximo capite xv. num. 2. ait: *Reliquerunt autem Aegyptum menſe Xanthico, luna decimaquinta.* Quæ omnia Scripturis, dictisque cohærent.

12. Propoſitio 2da. Propos. II. Tempore Chriſti Domini non utebantur Judæi duplici Neomenia, à phaſe lunæ & à congreſſu planetarum deducta; neque duplici calculo Aſtronomico, & vulgari, quorum unum Dominus, alterum Jeroſolymitani ſecuti fuerint.

Probatur &c. Demonſtratur primò: Divinæ Scripturæ non ſolum duplici hujus *Neomeniæ* nullum veſtigium produnt, verum etiam apertè docent Exodi xii. 6. Phaſe ſimul immolandum ab univerſo Iſraelitarum cœtu: *Immolabit* (inquiunt) *eum univerſa multitudo filiorum Iſrael.* Hebraicè כֹּל קְהַל עֲדַת, *Omnis cœtus ſynagogæ.* Targum pariter vertit, *Omnis Eccleſia filiorum Iſrael.* Textus Samaritanus, *Omnis congregatio ſynagogæ*, tom. i. Polyglot. Walt. pag. 274. At non immolatus fuiſſet Phaſe in cœtu totius ſynagogæ, in congregatione totius Eccleſiæ, ſi Galilæi unam diem, Hieroſolymitani diem alteram ſervaſſent, atque diverſæ *Neomeniæ*, diverſique calculi obtinuiſſent. Præterea die ſtatuta pro mactatione agni è domibus omnium filiorum Iſrael abjiciendum erat *fermentum*, ut conſtat ex eodem cap. Exodi verſ. 15. atque à veſpera illius diei incipiebant *ſeptem dies azymorum*, protrahendi ad diem uſque viceſimam primam. Cum vero Judæi omnes convenirent Jeroſolymis ad paſchæ celebrationem, atque in ea urbe *fermentum* non fuiſſet ſublatum luna xiv. ſubducta ἀπὸ τῆς συνόδου, *à conjunctione* planetarum, transgreſſi fuiſſent legale præceptum de fermento abjiciendo iis in domibus, in quibus facienda erat cœna Paſchalis, in domibus ſcilicet civium Jeroſolymitanorum, quæ cæteris Judæis patebant die azymorum i. ineunte. Aut ſi hi gratiâ hoſpitum abjeciſſent *fermentum*, & ipſi celebraſſent phaſe luna xiv. computata à *Neomenia* ἀπὸ τῆς φάσεως, *ab apparitione*, id eſt, luna xv. ac die proxima, mactaſſent agnum ſecunda die à ſublato fermento, non prima; & obtuliſſent manipulum ſpicarum, de quo Levitici xxiii. 9. tertia die azymorum, non ſecunda: eademque ratione feſtivitates omnes fuiſſent confuſæ. ii. Quinam eſſet dies *Neomeniæ*, non pro lubitu ſtatuebant Judæi, ſed Synagogæ rectores illum univerſo populo præſcribebant, ut ſcribit Rab. Moyſes in tract. *Kiduſch hachodeſch* cap. i. §. 5. *Viſio lunæ non eſt tradita omni homini quemadmodum ſabbathum Bereſcit, id eſt, in prima creatione inſtitutum; ſiquidem quilibet numerare poteſt ſex dies, & quieſcere in ſeptimo. A Synedrio traditum eſt illud, nempe obſervare* τὴν φασιν τῆς σελήνης *viſionem lunæ, & cum ſynedrium indixerit ac præfinierit diem illum pro Neomenia, idem habendus eſt pro Neomenia, juxta illud Exodi* xii. 1. *Iſte menſis vobis tum ipſe eſt Neomenia, &c. id eſt, hujus determinatio tradetur vobis à Synedrio.* Adeas Joſephum de Voiſin lib. de lege divina cap. 44. pag. 617. Commentitia eſt ergo duplex illa *Neomenia* ab Harduino, aliisque propugnata; aut ſaltem non habuit uſum. Corroboratur primò hoc argumentum, quod Neomenia apud Hebræos dicatur, quando *incipit ſol ſplendore ſenſibili lunam illuſtrare: ipſa verò proprium decus patefacit ſpectantibus*, ut inquit Philo in libro de ſeptenario pag. edit. Pariſ. 1189. νεομηνία ἄρχεται φωτίζειν αἰσθητῶς φέγγει σελήνην ἥλιος, ἡ δὲ τὸ ἴδιον κάλλος ἀνα-

φαίνει τοῖς ὁρῶσι. Accedit fulcimentum aliud, *Neomeniam* indici solitam per tibicinem cornea tuba supra templi pinnam, sive tectum, quod παρσοφόριον appellant, ut pluribus demonstrare nititur in Psalm. tom. 2. pag. 674. Lorinus ad ea verba Ps. LXXX. 4. *Buccinate in Neomenia tuba.* Collustratur eadem argumentatio, ex quo, licet Astronomici *novilunia* auspicentur ἀπὸ τῆς συνόδου, Judæi tamen semper in omnibus *Neomeniis* φασιν servaverint. Id præter Thalmudicas præceptiones, in quibus auctore Scaligero lib. 2. de Emendat. temp. pag. 102. cap. *Ros baschana*, scriptum est, *antiquitus Neomenias* ἀπὸ τῆς φάσεως *indici solitas*; præter laudatum Philonis testimonium; præter allata verba R. Maimonidis, comprobat antiquissimus Scriptor, cujus hoc fragmentum nobis servavit S. Clemens Alex. lib. 6. Strom. pag. 635. *Nisi apparuerit luna* (Judæi) *sabbatum non celebrant, primum dictum, nec Neomeniam.* Ἐὰν μὴ ἡ σελήνη φανῇ, σαββατον ἐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον, οὐδὲ νεομηνίαν. Si quis verò plura de his quærit, videat Petavium in notis ad Epiph. pag. 151. & 183. Aegidium Bucherium de Paschali Judæorum Cyclo pag. 370. Onuphrium nostrum in Fastis ad an. U. C. 786. ut mittam dissertationem Abarbanelis latine redditam à Bouxtorfio, Samuelem Petit in Eclog. Chronol. Seldenum, Bochartum, Spencerum. Quod si etiam concedamus, Judæos olim *Neomenias* indixisse ex Cyclo, sive juxta præscriptionem Calippicam, ut visum Gerardo Vossio disp. XIX. th. 4. sive ex lunæ intuitu, & continua observatione compacto, ut pag. 374. Bucherius ipse arbitratur, sive alia quacunque ratione compositio; ergone simul eodemque tempore Judæi diversas *Neomenias*, diversa plenilunia, diversa paschata servaverunt? Hanc ego illationem non percipio, nec puto aliquem percepturum. III. Haud obscure ex historicis monimentis deducitur, Judæos omnes simul *Phase* immolavisse: nam Philo paulo supra citatus inquit Hebræos omnes simul sacrificare *per cœtus populares à meridie ad vesperam usque*, & celebrari ab iis *victimam communem decimaquarta mensis:* ac Flavius Josephus lib. VI. de Bello cap. 9. n. 3. narrat sub Cestio ex victimis *à nona hora usque ad undecimam* ejusdem diei festi mactatis, numerata *virorum purorum & mundorum vicies septies centena millia*, hanc autem ingentem multitudinem *ex diversis Judæorum locis* congregatam. IV. Tandem Harduinus ad duas illas *Neomenias* propugnandas confugit ad regulam, לא ברו פסח, *Lo Padú Pesach*, quam putat rectè institutam, ne secunda dies azymorum, in qua offerrendus erat manipulus, foret festivus, & duæ simul solemnitates sabbati, & paschatis celebrarentur. At ea regula, ut ostendam propositione V, non erat in usu tempore Christi Domini, neque firma aliqua ratione defenditur. Ruit ergo etiam systema duabus *Neomeniis* simul observatis innixum.

18. Probatur ex S. Scriptura Christum pridie, quàm pateretur, Pascha manducâsse.

Prop. III. Christus Dominus pridie, quàm pateretur, *legale Pascha* una cum discipulis suis manducavit.

Demonstratur primò. Matth. XXVI. 17. legitur: *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Versu 18. narratur Dominum misisse discipulos suos in civitatem *ad quemdam*, ut ei dicerent, *Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis:* vers. 19. asseritur discipulos illos Pascha præparavisse. *Et fecerunt discipuli* (inquit Evangelista) *sicut constituit illis Jesus & paraverunt Pascha.* Versu 20. additur facto vespere Dominum cum discipulis cœnasse: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Similia habentur Marci XIV. & Lucæ XXII. Hoc postremo in loco, versu 15. additur Jesum inter cœnandum ita Apostolos allocutum: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* At sive tempus, sive interrogationem discipulorum, sive locum, sive præparationem cœnaculi, sive horam, sive verba inter cœnandum prolata serio attendas, apparet iis describi cœnam in qua manducabatur *agnus typicus*, horis pomeridianis lunæ XIV. immolatus. Hunc igitur agnum Christus cum discipulis suis manducavit. Probatur minor per singula discurrendo. Principio accesserunt discipuli ad Jesum *prima die azymorum.* Marcus cap. XIV. 12. hanc diem perspicuè designat, *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant.* Ita & Lucas XXII. 7. Dies azymorum septem erant, Exodi XII. 15. *Septem diebus azyma comedetis:* & v. 19. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* Similia Levit. XXIII. 5. & Num. XXVIII. 17. Prima autem dies celeberrima & sancta erat dies XV. ex eodem Levitici, & Numerorum loco. Accesserunt ergo discipuli ad Jesum, non ante diem decimamquartam, sed ineunte azymorum solemni-

solemnitate. Me non latet Hugonem Grotium, aliosque adversarios contendere octo fuisse dies azymorum, connumerato die paschali, cujus parte postrema inciperet azymorum observatio. Quod conantur probare ex Josepho, qui enumerat octo azymorum dies, neque uno in loco ait celebrari pascha die XIV. Nisan ob liberationem filiorum Israel de Aegypto: ex quo inferunt primam diem azymorum concurrere cum luna XIV. ineunte. Recoxit hæc P. Lamy, additque testimonia Rabbinorum affirmantium die XIV. in domibus Israel non apparuisse fermentum. Sed nugæ nugæ sunt istæ, atque liræ liræ. Etenim Josephus lib. III. Antiq. cap. 10. pag. 177. ait: *Die autem quintadecima Paschalem excipit azymorum festivitas septem dierum.* Deinde hanc diem *decimamquintam* apud Judæos celeberrimam propter liberationem à servitute Aegyptiorum, scribit in IV. de Bello J. cap. 8. pag. 294. Præterea egressum populum Israel de Aegypto die XV. Nisan, affirmat Antiq. II. cap 15. pag. 111. Historici autem verba, quoniam supra producta sunt, non repetam. Tribuitur ergo à Josepho celebritas Paschatis memoriæ redemptionis Israelitarum, quoniam *Pascha*, & *dies azymorum prima* sunt dies una, eademque; & XIV. ad vesperam immolatus est agnus, decimaquinta verò filii Israel profecti sunt de Rameste. Quod si invenias alicubi numeratos dies azymorum octo; comprehenditur in his dies XIV. in qua factam investigationem fermenti, ne post jugulatam Paschalem victimam inveniretur in domibus Hebræorum, diximus paulo supra. Sed *de prima die azymorum* hactenus. Sequitur missio duorum discipulorum in Jerusalem, præparatio Paschæ, & συνάξις Apostolorum una cum Magistro sub vesperam. Jerosolymis tantum fas erat immolare Phasc, atque Paschali tempore illuc Israelitæ omnes confluebant. Post mactationem agni, facto vespere, instituebatur Paschalis cœna; nam carnes agninas assas igni edendas *nocte* præceperat Dominus Exodi XII. 8. Constituebatur certus numerus personarum, quæ sufficere possent *ad esum agni*, ex eodem cap. versu 4. unde hæc cœna ex manducantium communione etiam Hebræis dicta est, חבורה *Synaxis*, *collectio*, *societas*. Nunquam conveniebant *pauciores denis epulatoribus*, *neque plures viginti*, ex Josepho lib. VI. de Bello cap. 9. cap. 399. Cœna ergo parata Jerosolymis, instituta die prima azymorum, celebrata facto jam vespere, & Jesu cum duodecim discipulis suis discumbente, nonne cœna est peracta omnibus ritibus servandis in manducatione agni typici? Etiam ea Domini verba, *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*, demonstrant convivium Paschale tunc institutum. Quare enim verba discipulorum, *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* & alia, *Et paraverunt Pascha*, necnon ista, *Necesse erat occidi Pascha*, accipienda sunt de agno typico, nec de illo accipienda sunt, quæ ait Dominus, *Desiderio desideravi*, &c? Quodnam præterea *Pascha* iis verbis commonstratum dixerimus, nisi quod illa die immolabatur, quod discipuli præparaverant, quod Jerosolymis, nocte, & à collecta familia manducabatur? Recte Epiphanius H. XXX. cap. 22. pag. edit. Petavianæ 146. *Pascha illud*, inquit, *carnes erant, uti diximus, igni tostæ*, Πάσχα δὲ ἦν, ὡς εἶπον, κρέα ὀπτὰ πυρί. Neque opponuntur Epiphanio, qui pro hoc Paschate intelligunt Eucharistiam; utramque enim cœnam, typicam, & Eucharisticam instituit Dominus eadem nocte: ac propterea magnum ultimi Paschatis celebrandi desiderium habebat, quoniam extrema cœna peracta, ut inquit Theophylactus in Lucam pag. 513. τὰ μεγάλα μυστήρια, *magna mysteria* discipulis erat traditurus. Atque his, ni fallor, Amicum, Grotium, aliosque adversarios ex Evangelica historia apertissimè refutavi, eorumque simul commentationes ostendi falsas esse, futiles, repudiandas.

14. Probatur auctoritate Ecclesiæ.

Neque sola Scripturarum divinarum auctoritate, sed aliis quoque armis pro veritate decerto. Ac primò sententiam nostram amplectitur Ecclesia universa, subscribens Tridentinæ Synodo, cujus sess. XXII. cap. 1. hæc sunt verba: *Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, &c.* Catechismus item Romanus P. 2. cap. 4. num. 2. *Etenim celebrata cum discipulis agni Paschalis cœna, &c.* Idem habetur Cap. *Accipite*, de Consecrat. dist. 2. desumpto ex commentariis Hieronymi mox laudandis. In solemniis quoque Corporis Christi idem non semel profitetur Ecclesia, uti in Hymno ad Vesperas:

In supremæ nocte cœnæ recumbens
cum fratribus,
Observata lege plenè cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ se dat suis
manibus.

Et in altero ad Matutinum,

Post agnum typicum expletis epulis, &c.

15. Roboratur traditione. Præterea hæc Romanæ Ecclesiæ sententia Veterum traditione corroboratur. Ad quam investigandam sat esset repetere Tesseradecatitas, (ut inquit Eusebius prælaudatus prop. 1. & apud illum Polycrates Ephesinus, qui vixit sedente Victore, & ineunte Severi imperio, labente scilicet, & ad finem vergente secundo sæculo) suæ opinioni pertinaciter adhæsisse, quod Dominus & Apostoli aliquando Pascha fecerint *quartadecima luna*, obtrudentes exemplum Polycarpi Joannis Evangelistæ discipuli, aliorumque proximiorum Apostolis. In ea verò controversia nullibi Quartodecimanis sive à Victore, sive à Nicænis Patribus, sive ab aliis responsum invenio, neque Dominum secutum fuisse Judæorum consuetudinem, quod utique ad illos refellendos fuisset expeditissimum. Responderunt aliam ineundam viam, posteaquam abrogata fuerunt legalia, & *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Serpsit etiam priscis sæculis hæresis Ebionæorum inter alia portenta damnantium usum carnium; eosque redarguit Epiphanius H. xxx. n. 22. pag. 146. ex quo etiam Dominus *Judæorum Pascha comederit, quæ constabat agno, ac sine fermento subactis panibus.* Imo nec Ebionæi ausi sunt verba Evangelistarum in sensum torquere alium, uti recentiores nostri fecere; sed potius per summum scelus verba Christi Lucæ xxii. 15. ad hunc modum depravarunt, Μὴ ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτε τὸ πάχα κρέας φαγεῖν μεθ' ὑμῶν; *Numquid desiderio desideravi hoc Pascha carnem manducare vobiscum?* sese fatentes devictos, si retinerent lectionem veram, atque legitimam. Exortis præterea Manichæis, & Marcionitis veterem legem tanquam à Deo malo promanatam repudiantibus, Patres acuerunt in eos stylum, illam bonam, & pro suo tempore utilem asserentes, propterea quod etiam Dominus servavit Pascha à Moyse promulgatum. Quare Tertullianus libro iv. adversus Marcionem recitato versu 15. Lucæ nuper commemorato, ironicè in hanc exclamationem cap. 40. erupit, *O legis destructorem, qui concupierat etiam Pascha servare!* Atque ipsi Marcionis asseclæ, cùm productis supra Evangelicis textibus nimium premerentur, ignorantes aliud, quo evaderent, effugium, illos depravasse auctor est Hæresi 42. pag. 316. beatissimus Epiphanius. Ex quibus sequitur, juniores, qui eosdem textus detorquent, pugnare contra traditionem veterum, eisque subripere arma, quibus hæreses debellaverunt. Nec Tertullianus solus, & Epiphanius hæc docuere. Chrysostomus hom. 81. in Matth. pag. edit. Commel. 690. proposita quæstione, cujus rei gratia Christus servaverit Pascha, *Ut omnibus,* inquit, *semper usque ad ultimum passionis diem non esse adversarium se legè ostenderet.* Ambrosius verò Epistola 23. scripta anno 386. ad Episcopos per Aemiliam constitutos, tom. 2. pag. 883. extra omnem controversiam positum scribit, servatum à Domino Pascha Mosaicum, & xii. capite Exodi indictum, *quartadecima luna, quinta feria:* & proxima pagina, *Ipse Dominus,* ait, *non quartadecima luna passus est, sed quintadecima, & septimadecima resurrexit.* Tradunt eadem alii Patres. Concludendum ergo cum Hieronymo in cap. 26. Matth. tom. iv. pag. 128. *Postquam typicum Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, &c.* Hinc desumptum cap. 88. de Consecrat. dist. 2. supra adnotaveram.

16. Quid de opinione contraria sentiendum. Silentio denique præterire non possumus infortunia, quæ subiit sententia adversa. Etenim ubi primum illam excogitarunt Ebionæi, & Marcionitæ, quibus recentiores eam reddere debent acceptam, execrabilis visa est Ecclesiæ Patribus. Ut autem nono sæculo Græcorum quidam eandem secuti sunt, eamque inseruit Anonymus in disputatione adversus Judæos, unaque sentientes hæreticos, atque ut circa ea tempora prodiit Volumen aliud absque auctoris nomine, *De sacro Paschæ festo,* in quo sententia ipsa propugnabatur; Photius, quamquam sibi nosceret futuram fore percommodam ad azyma eliminandum, judicavit tamen temere, & inconsiderate prolatam, *quoniam Chrysostomus, & Ecclesia docent,* Christum Dominum anno, quo traditus est, *legitimum Pascha perfeciisse, antequam mysticam institueret cœnam:* ὁ γὰρ χρυσόστομος, καὶ ἡ Ἐκκλησία, τότε φησὶν αὐτὸν ἐπιτελέσαι τὸ νομικὸν πρὸ τῦ μυστικῦ δείπνω. Vide Photianam Bibliothecam Cod. cxvi. pag. 294. Ineunte postremo sæculo, ubi sententiam eandem instaurare moliti sunt apostata Spalatensis, & Hieronymus Vecchietti in libro, quem inscripsit, *De anno primitivo ab exordio mundi ad annum Julianum accommodato,* à M. Antonio Cappello Minori Conventuali doctissimo, in Opere *De suprema*

ma Christi cœna, fuerunt pro meritis exagitati. Postquam denique Grotius, P. Lamy, & quidam alii idem placitum revocaverunt ab orco, permultos experti sunt adversarios, inter quos Harduinus pari ingenio, & animositate has sagittas emittit: „ Furor est profecto, furor, intolerabilisque audacia recentiorum quorumdam, affirmantium tribus primis Ecclesiæ sæculis in ea fuisse hæresi Patres, ut Christum Servatorem supremo vitæ suæ die Pascha peregisse negarent. Et testes illi quidem appellant ejus dicti, Petrum Alexandrinum, Clementem Alexandrinum, Hyppolitum Martyrem, Apollinarem Hieropolitanum; demumque sic colligunt: Ex Petro Alexandrino sententia negans Christum comedisse Pascha, sententia communis Patrum fuit, qui primis sæculis vixerunt: Gallicè, ut scribunt, *Selon lui le sentiment de ceux qui nient que Jesus-Christ ait mangé l'Agneau Paschal, est le sentiment commun des Peres de trois premiers siecles.* O furorem hominum, quos concludi oporteat cum insanientibus! Nam quis non furorem jure appellet tantam hominum cæcitatem, ortam ex obstinatione ac pervicacia? Unde enim sumpta hæc testimonia sunt, Petri, Clementis, Hyppoliti, & Apollinaris? Numquid ex scriptis eorum, quæ indubitata ac genuina esse censeant eruditi? Minime verò: sed ex auctore Chronici, quod Sigonius Fastos Siculos, Du-Cangius Chronicon Paschale appellat: homine, quem veterum prorsus nemo appellat, nemo antè Sigonium novit: quem nostra ætate ob anachronismos innumeros Petavius sprevit & Scaliger: qui eò demum insolentiæ processit, ut ad suam illam defendendam hæresim, quæ Christum Servatorem negat Pascha peregisse, testimonia confingat, adscribatque magnis illis nominibus, Petri, Clementis, Hippolyti, & Apollinaris. Nam quis hic mentiri impudentissimè hominem istum neget, & illa testimonia ex cerebro confingere; cum verborum eorum, quæ allegat ne syllaba una quidem alibi extet; & quod est multo insolentius, cum ex Evangelio ipso loca se describere profiteatur ibidem, quæ eidem hæresi apertissimè faveant; quorum nihil tamen in sacris libris appareat? „ Hactenus Harduinus pag. edit. Amstelodani 373. Nec tali voce tonat Harduinus duntaxat. Franciscus Suarez singulari modestiâ præditus tom. 2. in 3. p. disput. 40. *Hæc sententia*, inquit, *est planè hæretica:* & Quæsitores fidei illam confixisse, tanquam prolatam *contra sacrarum literarum fidem*, *contra Ecclesiæ universæ auctoritatem*, *contra sanctorum Patrum doctrinam*, conjecto in carcerem, ubi in squalore sordibusque decessit, prædicto Hieronymo Vecchietto, narrant Janus Nicius Erythræus Pinacoth. Virorum illustrium pag. 196. Hyacinthus Serry Exercit. de Ch. 51. pag. 356. in Vita Marci Antonii Cappelli Joannes Bortonius pag. LXXI. & ex Novatoribus Jo. Frischmuth in Thesauro Theologico-Philologico pag. 189. Nos verò sententiam illam, si non hæreticam, falsissimam asserimus; ac talem nobis videmur demonstravisse.

17. Christus cum Judæis Pascha eadem die celebravit.

Propos. IV. Christus eadem die cum Judæis *Pascha typicum* celebravit.

Demonstratur primo. Dominus enim celebravit *Pascha* die prima azymorum, eaque dies ab Evangelistis dicitur *prima*, non tantum quia talis revera erat, in qua secundum legem debebat *Phase* immolari, verum etiam quia tunc temporis Jerosolymis immolabatur à multitudine Judæorum. Commentitia est ergò illorum opinio, qui lunam decimam quartam à Christo, & decimamquintam à Judæis autumant fuisse observatam. Probatur antecedens; enimverò quemadmodum Lucas cap. XXII. 7. inquit; *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, legis præceptum, & diem primitus constitutum significans; ita Marcus respiciens ad præsentem consuetudinem cap. XIV. 12. ait: *Et primo die azymorum, quando Pascha immolabant:* Syriaca versio tom. 5. Bibl. Walt. pag. 126. *Et primo die azymorum, quando sacrificant Judæi Pascha*, & Persica pag. 127. *Quo Judæi Pascha mactant.* Quid manifestius? Eadem ergo die, qua Christus, etiam Judæi agnum paschalem immolaverunt. II. Ostendimus propositione 2. *Neomenias*, diemque Paschalem præstituta fuisse à Synedrio, sive à Synagogæ rectoribus *secundum lunæ phasim*, idque servatum quoque ætate Christi, & posterioribus temporibus: & quamvis detur Synedrium à prisca consuetudine desciviisse, necessariò tamen propositas ab illo dies fuisse servandas. Nec est quod objiciat aliquis hujusmodi legibus Christum non subjectum; constat enim ex Joan. I. 13. V. 1. & VI. 4. Dominum ascendisse Jerosolymam ad celebrandum Pascha; quando illud Judæi peragebant; ideoque, non urgente præcepto, sed singulari humilitatis exemplo, festorum consuetudinem, sive

secundum

ſecundum legem, ſive ſecundum Synedrii ſtatuta, ad extremum uſque diem ſervaviſſe. In caſſum quoque nos provocarent adverſarii ad calculos aſtronomicos, quorum non habendam eſſe rationem diximus Volum. V. pag. 351. & ſi habenda ſit, retrahemus cum præſtantiſſimo viro conſulatum Geminorum, cui paſſionem Chriſti affigendam putamus, ad annum V. Ae. XXVIII. atque ſi nec iſtud arrideat, eodem anno, quo luna XV. incidit in feriam ſextam, qualiscunque tandem ſit, poſt celebratum commune Paſcha, crucifixum Dominum pronuntiabimus. III. Diximus ſupra, immolandum agnum ex præcepto legis ab univerſo Iſraelitarum cœtu ſimul coadunato. Hinc Philo lib. 3. de Vita Moyſis pag. 686. ait celebratum Paſcha, *univerſo populo concurrente*. Appellatur ab eodem Scriptore ob immolantium congregationem, in libro *de Septenario*, pag. 1190. ἡ πάνδημος θυσία, *communis victima*. Non mactabatur agnus niſi in atrio templi; neque comedebatur niſi ſanguine ad altare à Sacerdotibus ſparſo, atque combuſto adipe, ut ſcribit Maimonides in *Corban Peſach*, demonſtrantque cum Lightfooto in *Miniſt. Templi* pag. 730. viri plures peritiſſimi rituum Hebraicorum; non manducabatur denique, niſi fermento è domibus ſublato, id præſcribente lege. Quid ergo? Niſi Salvator noſter eadem die, ac Judæi, typicum ediſſet agnum, legem penitus violaſſet: non enim interfuiſſet communi victimæ, non cœnaſſet poſt *Phaſe* mactatum in atrio, non expectaſſet ſacrificiorum conſummationem, non feciſſet *Paſcha* in domo purgata à fermento. Aut ergo non celebravit Paſcha, quod nullatenus affirmandum eſt, aut illud celebravit die ipſa, qua celebraverunt Judæi. IV. Si aliter ſe haberet res; Apoſtoli non fuiſſent adeo ſolliciti parandi Paſcha, cum non inſtaret ſolemnitas publica & celeberrima: ſolicitudinem habuerunt tamen, eaque ſolemnitas prope erat. Paratum inſuper, ſtratumque erat cœnaculum, advenisque januæ Jeroſolymitarum apertæ: quod propter confluentem multitudinem pernoctantium Jeroſolymis nocte diem XV. præcedente, in conſuetudinem receptum erat pro communi illa feſtivitate: quæ omnia in ſententiam noſtram quadrant maximè. Accedit fictitiam eſſe translationem feſtorum, ut mox oſtendam. V. Non præteream denique pervulgatum argumentum. Niſi Chriſtus celebraſſet *Paſcha* una cum aliis, atque ſtatuto tempore, id proculdubio fuiſſet illi objectum; nec forte Jeroſolymitarum aliquis ei domum ſuam commodaſſet: quo argumento pugnat in libro de Azymo & fermentato Humbertus Cardinalis de Sylva Candida. Fruſtra reponeres Judæos non auſos accuſare Chriſtum, vel quod is ageret ſecundum legem, & ipſi ſequerentur inſtituta Synedrii, aut, quod viſum Hentenio præf. ad Euthymium, id Judæi neſcierint. Etenim corruit prior reſponſio, quia nulla hac in re fuerunt Synedrii præcepta cum lege pugnantia: corruit altera, quia hoc poterant cognoſcere à Juda proditore, à quo productus fuiſſet in teſtem paterfamilias, in cujus domo cœna fuerat peracta.

18. Anno Paſſionis nullus Judæorum diſtulit Paſcha in ſabbatum.

Prop. V. Nullus Judæorum anno paſſionis Chriſti diſtulit Paſcha in proximum ſabbatum, & in exeuntem lunam decimamquintam.

Quænam ſiquidem ratio poteſt ſententiæ oppoſitæ ſuffragari? Non regula לא בדן פסח, non lex de metendo manipulo die azymorum ſecunda, non conſilium initum occidendi Chriſtum, non peculiaris Cyclus phaſi, motibusque lunæ contrarius: Ergo ratio nulla. Probatur antecedens, ac primùm de regula, *Lo Badù Peſach*. Hujus regulæ ſenſus eſt, nunquam Paſcha celebrandum fore *ſecunda* feria, expreſſa litera ב, nec *quarta*, ſignificata per literam ד, nec *ſexta*, cujus nota eſt elementum ו. Ita à literis, quæ ſunt etiam notæ numerorum, dicitur hæc regula בדו, BADU'. Hæc autem regula ætate Chriſti nondum fuerat excogitata. Fatentur id complures patroni translationis Judaicorum feſtorum, qui proinde ad figmenta alia confugiunt. Petavius Not. in Epiph. pag. 185. ſcribit: *Paulus Burgenſis, Paulus Foroſempronienſis Epiſcopus, Joannes Lucidus, Onufrius, Janſenius, Maldonatus noſter, & alii ad vulgatam illam Feſtorum translationem, & feriarum delectum confugere ſolent. Verum iſtud nondum Chriſti tempore conſtitutum fuiſſe docent ipſimet Hebræi.* Haud ſecus lib. XII. de Doctr. temp. cap. XV. pag. 340. Doctiſſimi viri judicium omni æquitate prolatum eſt. Scribit enim Rab. Aben-Ezrae in Levit. cap. 23. v. 5. & Thalmud in *Miſna*, & in *Gemara*, etiam in feriis *Badù*, ſecunda ſcilicet, quarta, & ſexta celebratum fuiſſe Paſcha. Quorum teſtimonia vide tom. II. Biblioth. Rabbinicæ, pag. 762. Idem eruitur ex iis, quæ paucis interjectis dicturus ſum

de

de manipulo. Harduinus cap. 9. regulam *Badù* confirmare nititur, ex altera constituta pro Neomenia mensis *Tisrì*, quæ dicitur לא־אדן, *Lo adù*, scilicet, nunquam *Neomeniam* septimi mensis, & festum, quod appellant *Hosanna Rabbà*, figi in feria, א *prima*, ד. *quarta*, & ו. *sexta*. Quoniam si statuererur die prima, septima nefas esset excutere *hosannam*, (fasciculos nempe è spatulis palmarum, & salicum, myrthique compactos ramulis, de quibus Levit. XXIII. 40.) propter sabbati solemnitatem. Si verò statueretur *Neomenia* in ד, id est, quarta feria, vel sexta, festum Expiationum celebrandum die decima *Tisrì*, incideret necessario in primam, vel sextam feriam, atque ita concurrerent festivitates duæ, una immediate post aliam, sabbatum scilicet, ipsaque Expiationum solemnitas. Atque hæc Harduini ratiocinatio confirmari potest Rabbinorum testimoniis, quæ requiras citato Volumine Biblioth. Rabbinicæ pag. 403. Verum, utut ingeniosa ista sint, nullam in præsentia vim habent: primum, quia regulæ בדן, *Badù*, & regulæ אדן, *Adù*, eadem est nativitas & origo: deinde, quia ex regula *Adù* statuta pro Neomenia *Tisrì* infertur, ut mox ostendam, non admittendam esse regulam *Badù* pro Phase mactando luna XIV. Nisan: insuper quia a tate quoque nostra celebrant Judæi festum quodcunque, tametsi incidat in primam, vel sextam feriam, ut ostendit Serry Exercit. LI. num. 2. Insuper quia ut plurimum ipsam Tisrì *Neomeniam* celebrant non uno tantum die, sed duobus, ut demonstrat Bucherius ipse de Doctr. Temp. pag. 380. imo Periodus Judaica pro Neomeniis geminos designat dies: demum quia Rab. Moyses Ben-Maimonidis cap. 7. *Hidduseh hahodesch* affirmat, non alia de causa receptam regulam *Adù*, nisi ut computus dierum accomodaretur *ad conjunctiones solis & lunæ secundum medium motum illorum siderum, non habita ratione veri eorundem loci*: ex quo testimonio Petavius Not. in Epiph. pag. 182. infert, diu post Christi passionem *suj erstitionem illam introductam*. Corruit ergo prima ratio translationis Paschatis petita ex Rabbinica Regula, לא בדן פסח;

19. Falsa aliquorum opinio.

Falluntur pariter, qui statuunt Paschatis de sexta feria in diem sabbati translationem, atque hac in parte regulam *Badù* institutam volunt auctoritate divina, nimirum, ut *altero die sabbati*, id est, postridie diei festi Paschæ, deferretur manipulus spicarum ad sacerdotem, juxta præceptum Levit. XXIII. 10. Principio enim Harduinus, qui in hoc argumento magnum sibi locat præsidium, refutatur ex regula *Adù*, quam licèt serius natam, ipse tamen approbat & colluslrat. Etenim Auctor libri לבוש התכלת, *Lavusc Hathecheleet*, tract. de Neomenia, ait ideo non posse die sabbati excuti Hosanna, *quoniam præceptum excutiendi fasciculum non est ex lege, sed ex consuetudine, quod non potest expellere præceptum legis*. Vide Biblioth. Rabbin. præcit. pag. 403. Atqui præceptum metendi, & offerendi manipulum non est ex superinducta consuetudine, sed ex lege. Igitur poterat id fieri die sabbati. Et quidem in Rabbinorum commentariis, fabularum aliàs plenissimis, & à me productis ad confutationem illorum, qui ex ipsis portentosa systemata fabricarunt, puto nihil dictum esse rationabilius. Cur enim censenda erat sabbati observationi contraria, & computanda inter opera servilia, messio manualis manipli, elevandi *coram Domino*? Religionis actus id potius erat, quàm servile opus. Præterea ex Moyse Aegyptio, Rab. Ismaele, aliisque, de quibus *Ministerium Templi*, cap. XIV. sect. 2. & Biblioth. Rabbin. tom. 2. pag. 713. & 762. non solum apparet Homer (ita manipulum illum appellant) demessum sabbato, verum & factum id ceremonia quadam, in qua messores alta voce clamabant, שבת היום, *Estne sabbatum hodie?* & respondentibus cunctis, הן, *Est*, iterum interrogabant אקצור, *Metamne?* tunc verò universi קצור קצור קצור, *Demete, Demete, Demete.* Eo insuper loci traditur, neminem de manipio die sabbati metendo hæsitasse, præter quosdam Sadducæorum. Si verò hæc velimus inter fabellas amandare; amandemus jure eodem regulam illam *Badù*, anno millesimo, ut demonstrat Thomas Lydiatus, posteriorem. Tandem est sententia Venerabilis Bellarmin lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 13. & lib. IV. de Euchar. cap. 9. Baronii ad annum Christi XXXIV. num. 234. aliorumque doctissimorum virorum, anno, quo Pascha incidisset in feriam sextam, demessum manipulum die prima, quam nos Dominicam dicimus. Scio sententiam istam à Serrio Exercit. LXII. num. 4. & à recentioribus aliis rejici ob fluxas illas, incertasque traditiones Rabbinicas. Probabilis est tamen; & ea verba Leviticì XXIII. 15. *ab altero die sabbati* vi-

dentur quibusdam significare feriam consequentem, non Pascha, sed sabbatum; præsertim si attendatur sensus Hebraici textus, מִמָּחֳרַת הַשַּׁבָּת, *A crastino cessationis.* Consonant lectioni Hebraicæ cum textu Sammaritano Versiones ferè omnes, tom. I. Polygl. Walt. pag. 504. de quarum tamen sensu dicendum infra.

20. Ob damnationem Christi non distulerunt Pascha judæi.

Videndum modò, an Judæi distulerint Pascha, ut Jesum damnarent morti. Visum id quidem nonnullis ob auctoritatem Chrysostomi scribentis Hom. LXXXVI. in Matth. pag. 715. *audaciſſimos illos homines, & mille tranſgredientes legis præcepta, quoniam ita inflammati erant, & ſæpe conati Jeſum capere nihil facere potuerant, ex inſperato nacti quod cupiebant, tempus Paſchæ tranſpoſuiſſe.* At possumus, salva Chrysostomi reverentia, recedere à singulari hac opinione reliquis Patribus contraria, cum nec Chrysostomus fuerit in ea constantissimus. Nam supra Hom. LXXXIV. pag. 708. scripserat, *Et immiſerunt in eum manus, ac tenuerunt illum ipſa nocte, in qua comederunt Paſcha*, Καὶ ἐπέβαλον ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας, καὶ ἐκράτησαν κατ' αὐτὴν τὴν νύκτα, καθ' ἣν τὸ πάσχα ἔφαγον. Ac Hom. LXXXIII. in Joannem pag. 414. fatetur se ignorare, an ea verba Joannis XVIII. 28. *Ut manducarent Paſcha*, significent paschalem victimam, an verò τὴν ἑορτὴν πᾶσαν, *totam ſolemnitatem.* Cum præterea Chrysostomus certissimè teneat his tribus in locis, & Hom 82. in Matth. Dominum Jesum celebrasse Pascha statuto tempore, consequens erit ex propositione quarta, idem fecisse Judæos universos. Atque ita sententiæ, quam oppugnamus, ruit fundamentum. Addo, quod apud Judæos in more positum erat insignes reos plectere extremo supplicio in solemni festo, ut ex communi Rabbinorum doctrina ostendit Drusius in caput 26. Matthæi. Deinde ex ipsomet Evangelio haud obscure colligitur, crucifixum Dominum jam Hebræis agentibus solemnitatem Paschalem. Pilato enim dicenti Joan. XVIII. 31. *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum*, respondérunt, *Nobis non licet interficere quemquam.* Hæc autem verba dicta sunt circa horam tertiam, nondum sententia mortis in piissimum Jesum prolata. Peto, cur inquiunt, *Nobis non licet?* Aut propter inchoatam solemnitatem, aut propter ablatum illis jus sanguinis. At non ea dixerunt, quòd jure gladii privati essent. Tenent utique hoc postremum permulti, sed falso. Quæstio, an Judæi habuerint jus gladii, rectè dicitur à Petavio lib. XII. de Doctr. Temp. cap. 19. non mediocris, nec facilis explicatu. Occisos à Judæis blasphemos absque auctoritate Romani Magistratus, constat ex Act. VI. 11. ubi legimus Stephanum de blasphemia accusatum; quem cap. VII. 58. obruerunt lapidibus. At Maldonatus colligit ex libro *San-hedrin* aliter dicendum esse de supplicio crucis. Sit ut lubet, quamvis oppositum teneant Lipsius, aliique docti homines, uti fatetur eo loci Petavius. In causa Christi ad jus Hebræorum non debemus attendere, quia Pilatus permisit Judæis, ut Dominum interficerent: *Accipite* (inquit) *eum vos, &c.* Atque hæc verba non ironicè dicta sunt, uti visum Scaligero, & Lightfooto; sed revera Pilatus in Judæorum gratiam, ratus agi de re ad ipsorum legem spectante, ad illos judicium cupiebat deferre, ut inquit ex communiori sententia in eundem locum Calmet. Falso etiam Grotius scribit permissum à Pilato, ut Jesum loris cæderent, quoniam hæc potestas illis remanserat, redactâ in Provinciam Judæâ: falso, inquam, id scribit; siquidem Evangelii verba demonstrant permisisse Pilatum, qualecumque judicium Mosaica lex postularet. Sive ergo habuerint Judæi tunc temporis jus gladii, sive non habuerint, poterant Christum interficere facta sibi à Præside potestate. Dixerunt tamen, *Nobis non licet, &c.* Ergo hoc dixerunt, quod agerent diem festum, ideoque & ipsi manducaverant agnum, festumque diei primæ azymorum inchoaverant. Rectè Augustinus Tract. CXIV. in Joannem n. 4. *Intelligendum eſt eos dixiſſe, non ſibi licere interficere quemquam, propter diei feſti ſanctitatem, quam celebrare jam cœperant.*

21. Nec ob receptum calendarium Romanum.

Tandem nec transferendi Paschatis ratio petenda est à recepto à Judæis Calendario Romano, vel à constituto Cyclo aliquo phasibus lunæ, legique Moysis opposito: primum quia nequit admitti duplex calculus, quorum unum servarit Christus, alium verò cœtus Judaicus: deinde quia celebrari non poterat Pascha nisi à congregatione filiorum Israel, & post mactatam communem victimam; ideoque periodo qualicunque servata, necessum erat, ut Pascha ab omnibus, qui illud servare vellent, perageretur uno eodemque die, primo scilicet azymorum.

CAPUT II.

CAPUT II.

Explicantur Evangelici textus, qui cum superiori doctrina videntur pugnare, & quæritur in quem diem anno Passionis Domini inciderit Pentecostes.

SUMMARIUM.

1. Proponuntur objectiones ex Scriptura sacra.
2. Usque ad 8. solvuntur.
3. Alia objectio ex festo Pentecostes petita.
9. & 10. Duæ probabiles ad hanc responsiones.
11. Responsio auctoris.
12. Spiritus S. die Dominico illapsus est in Apostolos.

1. Argumenta adversariorum ex S. Scriptura.

QUi negant Christum pridie, quàm pateretur, celebrasse Pascha legale, aut saltem illud celebrasse inchoata solemnitate azymorum, contendunt auctoritate sacrosancti Evangelii sententiam firmare suam. Principio, inquiunt, Principes sacerdotum consilium quidem inierant interficiendi Dominum, at dicebant Matth. XXVI. 5. *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Verebantur enim ne multi, quos post resurrectionem Lazari in eum credidisse testatur Joannes XII. 11. convenientes Jerosolymis ad solemnitatem Phase, illum, si conjiceretur in vincula, aut duceretur ad mortem, tumultuosè è manibus ipsorum eriperent. II. Idem Joannes cap. XIII. 1. ait, Dominum instituisse postremam cœnam, *Ante diem festum Paschæ*, ideoque ante vesperam lunæ XIV. atque ante inchoatum primum azymorum diem, sive Paschalem solemnitatem, quæ *à vespera ad vesperam* juxta mandatum legis, Levit. XXIII. 32. peragebatur. Neque plurimum valet ad argumentum istud solvendum distinctio diei legalis, & naturalis: siquidem in eadem cœna quod Dominus dixit proditori, *Quod facis, fac citius*, cæteri Apostolorum, ex eodem cap. versu 29. *putabant, quod dixisset ei Jesus: Eme, quæ opus sunt nobis ad diem festum.* Non ergo festa dies, in qua nefas erat aliquid emere, cœperat tunc temporis peragi. III. Majorem habent vim verba ejusdem Evangelistæ, cap. XVIII. 28. *Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, unde aperte sequitur Hebræos nondum meridiano tempore feriæ sextæ Paschalem victimam manducasse. Atque hunc locum sufficere sententiæ nostræ confutandæ non soli scribunt Grotius in hunc locum, Casaubonus Exercit. XVI. in Annal. Baronii num. 24. Ludovicus Capellus in Epicrisi, Josephus Scaliger, aliique Novatores; sed etiam Catholicorum doctissimi, inter quos Petavius lib. XII. de Doctrina Temp. cap. 16. Maldonatus in Evangelium Matth. Zegerus, alii. Quod solet huic argumento responderi, etiam alias victimas in festo azymorum mactatas appellari *Pascha*, ut habetur Deut. XVI. 2. *Immolabisque Phase Domino Deo tuo, de ovibus, & de bobus*, non videtur satis esse ad vim argumenti frangendam: primum quia τὸ πάσχα absolutè, & quod amplius est, φαγεῖν τὸ πάσχα, *manducare Pascha*, unum Paschalem agnum significat, hostiis aliis seclusis; idque in eodem cap. XVI. Deut. versu 6. *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Aegypto, & coques, & comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Deinde quia idem infertur ex præcitato versu secundo, cujus sensus est, Immolabis Phase, atque præter Phase hostias de ovibus, & de bobus: quod ostendi potest collatione Hebraici textus & celebriorum Versionum, necnon ex antiquorum interpretatione. Etenim Hebraicus textus non habet, *de ovibus, & de bobus*, sed וְזָבַחְתָּ

פֶּסַח לַיהוָה אֱלֹהֶיךָ צֹאן וּבָקָר׃

Et sacrificabis Phase Domino Deo tuo, oves, & boves. Ita & LXX. Καὶ θύσεις τὸ πάσχα τῷ Θεῷ σε πρόβατα ἢ βόας, nec aliter Samaritanus. Targum verò Onkelos, *Et immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus, & victimam sanctificatam de bobus.* In quibus, si accurate expendantur, victima Paschalis sejungitur ab aliis hostiis. Id verò magis apparebit, si locus iste conferatur cum versu 15. triceſimi capitis libri 2. Deuteronomii, in quo *Phase* apertissimè sejungitur *ab holocaustis.* Quare Rabbinorum doctissimi ita textum Deuteronomii interpretati sunt, ut *oves* & *boves* non accipiantur pro *Paschate*, sed *pro Eucharisticis sacrificiis festo congruis, de quibus ederent ad satietatem*, & quæ Hebræis non *Pascha* dicuntur, sed, חגיגה *Hhagigà.* Ita docent Rab. Salomo, Maimonides,

nides, Rasi, Bechai, Abarbanel, & alii apud Simeonem de Muis p. 2. tom. 1. Criticorum sacrorum, pag. 108. Non ergo contemnendum est, ut quidam putant, tertium hoc argumentum. IV. Præterea feria sexta, in qua crucifixus est Dominus, dicitur Joannis XIX. 14. *Parasceve Paschæ*, non Parasceve sabbati, ut post Bellarminum & Baronium vulgo interpretantur Theologi, sed *Parasceve Paschæ*; & consequenter dies proximus sabbati erat azymorum primus, quo ineunte Pascha mactandum erat, & facto vespere comedendum. V. Eodem capite versu 31. legitur rogatum Pilatum à Judæis, ut crucifixorum frangerentur crura, ac de patibulo tollerentur, ne remanerent in cruce corpora sabbato, *Erat enim* (inquit Evangelista) *magnus dies ille sabbati.* Cur autem magnus, nisi quia duo simul celebrarentur festa, sabbati nimirum, & Paschatis? Postremo in Evangelica historia narratur plura in die Christi emortuali fuisse peracta, quæ fieri non poterant in primo azymorum, celeberrimo ac sancto: armati milites ut Jesum caperent; consilium summo mane initum à principibus sacerdotum & senioribus populi; appellatio ad tribunal Romani præsidis; repetita accusatio; expostulatio & executio supplicii teterrimi; necatorum sepultura; præparatio syndonis, & aromatum pro exanimi Christi corpore. Hæc itaque sunt, quæ videntur evertere sententiam quinque præcedentibus propositionibus, non absque industria, & lare stabilitam.

2. Responsio ad primum argumentum.

Verumtamen nequeunt hæc à priori sententia nos removere. Ad primum enim respondet S. Joannes Chrysostomus Hom. LXXX. in Matth. pag. 680. *Considera valide ipsos timere, non Deum, neque ne majus scelus esset in ipsa Paschæ celebratione tam tetrum facinus facere, sed homines & tumultum: ira tamen inflammati, posteaquam proditorem invenerunt, commutati expectorare non potuerunt, sed in ipsa solemnitate ipsum occiderunt.* Similia Theophylactus in Matth. pag. 157. ubi etiam ingeniose observat passum Dominum, *non quando Judæi voluerunt, sed quando ipse voluit*, quemadmodum decebat Auctorem vitæ sponte pro nobis cruci affigendum. Addo consuetudinem fuisse Judæorum insigniores reos plectere ipso die festo: quod supra diximus, ac modo confirmamus testimonio Maimonidis, scribentis cap. 4. *Hilkot* ממרים. *Usque ad Festum* insignem sontem *custodiunt, & ipso festo strangulant, quia dictum est; Et omnis Israel audiet & timebit*, Deut. XVII. 13. Addo etiam, si principes Sacerdotum in priori opinione stetissent, neque procurassent Christi mortem in die præcedente solemnitatem Paschalem: quippe eadem die horis pomeridianis immolabatur agnus facto vespere manducandus, ideoque circa meridiem, quando crucifixus est Dominus, jam conveniisset Jerosolymam ingens Hebræorum multitudo.

3. Responsio auctoris ad 2dum argumentum.

Ad secundum respondeo fuisse quorumdam sententiam, quod cœna commemorata cap. XIII. 1. Joannis non fuerit *Eucharistica*, & postrema, sed convivium institutum Bethaniæ: primum quia hoc *ante Pascha* celebratum est, & illa cœna pariter *ante Pascha*: deinde, quia cum exeunti Judæ Christus dixerit, *Quod facis, fac citò*, putabant quidam eum hoc sibi voluisse, Eme, quibus nobis *ad diem festum* opus est, ad cœnam scilicet Paschalem: insuper quia Lucas cap. XXII. 4. narrat proditionem Judæ, antequam veniret dies prima azymorum, & discipuli Pascha pararent. Illam vero proditionem Joannes cap. XIII. v. 30. recenset post cœnam, eademque nocte, postquam Judas acceperat *buccellam*, præterea quia incredibile est paucis illis horis, quæ inter cœnam, & Domini comprehensionem in horto interfuerunt, potuisse Judam sacerdotes adire, inire pactum, congregare Synhedrium, turbamque sicariorum expedire, præsertim cum in nocte Paschali unicuique cum familia sua cœnandum esset, & ridiculum sit opinari primarios sacerdotes simul cœnasse, dum interea illorum familiæ domi absque capite residerent: tandem quia in illo cap. Joannis XIII. non est minima mentio, nec γεῦ quidem Paschalis cœnæ. Profert hæc argumenta in Horis Hebraicis ad caput 26. Matth. pag. 373. & sequentibus Joannes Lightfootus. Foret utique hæc sententia ad argumentum diluendum aptissima, nisi esset omnino falsa. Falsam esse constat ex unanimi Patrum consensu, &, ni fallor, ex ipso Joanne: nam cœnam in Bethania factam *ante sex dies Paschæ*, Martha ministrante, & discumbente Lazaro, scribit idem Evangelista cap. XII. & in cœna, quam narrat cap. XIII. neque Lazarum legimus, neque Martham, neque profusionem unguenti, neque turbam ad videndum Lazarum confluentem, sed Dominum cum discipulis suis, tamquam patremfamilias accumbentem, lavantem suorum pedes, eosque alloquentem longa oratione, documentorum solatiique ple-

pleniſſima. Adhæc Joannes cœnam iſtam fuiſſe ſupremam haud obſcure indicat, dum priori verſu inquit: *Sciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos:* ac manifeſtius poſt enarratum Domini ſermonem usque ad caput XVIII. protractum, ubi à cœna ad hortum *trans torrentem Cedron* ſcribit Dominum perrexiſſe. Neque argumenta Lightfooti probant quidquam, modò ſtatuamus poſt cœnam Bethaniæ Judam profectum ad principes ſacerdotum, Magiſtrum vendidiſſe triginta argenteis, ut narrant Matthæus cap. XXVI. 15. Marcus XIV. 10. Lucas XXII. 3. & exinde Judam expectaſſe oportunitatem temporis, quo Dominum traderet: tempus autem iſtud adveniſſe Paſchali nocte, paratis jam ad horrendum facinus miniſtris. Atque id ex eodem cap. XIII. Joannis infertur; verſu namque 2. ea verba, *Cum diabolus jam miſiſſet in cor ejus, ut traderet eum Judas*, demonſtrant Judam prius de tradendo Domino cogitaſſe: ea autem, quæ ſubjiciuntur verſu 30. *Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exivit continuo*, innuunt proditorem recta profectum ad principes ſacerdotum, conſcios ſceleris, & in mortem Domini paratiſſimos, ut accepta cohorte mandaret quod ſponderat executioni. Atque ita corruunt omnia argumenta Lightfooti, illo tantum excepto, quod eſt de cibariis emendis pro die feſto, de quo paulo infra, ubi dicam de *Paraſceve*. Ad argumentum itaque duo reſpondent Theologi: primum quod Joannes accipiendus ſit de die *naturali* & uſuali, qui de media nocte ad mediam noctem producitur; non de die *legali*, qui protranitur à veſpera in veſperam: alterum quod τὸ πρὸ τῆς ἑορτῆς, *ante diem feſtum*, poſitum ſit pro προεορτίῳ, id eſt pro parte diei, quæ præcedit feſtum, & eſt pars feſti, ſicut πρόδομος eſt *pars domus*, προάστειον *pars urbis*, πρόλογος *pars orationis*, &c. Sed arridet mihi plurimum reſponſio iſta: Etſi cœna Paſchalis peragetur *facto veſpere*, & die decimaquarta exeunte, ac tunc inchoata foret *legalis* feſtivitas; Judæi tamen feſtum Paſchatis peculiari titulo incipiebant à media nocte, illudque agebant proxima die quintadecima; quia Dominus percuſſit primogenitos in terra Aegypti, *in noctis medio*, Exodi XII. 29. ac Paſcha, ut ibidem legitur, erat *victima tranſitus Domini, quando tranſivit ſuper domos filiorum Iſrael in Aegypto percutiens Aegyptios.* Vide Biblioth. Rabbinicæ tom. 2. pag. 756. Quod ergo ait Joannes, *Ante diem feſtum* Paſchæ, idem eſt, ac *ante mediam noctem:* unde in Græco legitur ſimpliciter, *Ante feſtum Paſcha*, πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα.

4. Reſpondetur ad ſtium difficilius.

Venio ad tertium paulo difficilius. Perſuaſum mihi eſt illis verbis, *Ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*, non agnum ſignificari, ſed *Hbagigam* Paſchalem, victimas ſcilicet ovium, juvencorum, & boum, quæ mactabantur die proximè ſequente immolationem agni. Primò quia Dominus ita conſtituit pro Paſchali victima quartamdecimam diem Niſan, ut ſi aliquis ea die aut fuiſſet immundus, aut iter haberet, teneretur differre Paſcha ad menſem ſecundum, ut legimus Numerorum IX 10. *Homo, qui fuerit immundus ſuper anima, ſive in via procul in gente veſtra, faciat Phaſe Domino in menſe ſecundo, quartadecima die menſis ad veſperam.* Si ergo Judæi immunditiam contraxiſſent, poterant Paſcha ad menſem *Jiar* differre; nec adeo de non contrahenda immunditia ob cauſam, quam graviſſimam exiſtimabant, fuiſſent ſoliciti. Deinde, ſi audire velimus traditiones Rabbinorum, quoniam Paſcha immolandum erat ſtatuto tempore, agendum id erat, quamvis tota congregatio, aut maxima pars fuiſſet immunda; & tantum fas erat differre Paſcha ad menſem ſecundum uni, aut alteri immundo, non verò cœtui atque multitudini. Ita ſcribunt R. Maimonides, & alii apud Lightfootum in H. H. ad cap. XIV. Marci. Igitur immunditia eorum, qui in Prætorium fuiſſent ingreſſi, nullum agendo Paſchati attuliſſet impedimentum. Præterea veriſſimum eſt hoſtias illas ovium & boum nomine *Paſchatis* appellari, cùm in citato textu Deuteronomii XVI. *Immolabiſque Phaſe Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*, tum in 2. Paralip. XXXV. 9. *Dederunt cæteris Levitis ad celebrandum Phaſe quinque millia pecorum, & boves quingentos.* Rurſus idem probant invictiſſimè textus Hebraicus, ac Verſiones aliæ perperam nobis ab adverſariis objectæ. Primò quia, ut obſervarunt quoque Rab. Ruben, Simeon, & Levi apud Friſchmuthum, non extat in Hebraica lectione litera conjunctionis ו præfixa dictioni צאן, *oves:* unde apparet τὸ צאן ובקר, *oves & boves* referri ad dictionem ſuperiorem פסח, *Phaſe.* Deeſt pariter in verſionibus Græcis Καὶ, &, ante πρόβατα. Ulterius

ubi legimus Num. XXIX. 2. *Offeretisque holocaustum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem;* ac primo Paralip. XXIX. 21. *Et obtulerunt holocausta die sequenti tauros mille, arietes mille, agnos mille,* aliisque in locis sexcentis, in quibus occurrit eadem syntaxis, ac in illo versu Deuteronomii; agni, arietes, ac tauri non sunt aliquid diversum ab *holocausto*, sed illud, quod *holocausti* nomine significatur. Pari ergo ratione in textu illo Deuteronomii, *Immolabisque Phase Domino Deo tuo oves*, & *boves*, non sunt *oves* & *boves* aliquid distinctum à *Phase*, sed sunt id, quod vocabulo *Phase* significatum est; sive, ut eruditi viri observarunt, פסח stat loco generis ad subjectas voces, צאן, & בקר. Insuper eodem cap. XVI. Deuteronomii versu 3. ubi legit Vulgata, *Non comedes in eo panem fermentatum; septem diebus comedes absque fermento*, habent Hebræi, שִׁבְעַת יָמִים תֹּאכַל עָלָיו מַצוֹת *Septem diebus comedes super eo infermentata.* Dictio autem, עַל, *super* hoc in loco idem est, ac עִם, *cum*, ut Exodi XXXV. 22. Isaiæ VII. 2. aliisque in locis. Victimæ itaque septem dierum azymorum *Pascha* appellantur, & φαγεῖν τὸ πάσχα, *manducare Pascha* tam de agno, quàm de cæteris hostiis propriè dicitur; quemadmodum Act. XII. 4. dies omnes azymorum appellantur *Pascha.* Ex quibus omnibus constat etiam sanctificatas hostias juvencorum & boum comprehendi nomine Paschatis, tametsi eo vocabulo denotaretur peculiari quadam ratione Paschalis agnus, ac aliæ victimæ dicerentur quoque חגיגה *Haghigà:* quod tantùm inferri potest ex Versione Chaldaica. Atque his diluimus objectionem tertiam, simulque Versionem Vulgatam in XVI. capite Deuteronomii explicavimus, & vindicavimus.

5. Responsio ad 4tum.

Quarta objectio, tametsi Marcus Antonius de Dominis P. 2. de Republ. Eccl. n. 268. reprehendit doctissimum Bellarminum, aliosque explicantes Evangelicum textum de Paraseeve sabbati, recte ab insigni ævi nostri Theologo de Re Sacramen. pag. 397. dicitur vitilitigatio. Communem quippe responsionem confirmat S. Marcus, dum cap. XV. 42. ait: *Erat Paraseeve, quod est ante sabbatum.* Nunc ego dabo operam, ut oppositæ argumentationis appareat inanitas. Principio quemadmodum tradunt periti rituum Hebraicorum, ad Pascha nulla erat *Paraseeve*, id est, ciborum præparatio: nam utique Hebræi feria sexta post meridiem parabant cibaria, mensasque sternebant, quasi statim prandendum foret, aut cœnandum; sed hoc non faciebant die præcedente festum Paschatis, quoniam die prima azymorum ex cap. XII. Exodi vers. 16. licitum erat facere ea, *quæ ad vescendum pertinent.* Cum ergo Pascha nullam Paraseevem habeat; feria sexta, qua crucifixus est Dominus, dicta est παρασκευὴ τοῦ πάσχα, *Paraseeve Paschæ*, quod simul esset πρωτάββατον, Paraseeve sabbati, & Pascha, eo ferme pacto, quo à nobis dicitur *Dominica Paschatis*, aut *Pentecostes* dies illa, in quam simul incidunt eadem festa, atque dies initialis hebdomadæ. Adhæc licet origo hujus vocis *Paraseeve* sit à parandis cibariis; illius tamen usus apud Hebræos fuit eandem vocem usurpandi pro sexta quacunque feria: unde in antiquo libro *Bereseit Rabba*, par. II. legitur singulos hebdomadæ dies propriis carere nominibus, id est, primam, secundam, tertiam, quartam, & quintam feriam, *præter Paraseeven, & sabbatum:* idque negare non est ausus Exercit. XVI. num. 15. in Baronium Isaac Casaubonus. Quidam Scholasticorum cum Witassio pag. 69. ajunt etiam Arabes sextam feriam eo vobabulo nominare: quod de Arabibus antiquis verum esse testantur viri in illa lingua doctissimi: nam post debellatos Arabes à Mahumede, sextam diem non Paraseeven dicunt, sed *Algiumam*, id est, congregationem. Ait ergo Evangelista *Paraseeve Paschæ*, ad significandam sextam feriam inter septem dies azymorum; quos omnes appellatos *Pascha* dictum est supra. Dato insuper etiam Pascha suam habuisse *Paraseeven;* cum Joannes appellarit *Pascha* etiam victimas *Hagigas*, mactandas prima die azymorum, & Paschali nocte transacta, dixisset cohærenter diem Veneris *Paraseeven Paschæ* ob præparationem victimarum istarum, non ob præparationem agni mactati jam, & comesi. Abunde his revincitur Spalatensis, necnon Gerardus Wossius, qui in dissert. 2. de tempore Dominicæ Passionis num. 12. pag. 85. scribit de his verbis, *Erat autem Paraseeve Paschæ.* „Quem locum, uti & priores, mire torquet Toletus in cap. XIII. Joan. Vult enim παρασκευὴν τῶ πάσχα dici, non ratione Paschatis, sed sabbati. Ac similiter in idem caput Ribera, inque Annalibus Baronius.„

Oppositio

6. Respondetur ad quintum.

Oppositio quinta facillimæ solutionis est: dies enim sabbati incidens in secundam azymorum erat dies, qua populus adibat templum cum victimis pacificis, quas Hebræi appellant *Corban Raajah*, quasi comparitionis munus, & de quibus interpretantur ea verba Exodi XII. 15. *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Eadem quoque die offerebatur, ut diximus superiori capite prop. 5. spicarum manipulus, de quo Levitici XXIII. 11. & quoniam dies festi, in quibus populo cum holocaustis & victimis coram Domino erat comparendum, dicebantur *Magni*, ut constat ex cap. VII. Joannis versu 37. idcirco de sabbato incidente in diem azymorum secundum dicitur cap. XIX. 31. *Erat enim magnus dies ille sabbati.*

7. Respondetur ad sextum.

Quæ objiciuntur sexto loco, ita diluenda sunt. In primis fatemur multas legis transgressiones factas à Principibus Sacerdotum, ut Jesum perderent, at plura egisse ministerio Gentium, ne viderentur tam apertè violare solemnitatem: cujus gratia dixisse, fas sibi non esse quemquam interficere, ait Augustinus, & à nobis supra probatum est. Percurramus deinde singula. Christo non semel mortem diebus solemnioribus intentarunt, Joannis X. 31. in festo Encœniorum, & in ipso porticu Salomonis; & in festo Tabernaculorum, VIII. 59. Altera die, *quæ est post Parasceven*, id est, die sabbati, & ex adversariorum sententia die sabbati simul & Paschatis, convenisse Principes Sacerdotum, & Pharisæos ad Pilatum, rogantes, ut poneret milites ad custodiendum sepulchrum, & facta sibi à Præside facultate, ipsosmet apposuisse custodes, munivisse sepulchrum, signasse lapidem, narrat cap. XVII. 62. & 66. sanctus Matthæus. Insignes reos damnatos in solemnioribus diebus, dictum paulo supra ad primum: mortem verò Christi peractam postulantibus quidem Judæis, sed à militibus Præsidis, manifestum est omnibus: atque his incedere armatos, ducere ad supplicium, & necare quem judex damnasset, indicebat officii ratio, non prohibebat æquitas religionis. Ipsi Judæorum Rabbini docent tam in sabbato, quàm in festivitatibus aliis sepelienda cadavera: & quamvis Maimonides apud Casaubonum asserat in sabbato reum occidi non posse; hoc tamen nec ipse negat de prima die azymorum. In hac præsertim posse mortuum sepeliri, atque exerceri quidquid ad funus pertinet, emi ac parari sindones, haberi curationem cadaveris, & pollincturam, omniaque ad officia pietatis licite emi & vendi, scribit Rab. Jacob Ben Juda in libro אגור *Agur*, num. 651. ubi prolixè docet quæ fieri soleant, ac possint, ביום טוב ראשון, *Bejom tou riscion*, in die primo solemnis festi. Tobiam *in die festo Domini* sustulisse de platea unum ex filiis Israel jugulatum, ibique jacentem, ut illum in silentio proximæ noctis sepeliret, legimus cap. II. 4. 5. sacri libri nomine ejusdem Tobiæ inscripti. Appensum in patibulo sepeliendum *eodem die*, præcipit Deuteronomii caput XXI. 23. Atque his proposita sex argumenta penitus refutantur.

8. Objectio 7ma ex festo Pentecostes petita.

Accedit septimum, quod Scaliger lib. V. de Emendat. temporum putat insolubilem, petitum ex festo Pentecostes. Celebrari enim debebat festum istud post quinquaginta dies enumeratos à secunda die azymorum, sive à decima sexta mensis Nisan, ut constat ex Levit. XXIII. 15. *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies; & sic offeretis sacrificium novum Domino.* Atque *alteram* illam diem statutam pro ritu manipuli, fuisse decimam sextam mensis primi, tradit quoque Josephus in III. Antiq. 10. pag. 177. τῇ δὲ δευτέρα τῶν ἀζύμων ἡμέρα, ἕκτη δ' ἐστὶν αὕτη καὶ δεκάτη, *secunda verò azymorum die, est autem illa decima sexta.* Hisce quinquaginta diebus enumeratis, si Christi emortualis fuit azymorum primus, & quintusdecimus Nisan, necessum est, ut anno illo Pentecostes, sive dies quinquagesimus inciderit in sabbatum. At repugnat id vetustæ traditioni, juxta quam Pentecoste tunc incidit in Dominicam, & in Dominica circa horam tertiam Spiritus sanctus in Apostolos illapsus est. Illo igitur anno secunda azymorum dies fuit Dominica, & consequenter prima dies azymorum, & Judaicum Pascha, non sexta fuit feria, sed sabbatum.

9. Duæ probabiles responsiones.

Huic argumento duæ solent adhiberi probabiles responsiones. Prima, anno Passionis Christi Pentecostem revera in sabbatum incidisse, eodemque die Spiritum sanctum illapsum super Apostolos. Placet hæc responsio recentiorum compluribus, illamque inconcussam demonstrare nititur Jacobus Hyacinthus Serry Exercit. 62. Ubi verò illi opponitur contraria traditio; respondet hanc esse fictitiam, & licèt pro hac adstruenda

da laudentur Clementis Constitutiones, sermo S. Augustini 154. de Tempore, & S. Leo sermone de Pentecoste; Constitutiones tamen Clementi attributas ab eruditis omnibus rejici, tanquam pseudepigraphas; sermonem quoque præcitatum in castigatissima Benedictinorum editione rejectum in appendicem suppositorum, ideoque solum superesse Leonem Magnum, *qui ut cadente quinto sæculo vixit, Traditionem ille unus non facit.* Addit Carolus Witasse pag. 72. sanctum Leonem scriptorem *esse haud ita accuratum.*

Responsio altera est, quinquaginta dies enumerandos fuisse à secunda die azymorum, si hæc non incidisset in sabbatum; nam si in sabbatum incidisset, ut contigit anno Passionis Domini, erant supputandi à feria prima, id est, à Dominica: quod innuunt Versiones aliquæ supra productæ, quæ Levitici XXIII. 15. habent *post diem festivitatis*, seu, *à crastino cessationis.* Atque hæc responsio tradita ab Eminentissimis viris, Bellarmino, & Baronio, est inter Theologos valde communis; nec multum quatitur testimonio Josephi, utpote quod potest accipi de ordinaria communique ratione temporum, non de peculiari, cum scilicet Paschæ inhæsisset sexta feria. Has duas tantum responsiones censeo probabiles; nam qui reponunt festum Pentecostes continuatum fuisse in septiduum, nec apparere ex Act. 2. 1. de quo die accipiendus sit sanctus Lucas, apertissimè refutantur tum ex Græco textu, in quo *dies* extat singulari numero, ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντεκοστῆς, *inesse completum diem Pentecostes*; tum ex numeri complemento; tum ex *Pentecostes* vocabulo simpliciter posito. Qui etiam excludunt à numero quinquaginta dierum secundum azymorum, viam ineunt commentitiam & insolitam: & demum qui censent in Actibus Apostolorum non commemorari Pentecostem Judaicam, facilè revincuntur ex Act. xx. 16.

10. Quænam præferenda?

Verùm quænam duarum illarum responsionum est præferenda? De priori subscribendum BENEDICTO XIV. *de Festo Pentecostes* num. 496. falsissimam esse; quoniam non est verisimile S. Leonem Magnum, tametsi floruerit quinto sæculo, scripsisse Pentecosten incidisse in Dominicum diem, nisi id pervulgatum fuisset in traditionibus Romanæ Ecclesiæ, quas hac in parte etiam Novatores sequuntur, sicuti demonstrat ex Usserio, & Pearsonio sapientissimus & eruditissimus Pontifex. His addo supposititicias quidem esse Constitutiones Clementis, necnon apocryphum serm. 154. de Tempore; ex Apocryphis tamen scriptis erui traditionem temporum, quibus eadem scripta prodiere: cumque Constitutiones Apostolicæ laudentur ab Eusebio H. E. lib. 3. cap. 25. ab Athanasio in Epistola Festali, & ab Epiphanio H. XLV. num. 5. & H. LXX. num. 10. qui longe præcesserunt S. Leonis ætatem, consequitur hunc non fuisse illius traditionis auctorem primum, sed illam accepisse à majoribus. Quod insuper de Pearsonio & Usserio ait Benedictus, confirmatur ex Scaligero loco paulo supra citato, ex Lightfooto in H. H. ad cap. 2. Act. ex Samuele Basnagio ad an. XXXII. num. 50. ex Joanne Frischmuth præcit. differ. n. 21. qui etiam laudat Bochartum, aliosque Protestantium, hac in re criticis nostris æquiores. Tandem ubinam sententiæ illius venditores legerunt Spiritum sanctum in die sabbati descendisse? Est tamen in hac sententia aliquid veri paulo post detegendum.

Altera responsio supra à nobis probabilis dicta est, ac talis censetur eo loci à BENEDICTO XIV. num. 503. Opponunt quidem adversarii testimonia Rabbinorum asserentium manipulum primitiarum demessum die quoque sabbati: sed hæc traditio universalis non est. Permulti enim Hebræorum ea verba Levit. XXIII. *ab altero die sabbati*, non accipiunt pro die consequente Pascha, sed consequente ordinarium sabbatum. Diximus non adversari hanc interpretationem Hebraico textui habenti, ממחרת השבת, *A crastino cessationis.* Legit & Chaldæus, *Post diem festivitatis;* atque in nonnullis exemplaribus Græcis scriptum est, ἀπὸ τῆς ἐπαύριον τῆς πρώτης τῶν σαββάτων, *à die postriduano primæ diei sabbatorum.* Nonnullos autem Hebræorum huic sententiæ adhærere, constat, inquit Witasius, ex libro *Menachot*, ex Maimonide in Tamidin cap. 7. Seldeno de Anno Civili, & Calendario Judæorum, & Lightfooto ad cap. 2. Act. Apostolicorum. Defendi ergo potest, Pentecostem Judaicam anno Passionis Christi in diem incidisse Dominicum, eodemque die illapsum Spiritum Paraclitum in Apostolos.

11. Opinio auctoris.

Sententiâ meâ est in utraque responsione aliquid veri, & aliquid falsi. Verum est quod tenet prima, Judaicam Pentecostem anno illo incidisse in sabbatum, & falsum est in sabbato descendisse

disse Spiritum Domini: & verum est, quod tenet secunda, Spiritum sanctum descendisse die Dominico, falsum autem descendisse in festo Pentecostes Judaicæ; quod cum breviter explicavero, solutum erit argumentum, & vindicata simul Romanæ Ecclesiæ, de die adventus Spiritus sancti, Traditio. Ac primum de die Judaicæ Pentecostes constat ex dictis superiori cap. prop. 5. ubi diximus sabbato non fuisse vetitam manipuli messionem. Confirmatur ex Josepho, qui asserit demessum manipulum die XVI. Nisan, nullo temporum producto discrimine. Idem patet ex Græcis versionibus nuper laudatis: quarum planior sensus est, *A postridie primi festi, id est Paschatis;* non à postridie festi secundi, hoc est, sabbati; non enim inquiunt, *A die postriduano sabbatorum*, sed, *die postriduano primæ diei sabbatorum.* Sequitur omnino idem ex doctrina eorum, ad quos pag. 74. Witassius provocat; nam in *Menachot* fol. 65. opinio eorum, qui censebant manipulum non esse metendum sabbato, tribuitur quibusdam *Baithusæis* (Sadducæis scilicet) & consensu Doctorum omnium decernitur metendum esse. Vide Biblioth. Rabbinicam tom. 2. pag. 762. Maimonides in libro, quem inscripsit, באר מוֹשׁי *Porta Moysis*, pag. 264. edit. Oxoniæ docet oblationes cœtus nunquam differendas esse, & sequenti pagina ait diem agitationis manipuli fixum & invariabilem esse *diem Azymorum secundum.* Idem pag. 278. se auctorem dicit Tractatus *Menachot*, in quo refellitur, ut dixi, opinio *Baithusæorum.* Joannes Lightfootus in Act. Ap. pag. 692. edit. Roterodami citato libro *Menachot* concludit, *Hoc igitur anno, in quo jam versamur, illo scilicet, quo Christus ascendit, & Spiritus sanctus descendit, oblatio manipuli erat sabbato:* quod etiam probat ex Rab. Ismaele, aliisque in *Ministerio Templi* cap. XIV. sect. 2. pag. 742. Seldenus denique citato libro cap. 7. pag. edit. Londini 31. concludit receptissimâ apud Hebræos Glossâ ad Levit XXIII. 11. ממחרת שבת ממחרת יום טוב הראשון של פסח: *A crastino sabbati, id est, à crastino diei festi primi Paschatis.* Quæ si dictis supra addantur; videtur nobis probabilius Pentecostem Judaicam incidisse anno, de quo loquimur, in diem sabbati; quamvis sententia opposita non sit præsidio penitus destituta. Nec multum habent roboris Versiones, quæ Hebraica verba reddiderunt, *A crastino cessationis,* sive, *diei festi;* quoniam *sabbatum*, quo vocabulo significatur *cessatio*, aut requies, usurpatur apud Hebræos ad significandum quodcunque festum: & revera τὸ *A crastino sabbati* nihil aliud demonstrat, nisi septem hebdomadas computationem suam incipere à die, quo elevabatur manipulus, id est, *à die secunda azymorum, & decima sexta mensis Nisan*, ut inquit prælaudatus Maimonides in Tract. *Tamidin*, & *Mosaphin* cap. 7. יום שני של פסח, שהוא יום ששה עשר בניסן: *secunda die Paschatis, quæ est sexta decima mensis Nisan.* Vide Josephum de Voisin lib. de lege divina cap. 44. pag. 622. edit. Parisiensis.

12. Die Dominica est in Apostolos illapsus S. Spiritus.

At Spiritum sanctum in Apostolos illapsum die Dominica, sive postridiano Pentecostes Judaicæ, infero primùm ex Traditione, quam supra vindicavi adversus recentiores Criticos: neque enim aut Scriptor Constitutionum, aut Auctor sermonis 154. inter Augustinianos de Tempore, aut S. Leo serm. 1. & 3. de Pentecoste asseruerunt advenisse Spiritum Paracletum quinquagesima die ab elevatione manipuli, sed quinquagesima die *à resurrectione Domini:* quod verissimum esse profitemur. Deinde verba Actorum II. 1. *Et cum complerentur dies Pentecostes*, denotant diem primum Pentecostes tunc fuisse completum: reddunt quippè hunc sensum Græca verba: Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι ἡμέραν τῆς πεντεκοστῆς, *in esse completum diem Pentecostes:* quod tam bene dicitur ubi præsens advenisse monstratur, quàm ubi præteritum præterlapsum est; sicut apud Lucam IX. 51. similis phrasis significat tempus non nimis remotum à termino, & Gen. XXV. 24. tempus perfectum jam, & completum. Hoc autem designari Act. 2. agnoverunt Syrus, & Arabs interpretes, qui tom. V. Polyglot. pag. 52. reddidere, *Cum igitur impletus esset dies Pentecostes.* Adhæc Christus in adimplendis figuris antiqui testamenti, ut ostenderet transitum de umbra ad veritatem, quod præfigurabatur typo, complevit in die sequenti. Ita agnus mactabatur die XIV. & Christus immolatus est die XV. ac manipulus ἀπαρχῆς, *primitiarum*, offerebatur die XVI. & Dominus factus in resurrectione, ut ait Apost. 1. ad Corinth. XV. 20. ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, *primitiæ dormientium*, resurrexit die XVI. Nisan. Sabbatum quoque Christianum non fuit institutum sabbato Judaico, sed die Dominico. Quid ergo mirum, si consecrare

secrare voluit adventus Spiritus sui, non Pentecostem Judaicam, sed diem insequentem, qui deinceps futurus erat Pentecoste Christianorum? Postremò, quando descendit Spiritus sanctus, non erant Apostoli in templo, sicuti fortassis erant cum Judæorum cœtu transacta die, horis præsertim matutinis jugi sacrificio destinatis; sed omnes pariter sedebant domi, celebrantes diem prius resurrectione Domini, & tunc adventu Spiritus sancti consecratam; quorum nos exemplo atque instituto Pascha, & Pentecosten colimus, alia die à Paschate, & à Pentecoste Judæorum.

CAPUT III.

Demonstratur Dominum Jesum in suprema cœna observasse præcipuas *legalis* Paschatis ceremonias.

SUMMARIUM.

1. Eadem die Christus Pascha celebravit, qua Eucharistiam instituit.
2. Quinam convenerant ad comedendum Pascha?
3. & 4. Quomodo fuerit Pascha peractum?
5. Pro sententia Augustini meliùs percipienda ponuntur quædam notanda.
6. Variæ ex mox dictis sequelæ notatu dignissimæ.
7. De fine cœnæ Paschalis.

1. Eadem die Pascha Christus celebravit, qua Eucharistiam instituit.

QUæ nuper diximus de abrogatione ac translatione festorum Judaicorum, ostenduut quàm inepte ratiocinentur, qui ex conditione typi inferunt eadem die mactatum mysticum agnum, & Dominum crucifixum. Sanè id sentientes refutantur ex quo Dominus in veterum impletione signorum non semel statutum diem transmutarit in proximum; si tamen ad diversam diem pertinere dicenda sunt institutio Eucharistiæ, & crucis cruentum sacrificium: quorum utrumque evenit intra limites ejusdem legalis festi. Cum etiam in agno typico cœna subsequeretur immolationem: Christus postridie passurus immolationi præmisit cœnam, si immolatio accipiatur, non pro fractione panis, quem vertit in corpus suum, sed pro morte corporis sui, quod suspenderunt in ligno. Quod si asseramus mactationem agni utrumque præsignasse, sacrificium scilicet crucis, & Eucharistiam, ut q. 74. art. 6. demonstrat S. Thomas; non solum in die *legali*, verum etiam in *naturali*, figuræ antiquæ respondere invenietur antitypus. Indubitatum est ergo ea in nocte, qua Eucharistiam instituit, Dominum Jesum celebrasse commune Pascha: atque id confirmat observatio rituum Judaicorum, de quibus in præsentia breviter sum dicturus.

2. Quinam convenerant ad Pascha comedendum?

Principio ad comedendum Pascha conveniebat cum familia rector domus ac senior, assumens vicinos, si non potuissent sufficere domestici sui, *ad esum agni*, Exodi XII. 4. Numerus *Paschalium*, ut dicebantur, *Societatum* ex Josepho lib. VI. de bello cap. 9. constabat saltem convivis denis: instituebatur convivium nocte, & nemo Pascha manducabat, priusquam tenebræ obducerentur, ex eodem cap. Exodi versu 8. concordibusque Rabbinorum traditionibus in Thalmud, *de Pesach*, perek. 10. Sternebantur quoque lecti, parabatur cœnaculum, coquebantur cibi; ut postulabat Paschale convivium, & imminens solemnitas azymorum. Hæc omnia in suprema cœna servasse Dominum, narrant Matth. XXVI. Marcus XIV. & Lucas XXII. Discipuli paraverunt Pascha, invenerunt cœnaculum stratum, Jesus una cum duodecim discubuit, cœnavitque facto jam vespere.

3. Quomodo fuerit Pascha peractum?

Hoc deinde interceßit discrimen inter Pascha primum Aegyptiacum, & alia posteriorum temporum peracta Jerosolymis; quod illud celebrarunt Judæi stantes, calceati, accincti renibus, & ad iter habendum parati, utpote *ex domo servitutis* profecturi; sed, ut scribit Aben-Ezrae in cap. 12. Exodi, cui consentiunt Rab. Salomon in *Pesach* perek 10. *Misnah*, omnesque Commentarii, aut Rituales libri Rabbinici, reliqua Paschata edebantur à Judæis jacentibus & decumbentibus, quasi *in signum dominii & libertatis*. Dominus pariter discubuisse legitur, Matth. XXVI. 20. cumque Joannes recubuerit in ejus gremio, atque ad pectus, Joan. XIII. 25. & XXI. 20. necessum est, ut Jesus mensæ incubuerit capite per cubitum sinistrum

strum sussulto, & facie ac pectore ad latus obversis, & Joannes discumbens eodem corporis statu habuerit dorsum prope gremium & pectus Domini. Atque eo ferme pacto discumbebant Societates Paschales, dictæ propterea Hebraicè מסבים *Messabim*, quasi *prope, & circum accumbentes*. Ex consimili discumbendi ratione, in toris nempe, lectulisque mensalibus, percipimus quomodo mulier, quæ fuerat peccatrix, Lucæ VII. 38. staret in domo Pharisæi *retro secus pedes* Domini, & commode posset pedes ipsos rigare lacrymis, tergere capillis, & osculari; necnon Mat. XXVI. 7. & Marci XIV. 3 fracto alabastro unguentum effunderet *super caput recumbentis*.

4. De eo, qui Pascha celebravit.

Inter cœnandum paterfamilias gratias agens benedicebat azymum panem, & illum cæteris distribuebat: ita refert Rab. Maimonides in *Hhamets umats*, aliique apud Lightfootum in *Minist. templi Jerosolym.* Et cum in Paschali cœna plures adessent calices; unus quidem distribuebatur eodem pacto cum gratiarum actione, sed alter, inquit eo loci Maimonides, distribuebatur post cœnam, & nisi admiscuissent aquam, existimabatur aliquid omissum in recta hujus ceremoniæ observatione: quod præcitatus Lightfootus in H. Hebraicis ad cap. 26. Matth. pag. 380. confirmat ex Talmud Babylonico, & R. Eleazaro, ex Gemaristis, communique Hebræorum traditione. Optime ergo calices distinxit Lucas cap. XXII. 17. & 20. ubi inquit Eucharistiam sub specie vini fuisse institutam post cœnam: *Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens, &c.* Unde apparet inter consecrationem panis, & consecrationem calicis aliquid temporis interfuisse. Hinc putarunt quidam Judam adfuisse utique primæ communioni sub specie panis, non alteri sub specie vini, quoniam Joannes XIII. 30. ait. *Cum ergo accepisset ille buccellam, continuò exivit.* Verùm his non subscribo, quia Lucas citato loco post commemoratam consecrationem calicis narrat Dominum dixisse: *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*; & Marcus XIV 23., de eodem calice, qui consecratus est, scribit: *Et biberunt ex eo omnes.* Quare *buccella intincta*, de qua Joannes XIII. 30. non erat corpus Domini, sed frustulum azymi non consecrati intinctum *embammate*. Recte itaque S. Pater Augustinus, Tract. LXII. in Joannem num. 3. *Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Christi corpus accepit. Intelligendum est enim, quod jam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis, & sanguinis sui, ubi & ipse Judas erat, sicut sanctus Lucas evidentissimè narrat: ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis apertissimè Dominus per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem, fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem.*

5. Pro sententia Augustini magis percipienda pro nuntur quædam notanda.

Atque ut melius Augustini sententia, quam certissimam puto, percipiatur, nota ante excidium Templi Judæos his ritibus instituisse Paschalem cœnam. Strato, ut dixi, cœnaculo, ac duobus vel tribus azymi placentis paratis, quas apponentes mensæ dicebant, זא לחמא עניא *Hic est panis afflictionis*, præter lancem cum carnibus agni assi, parabant patinas cum cibis aliis elixis, & paropsidem, aliud vas escarium, cum חרוסת, *Charoseth*, quod erat embamma, musteum ex pomis, dactylis, astaphidibusque contusis, atque saccharo & condimentis aliis compositum; ac demum lactucas agrestes, quo nomine veniunt quoque intybus, cichoreum, & marrubium. His verò paratis, apponebatur *facto Vespere* agnus assus cum placenta azymi, & cum istis lactucis: tum comesto agno, & *legali* peracta cœna, veniebant patinæ elixarum carnium cum embammate, & paterfamilias gratias agens frangebat placentam, & cuncti epulabantur splendide, vinumque gustabant: ac demum cœna usuali absoluta, surgebant convivæ, abluebant manus, ac post pusillum temporis iterum recumbentes intingebant reliqua placentæ frustula in embammate, quod servabatur ad finem convivii, sive, ut loquuntur Hebræi, ad אפיקומן *aphikomen*, cœnulam, atque comissationem. Hæc literis mandarunt R. Maimonides, R. Eliezer, R. Salomon, Talmudistæ omnes, de quibus Bibliotheca Rabbinica tom. 2. Lightfootus in Minist. Templi, & in Horis Hebraicis, & alii ab his laudati, complures. Hoc fere ordine Dominus Jesus *legali* peracto *Paschate*, atque incœpta usuali cœna, fregit, ac benedixit placentam azymi, adductis jam patinis, & paropside, in quam Judas intingebat manum, Matth. XXVI. 23. & 26. atque ita *cœnantibus* discipulis instituit sacramentum corporis sui. Completa deinde cœna, porrectoque calice cum vino permixto aqua, Eu-

chariſtiam conſecravit ſub ſpecie vini, Lucæ XXII. 20. Surgens poſthac à cœna depoſuit veſtimenta, præcinxit ſe linteo, & lavit pedes diſcipulorum, Joan. XIII. 4. Poſt ablutionem recubuit iterum, ad אפיקומן *aphikomen* ſcilicet, parvamque cœnulam, eodem cap. verſ. 12. ac tunc Judæ porrexit *intinctum panem*, videlicet, non ſacramentum, quod jam omnibus diſtribuerat, ſed fruſtum placentæ intinctum in embammate; & quod ſoli proditori datum legimus ipſomet in capite XIII. verſu 26. Accepta denique hac *buccella*, Judas, progrediente jam nocte, è cœnaculo exivit, ibid. verſu 30.

6. Quædam ex mox dictis conſectaria.

Ex tam plana narratione ſequuntur plura obſervatione digniſſima. Sequitur primò, miram eſſe Joannem inter, ac alios Evangeliſtas harmoniam: cœnam, de qua Joannes XIII. fuiſſe Paſchalem, contra quam ſentit cum aliis perpaucis Lightfootus: pedilavium ſubſecutum ad cœnam Euchariſticam, huic verò adfuiſſe etiam Judam Iſcariotem: immeritò Voſſium Harmoniæ Evangelicæ lib. I. cap. XIV. anteponere ſententiam Hilarii aſſerentis canone XXX. in Matthæum, proditorem non fuiſſe participem divinorum ſacramentorum, ſententiæ Auguſtini docentis de conſenſu Evangeliſtarum lib. III. c. I. & Tract. IV. & LXII. In Joannem, inſtitutam Euchariſtiam peracta Paſchali cœna, & communi incœpta, ſacramentum corporis Chriſti datum Apoſtolis omnibus, ac proditorem interfuiſſe etiam conſecrationi, & communioni calicis. Sequitur ſecundo, *buccellam intinctam* ſoli Judæ porrectam non fuiſſe corpus Domini ſingulis communicatum, tametſi viſum eſt oppoſitum pleriſque veterum; quibus præferendum Auguſtinum rectè monet Calmet in Commentariis ad præcitatum caput XIII. Joannis. Sequitur tertiò, luſiſſe operam Wilhelmum Klebitium, qui diſſert. *de Buccella intincta*, tom. VI. Critic. Sacr. pag. 921. ex quo eadem buccella non fuerit corpus Domini, conatus eſt demonſtrare Judam proditorem fuiſſe divini ſacramenti communione privatum. Sequitur præterea jure, meritoque conſuetudinem porrigendi populis Euchariſtiam intinctam, etſi quibuſdam in locis olim viguerit, nullum habere in Evangelio fundamentum: ut enim legimus cap. *Cum omne*, de Conſecrat. diſt. 2. num. 7. deprompto ex Epiſtola Julii Papæ ad Epiſcopos Aegyptios, ſive potius ex Concilio Bracarenſi IV. an. D. 675. in Evangelio *ſeorſum panis, & ſeorſum calicis commendatio memoratur: nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illo tantum diſcipulo, quem intincta buccella Magiſtri proditorem oſtenderet, non quæ ſacramenti hujus inſtitutionem ſignaret.* Provenit ex eadem conſuetudine, ut aliquando pro infirmis ſervaretur Euchariſtia intincta; quod conſtat ex decretis Burchardi Wormacienſis lib. V. cap. 9. *Ut omnis*; ſed cum illa conſuetudo ex falſa interpretatione *buccellæ intinctæ* ſit derivata, ac ſufficiens ſit communio ſub una ſpecie, adnotatum benè à Gloſſa in præcit. cap. *Cum omne*, & in cap. *Presbyter Euchariſtiam*, ejuſdem diſtinct. 2. num. 93. neceſſum non eſſe, ut pro infirmorum Viatico ſervetur conſecratus *Panis intinctus*. Sequitur tandem ex præmiſſa comparatione Judaicorum rituum cum ſupremæ cœnæ circumſtantiis, turpiſſimè alucinatum Ludovicum Capellum, qui Animadverſ. contra Buxtorfium *de Cœna Domini* putavit verba Conſecrationis, *Hoc eſt Corpus meum*, à Chriſto fuiſſe prolata loco illorum הא לחמא עניא *Hic eſt panis afflictionis*; cum evidentiſſimè appareat ex omnibus libris Ritualibus, quos vocant, הגדה של פסח *Hagadeſcel Paſchatis*, hæc verba fuiſſe præludium, & invitamentum cœnæ, & recitata ante convivium, non in medio, cunctiſque diſcumbentibus; ac multo minus in fine menſæ, ſicut in ſexto de Emendatione temporum libro pervertens ordinem rituum inquit Scaliger. Certum eſt enim Chriſtum verba conſecrationis protuliſſe diſcipulis *cœnantibus*, Matthæi XXVI. 26. *diſcumbentibus*, & *manducantibus*, Marci XIV. 18. 22.

7. De fine cœnæ Paſchalis.

Facta autem cœna recitabant Judæi הלל הגדול *Hallel agadòl*, hymnum magnum. Conſtabat ille Pſalmo 117. *Confitemini Domino quoniam bonus*, cui permulti addebant præcedentes 112. 113. 114. 115. & 116. qui omnes inſcribuntur *Alleluja*, id eſt, *Laudate Deum*: quidam verò, ut ajunt Rab. Juda, & Rab. Bar-Jacob, incipientes à Pſalmo 117. proſequebantur uſque ad Pſalmum 137. Hinc prodiere diverſæ de hoc hymno opiniones interpretum: ſed omnium conſenſu præcipuè conſtabat ex præcitato Pſalmo 117. *Confitemini*; unde Eccleſia frequentiſſimè in Paſchate intonat *Alleluja*, & verſum ejuſdem Pſalmi 24. *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, &c.* Arbitramur propterea

propterea eundem psalmum esse hymnum, de quo Matth. xxvi. 30. *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.* Hymnus enim, qui incipit, *Solvere volo, & solvi volo*, de quo S. Pater Augustinus in Epistola 253. nunc 237. ad Ceretium, fuit Priscillianistarum putidissimum, ineptissimumque figmentum. Atque his adnotationibus nostris confirmantur quæ diximus de Christi postremo Paschate, recensentur antiqui Hebræorum ritus, explicatur Evangelica historia, & quæstiones permultæ alioqui subdifficiles, certa, ni fallimur, brevi, atque plana methodo resolvuntur.

CAPUT IV.

Disseritur de materia Eucharistiæ, ac primum de Azymo, & Fermentato.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Christus consecravit in azymo.
3. 4. 5. & 6. Afferuntur, & solvuntur objectiones.
7. Usus azymi in Romana Ecclesia perpetuò viguit.
8. Probatur sex validis argumentis.
9. & 10. Satisfit objectionibus.
11. Fermentum ad Ecclesias olim directum, erat Eucharistia pane azymo consecrata.
12. Ecclesia latina nunquam consecravit in fermento.
13. Panes azymi ex ritu Ecclesiæ debent figurâ esse rotundi.
14. Item exiles, & tenues.
15. & 16. In Ecclesia græca usus fermentati videtur invaluisse ante schisma photianum.
17. & 18. Validè conficitur Eucharistia tam in pane azymo, quàm in fermentato.

1. Status quæstionis.

PLURA in hoc capite circa materiam Eucharistiæ investigabimus. Ac primum, an Dominus sacramentum istud instituerit in azymo, quod licèt magna animorum contentione Latinos inter Græcosque disceptetur, ex dictis tamen facili consecutione deducitur: alterum, an in Ecclesia Romana perpetuus fuerit azymi usus: tertium, num Fermentum, quod olim deferebatur ad Titulos in Urbe Roma, fuerit Eucharistia: quartum, an congrua sit *Hostiarum* nostrarum quan itas & figura: quintum, an Græci prioribus sæculis consecrarint azymum panem, vel fermentatum; sextum denique, an uterque panis apta sit sacrosanctæ Eucharistiæ materia. Ad priorem ergo quæstionem deveniamus.

2. Christus consecravit in azymo.

PROP. I. Christus Dominus sacramentum corporis sui consecravit in azymo.

Hactenus enim demonstratum est Christum Dominum celebrasse postremam cœnam exeunte quartadecima die mensis Nisan, ac die prima azymorum, quando è Judæorum domibus sublatum erat fermentum, & aderant tantum mensis appositæ azymi panis placentæ. At Christus in ea cœna, atque in pane ibidem appositio instituit Eucharistiæ sacramentum. Instituit illud igitur in placentis panis azymi. Utuntur hoc argumento Theologi omnes, & sanctus Leo Papa IX. epistola ad Michaelem Constantinopolitanum Archiepiscopum, scripta anno 1054. ubi ait: *Qui non venerat solvere legem, sed adimplere, juxta ipsius legis præceptum, & azymis & vino vetus Pascha adimplevit, & protinus ex azymis & vino novum, sicut aperte Lucas narrat, discipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Israel, & apud quemcunque inveniebatur, peribat anima ejus de populo suo. Quod si in cœna Domini Jesu apparuisset, aut ipse, seu discipuli ejus, quoquo modo gustassent, justè sicut prævaricatores legis perirent, nec ipse Dominus diceret sui insidiatoribus, Quis ex vobis arguet me de peccato? Nec opus esset falsos testes ad perdendum eum quærere, cum hoc solo perderetur justè.* Extat hæc Epistola tom. ix. Concil. pag. 978. & apud Baronium ad annum præcit. num. xiii. Atque hæc sancti Leonis verba comprimunt quoque insaniam aliorum Græcorum, qui cum fateantur adversus reliquos gentis suæ Christum Pascha manducasse die præstituto, ajunt tamen *potuisse subito undecunque exhibere fermentum, aut certè ipsum azymum benedicendo fermentare*, ut narrat Cardinalis Humbertus Episcopus Sylvæ Candidæ apud eundem Baronium in Appendice tom. xi. ubi idem Leonis argumentum ornatissime exponitur. II. Verum, etiamsi detur, Christum, ut multi ex Græcis contendunt, aut causa proximæ mortis, aut quacunque alia præveniisse legitimum Paschæ

tempus ; adhibuisse tamen in ejus celebritate panes azymos , sicut creditur observasse quidquid in lege præscribitur, agni videlicet immolationem & esum, necnon lactucas agrestes , & cætera, quæ opportunè ab Apostolis fuerant præparata : quod adversus Græcos scitè animadvertit in dist. VIII. libri IV. §. 8. Duacensis Academiæ doctissimus Cancellarius Guilelmus Estius.

3. Oppugnatur assertio.

At præter argumenta, quæ ex Evangelica petuntur historia , & quibus capite 2. cumulatissimè satisfecimus, alia sunt leviora , & propria hujus loci, quæ brevissimè sunt perstringenda. Erit primum , quod opponit apud Arcudium lib. III. Concordiæ pag. 147. in suo Nomocanone Matthæus Blastarius, violare legem eos , qui mysticum sacrificium conficiunt in azymis ; cum Dominus abstulerit quodlibet Judaicum festum, ac Patres contraria eorum legibus ritibusque statuerint. Addunt in hujus argumenti confirmationem Leo Archiepiscopus Bulgariæ , epist. 1. & 3. de Azymis , & Macarius Ancyranus apud Allatium , lib. III. cap. 14. de Ecclesiæ Occident. & Orient. perpetua consensione, quemadmodum neque circumcidimur , neque sabbata observamus, neque una cum Judæis celebramus solemnitates, neque quidquam aliud ex iis, quæ legis sunt, operamur ; hunc in modum necessario non per azyma, sed per panes fermentatos mysticum sacrificium à nobis esse conficiendum. Alterum verò argumentum est Michaelis Cerularii, qui anno 1054. plures adversus Romanam Ecclesiam calumnias evomuit, inter quas princeps est hæc de usu azymi : damnatque illum acerbissimè, quoniam ubi legimus in Evangelio Dominum Jesum supremæ cœnæ accumbentem accepisse panem , extat in Græco , λαβὼν ὁ ἰησοῦς τὸν ἄρτον , Mat. XXVI. 26. Interpretatur autem ἄρτος sursum elevatus, quod fit vi fermenti ac salis. Nec azymus verè dicitur *panis*, cum nihil distet à lapide , lutumque aridum videatur. Tertium ejusdem Michaelis argumentum est , Christum esse sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*, Ps. CIX. 4. & Ap. ad Hebr. VII. 11. At Melchisedech ante Moysen , & Abraham, universorum Dominum agnoscens obtulit panem & vinum , antequam lex lutulenta constituerat azymum Judæis custodiendum. Ipse præterea azymus neque commemorationem habet Dominicam, neque mortem annuntiat, & ante complures annos maledictum & derelictum est per sanctum Christi Evangelium. Quartum argumentum urget apud eximium Lupum in dissertat. de S. Leonis IX. Actis Nicetas Pectoratus , opponens neque sanctum Agathonem Pontificem, neque beatum Gregorium Agrigentinorum Episcopum obstitisse , dum undecimo Trullano canone id statueretur : *Nemo eorum , qui in Sacerdotali ordine numerantur , vel laicus , Judæorum azyma comedat.* Atque hoc canone Theodorus Balsamon contendit vetitum duntaxat, ne sacrificium fiat in azymis, quoniam & Græci diversimode *azyma* comedunt, quæ dicuntur λειπαναβάζα.

4. Respondetur ad 1mam objectionem.

Resp. ad 1. Cardinalis Humbertus, minimè nos judaizare dum sacrificamus in azymis , cum in multis alieni simus à carnali Judæorum observatione : neque enim à finibus , & domibus nostris aliquo dierum intervallo fermentum abjicimus ; nec septem dies azymorum aliter ac reliquos totius anni observamus ; nec perit de cœtu nostro anima illius, qui fermentum comederit ; nec à decima die mensis primi usque ad XIV. servamus agnum masculum & anniculum, quem voremus cum azymis ; nec ipsum agnum immolamus ad vesperam ; nec signamus postes cruore illius, nec vescimur lactucis agrestibus. Addit potius Græcos ipsos judaizare , qui semper in sabbato solvunt jejunium, & epulantur, aut potius imitari sectam Nazarænorum, cum Judæis sabbatum, & nobiscum Dominicum diem observantes : quod tamen à viro præstantissimo dictum fuit, ut accusationem accusatione retunderet. Respondet præterea S. Anselmus in Rescripto ad Naumburgensem Episcopum Walerannum cap. 3. *Quod Græci ajunt nos judaizare , non est verum : quia non sacrificamus de azymo, ut legem veterem servemus , sed ut hoc diligentius fiat , & Dominum qui hoc non judaizando fecit , imitemur. Cum enim facimus aliquid , quod Judæi , ut Judaismum servarent , faciebant , non judaizamus , quia non propter judaismum, sed propter aliam causam hoc facimus : si enim in diebus Paschæ azymum panem aliquis comedat , sive quia non habet alium , sive quia illo magis delectatur , quam fermentato ; aut si quis propter infirmitatem præputium circumcidere cogitur , aut si bovi suo quis trituranti , ne esuriat , os non obturat , nullus nisi insipiens hæc agentem judaizare judicabit. Cum ergo nos panem azymum sacrificamus , ut per azymi figuram talem Dominum Jesum fuisse significemus , vel ut ipsum panem in corpus ejus , divina operante virtute , sicut ipse fecit sanctificemus ,*

mus, nequaquam in hoc legis vetustatem servamus, sed Evangelii veritatem celebramus. Plura addit Arcudius lib. III. Concordiæ cap. 6. cap. 148. ex Græcorum moribus petita, & ad eos revincendos aptissima, puta quod & Græci aqua utantur in baptismate, etiamsi illam Judæi in purificationibus suis adhibuerint, quod Judæorum more teneant ante Sanctuarium velum oppansum, & consecrent apponantque fermentatum panem, quo Judæos in pluribus sacrificiis usos fuisse scriptura testatur; nec tamen his credant à se legalia servari. Allatius denique ubi plura ex ipso Arcudio produxit pag. 1166. hoc argumentum in Græcos cavillatores intorquet: *Quia Judæi sabbata servant, qui servat sabbata Judæum agit; ergo qui suffocata non manducat, Judæum agit, cum Judæi ex lege prohibeantur illa comedere: sed Græci suffocata non edunt; ergo judaizant. Extricent se, si poterunt.*

5. Respondetur ad 2dam.

Alterum argumentum recte dicitur ab Estio citata d. st. §. 8. *commentum absurdum*, ac plenissime à Cardinali Humberto diluitur. Enimvero etiam manna, quod erat album, minutum sicut semen coriandri, & quasi pilo tusum, gustusque ejus quasi similæ cum melle, auctoritate divina ἄρτος dicitur, in Psalmo LXXVII. 24. 25. ἄρτον οὐρανὸν ἔδωκεν αὐτοῖς, ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος, *Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo;* in Exodo cap. XVI. 15. οὗτος ἐστιν ὁ ἄρτος, ὃν ἔδωκεν ὑμῖν κύριος, *Hic est panis, quem dedit vobis Dominus;* & Joannis VI. 31. ἄρτον ἐκ οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς φαγεῖν, *Panem de cœlo dedit eis manducare.* Subcinericios quoque panes, quos apud Abraham & Loth dicuntur Angeli comedisse, Gen. XVIII. 6. & XIX. 3. scriptura appellat ἄρτους ἐγκρυφίας, *panes subcinericios*; nec non panes propositionis, quos ex Levit. II. 5. constat fuisse *absque fermento*, Exodi XXV. 30. & Matth. XII. 4. ἄρτους προθέσεως. Insuper cum Dominus non Græcè loqueretur, sed Syriacè, aut Hebraicè, non τὸν ἄρτον accepisse dicendus est, sed לֶחֶם, *lechem*, quo vocabulo Hebræi tam communem panem significant, quam in locis nuper laudatis manna, subcinericias placentulas, ac panes propositionis. Quid plura? ipsum *azymum* Moyses vocavit Deut. XVI. 3. ἄρτον ταπεινώσεως, sive Hebraicè, לֶחֶם עֹנִי *lechem honi*, *panem afflictionis*; Græcusque Athenæus in tertio Dipnosophistarum de variis panum generibus differens ἄρτους singulos nominavit: *paximatia* denique veterum Monachorum, quæ pinsebantur semel tantum in anno, & erant panes azymi, ἄρτοι, seu panes appellant Athanasius in Vita Antonii, Cassianus in Collatione secunda, quinta, & decima, & in Vita Pauli simplicis Palladius. Vide Christ. Lupum præcit. dissert. pag. primæ edit. 683.

In tertio argumento nequaquam immorabimur; nam cur Dominus dicatur *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, explicavimus lib. XXVII. cap. 7. nec nobis Græci facilè demonstrabunt, cujus generis panes Melchisedechus obtulerit. Quartum autem urgens Pectoratus suam maximam & historiæ & dogmatum manifestam facit ignorantiam. Neque enim aut Agatho Romanus Pontifex, aut Gregorius Episcopus Agrigentinus interfuit Trullanæ Synodo; neque in ea improbatus est usus azymi in sacrificio: imò, cum varii Armeniorum ritus damnati fuerint in ea Synodo, nihil actum est de azymo, in quo & Armenii sacrificant. Nam Quinisextum, sive Trullanum Concilium celebratum est an. 692. sedente Romano Pontifice Sergio Primo; neque aliud prohibuit, quam ritus, & familiarem cum Judæis convictum, ab illis azyma accipere, cum eis comedere, ad se illos in morbis accersere, medicamenta ab ipsis excipere, simulque in balneis lavari: est, ut verbo dicam, innovatio canonis inter Apostolicos LXX. quem tamen non esse Apostolicum, rectè ex hac ipsa prohibitione demonstrat Petrus Arcudius lib. III. Concordiæ cap. 6. pag. 147.

6. Respondetur ad 3tiam.

Propositio II. Viguit in Romana Ecclesia ab Apostolorum ætate ad hanc usque perpetuus azymi usus.

7. Usus azymi in Romana Ecclesia perpetuus.

Scimus oppositum docere viros eruditione & sapientia conspicuos: inter quos omnes fere Scolastici in IV. sentent. asserunt utramque Ecclesiam Latinam & Græcam initio adhibuisse azymum panem, sed exorta hæresi Ebionitarum, qui simul cum Evangelio custodiebant Legalia, ad hujus hæreseos detestationem in sacris mysteriis prælegisse fermentum: cui sententiæ adhærere videntur præstantissimi viri, qui cum Jacobo Sirmondo in dissert. *de Azymo* tenent per octingentos saltem annos consecratam Eucharistiam ex communibus fidelium oblationibus, panibusque fermentatis, nec azymum fuisse receptum ante tempora schismatis Photiani, adeo, ut Michael Cerularius renuntiatus Patriarcha Constantinopolitanus an. 1043. post

post decem, vel undecim annos, id est an. 1054. sedente sancto Leone IX. de receptis azymis Latinam Ecclesiam accusaverit. Doctissimus etiam Cardinalis Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. docet ad sæculum usque decimum Latinos promiscuè fermentatum, & azymum adhibuisse, deinceps verò obtinuisse ritum azymi; cum Græci à priscis sæculis solo fermentato usi fuerint. Sed viris aliis præclarissimis pugnantibus pro antiquo usu azymi apud Latinos, adhærendum esse arbitramur. Sunt hi Franciscus Macedo in disquisitione *de Ritu Azymi*, Joannes Cabassutius in *Notitia Eccl.* sæc. 2. dissert. 12. oannes Mabillon in ea, quam inscripsit *de azymo, & fermentato* cap. 7. & sequentibus, Christianus Lupus in diss. *de S. Leonis IX. actis*, cap. 7. Joannes Ciampinus in Conjecturis *de perpetuo azymorum usu in Ecclesia Latina*, aliique ab eodem laudati.

8. Probatur 1. Trahunt autem me in hanc sententiam hæc argumenta. I. Consuetudinis, cujus certò non possumus demonstrare principium, præsertim si divinitus institutam esse noverimus, arcessere initia debemus ab ipsamet institutione. Quod verò universalis apud Latinos consuetudo consecrandi *azymum* nata sit post schisma Photianum, nulla certa argumenta demonstrant, & alia ex parte certum est Dominum Jesum azymum consecrasse. Ab hac ergo Dominica institutione universalis illa consuetudo Latinorum est repetenda. Hinc Græcis novitatem objicientibus respondit S. Leo IX. Epist. 1. cap. 5. *Ecce jam post mille ac ferme viginti à Passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria Passionis sit recolenda:* & Cardinalis Humbertus, *Vestra duplicitas suo fermento contenta Romanæ & Latinæ simplicitati azymum extorquere nequit*; & infra, *Prima scilicet Ecclesia ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit.* Ac sanctus Gregorius VII. epistola 1. lib. VII. hortatur Armenios *azymum* nobiscum consecrantes, ut de *temeraria* Græcorum *garrulitate* multum mirentur. Et Innocentius III. de Myst. Missæ lib. IV. cap. 2. inquit: *Ab ipsis ergo beatis Apostolis Petro & Paulo, quos & vivos habuit, & defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit* Romana Ecclesia, *quem hactenus inviolabili cultu servavit.* II. Etsi non apertè, satis tamen indicat usum azymi Tertullianus, dum lib. 2. ad Uxorem cap. 5. illam ad occultam Eucharistiæ sumptionem exhortans ait: *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes; & si sciverit panem, non illum credet esse qui dicitur?* Qui sane locus pertinet ad azymum; nam si maritus vidisset uxorem manducantem panem usualem ante omnem cibum, nil sinistrum fuisset suspicatus. Revincitur ergo Juenin, qui q. 2. art. 4. §., profert hunc Tertulliani librum ad comprobandum usum fermenti. Etiam Epiphanius Hær. 30. de Ebionæis scribit: Μυστήρια δὲ τελεῦσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ ὡς ἐνιαυτὸν δι' ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τῷ μυστηρίῳ δι' ὕδατος μόνου, id est, *Mysteria verò perficiunt ex imitatione Sanctorum qui sunt in Ecclesia quotannis in azymis: alteram autem mysterii partem in aqua solum.* Ex quo testimonio inferunt quidem nonnulli Epiphanium notasse Ebionæos, quod celebrarent in azymis; sed longe melius ratiocinatur doctissimus Mabillonius pag. 127. ad hunc modum: *Epiphanius probare videtur Ebionæos in eo, quod sacrificium offerebant quotannis in azymis ex imitatione Ecclesiæ saltem Latinæ: eos verò hoc tantum nomine arguit isto loco, quod pro aliqua sacrificii parte aquam solam adhiberent. Ergo eo tempore Ecclesia è pane azymo sacrificium conficiebat.* Utitur eodem argumento Franciscus Macedo pag. 24. atque ante istos scripserat Gabriel Vasquez disput. 174. cap. 1. *Constat ex Epiphanio, antiquitus tempore Ebionitarum etiam Ecclesiam Græcam in azymis consecrare consuevisse.* III. Cum antiqui Patres ea quibus constant sacra *mysteria*, singulatim exponerent, nullibi meminerunt *fermenti*, sed farinæ tantum & aquæ, ut tertio sæculo Cyprianus Epist. ad Cæcilium, quarto sæculo Gaudentius Episcopus Brixiensis Tract. 2. de Paschæ observatione, & sæculo quinto S. P. Augustinus serm. 227. & 229. editionis postremæ. Etsi autem argumentum istud negativum est, nihilominus cum hi Patres farinam commemorent, aquam, consperſionem, massam, & ignem quoque, cujus calore coquitur panis, & harum rerum symbola exponant; inverisimile est *fermentum* silentio fuisse prætermissuros, si & istud in conficiendo pane Eucharistico fuisset adhibitum. IV. Idem evincitur ex forma, & qualitate sacrarum *hostiarum*, quas olim factas ex azymis aperte demonstratur ex illarum exilitate, figura, formaque impressa ferro *characterato*; & quarum vetustas imagines exhibent nobis viri de litteraria Republica optimè meriti, præ-

Probatur 3tiò. Probatur 4tò.

Probatur 2dò.

laudatus Mabillonius cap. 8. Martenius

lib.

lib. 1. de Antiquis Ecclesiæ Ritibus, cap. 3. art. 7. & Harduinus Embolo 2. At de his proxima quarta propositione. V.

Probatur 5tò. Falsissimum est, quod ajunt adversarii, *azymum* post decimum duntaxat sæculum obtinuisse. Primò enim, si id verum foret, nunquam Leo IX. natus eodem sæculo, & circa medium undecimi scribens, neque Humbertus Cardinalis doctissimus ausus esset repetere ab Ecclesiæ primordiis natam ætate sua consuetudinem: unde perperam conantur adversarii horum elevare auctoritatem, quod juniores sint; licèt namque tales dici queant, si conferantur cum temporibus Apostolicis, recentiores tamen non sunt respectu sæculi x. quo contendunt plerique azymum invaluisse. Extant præterea apud D. Thomam 3. p. q. 74. art. 4. hæc Magni Gregorii verba: *Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla comixtione suscepit carnem.* Verùm fatemur, hæc modo inter Gregorii opera non reperiri; quamvis eo loci, & in IV. contra Gentiles, necnon in Opusculo contra errores Græcorum producantur à Divo Thoma, eaque urgeat Gennadius Scholarius, qui floruit tempore Florentini Concilii, in ejusdem Concilii defensione cap. 2. sect. 8. in vetustissima quoque Missa, quam Walafridus Strabo in libro de Rebus Ecclesiasticis cap. 22. scribit à divo Abrosio ordinatam, atque dispositam, ubi exprimuntur oblationes, legitur, *Oblationes panis azymi cum patenis.* Vide Joannem Ciampinum de Azymo & Ferm. cap. 3. pag. 46. In usu denique fuisse azymum ante Photii discidium invictè probant Christianus Lupus tom. 3. pag. 689. & Mabillonius cap. IX. testimoniis Alcuini, & Rabani. Alcuinus enim, qui obiit sæculo IX. ineunte epist. 69. ad Lugdunensem Ecclesiam, *Panis*, inquit, *qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus, & aqua absque omni sorde mundissima, & vinum absque omni commixtione alterius liquoris, nisi aquæ, purgatissimum. Igitur aqua utrique conveniat. Ex aqua & farina panis fit, qui consecratur in corpus Christi.* Et Rabanus, qui è vita migravit biennio ante Photium intrusum, id est, anno 856. lib. 1. de Institut. Clericorum cap. 31. ait: *Panem infermentatum & vinum aqua mixtum in sacramento corporis & sanguinis Christi sanctificari oportet.* Apertissimis itaque testimoniis constat azymos invaluisse ante Photianum dissi-

Probatur 6tò. dium. IV. Postremò, si aliter se res haberet, nec potuissent Leo IX. & Humbertus opponere Michaeli Cerulario antiquissimam Romanæ Ecclesiæ traditionem; imo jure objecissent schismatici, Latinos à veterum more descivisse, se autem sequi exempla majorum: ideoque sententia eorum, qui repetunt à decimo sæculo usum azymi, non tantum est falsa, verum etiam videtur addere follem, atque incitabulum Græcorum garrulitati.

Plura opponuntur ab adversariis, quorum præcipua hæc sunt. I. Conse- 9. Oppugnatur sententia. crabatur olim Eucharistia ex oblationibus populi, & quod supererat, distribuebatur viduis, ac pauperibus. Illæ ergo oblationes erant è panibus usualibus & fermentatis. II. Idem videtur innuere libro 2. ad Uxorem Tertullianus. Epiphanius verò morem consecrandi *azyma* h. 30. adscribit Ebionæis. Ex Dialogis etiam Gregorii Magni colligi consecrationem *Fermenti*, scribunt in Commentario de Sancta commun. Georgius Corcyrensium Metropolita, & in libro de Missa & templo Simeon Thessalonicensium Archiepiscopus. III. Ambrosius lib. IV. de Sacram. cap. 4. num. 14. panem Eucharisticum appellat *panem usitatum*, ideoque confectum fermento. IV. Photius non objecit Latinis, quod azyma consecrarent: eo ergo temporis utraque Ecclesia, Latina & Græca in sacris mysteriis fermentato utebatur. V. Ex Melchiadis denique, Siricii, & Innocentii decretis apparet oblationes consecratas, quæ ad Titulos & Ecclesias deferebantur, dictas fuisse *Fermentum*, certè non ob aliam causam, nisi quod ex pane fermentato fiebant.

Resp. ad 1. evanescere difficultatem 10. Respondetur ad objectiones. omnem, si distinguantur duæ oblationes olim in Missa factæ, una ante Evangelium, in qua offerebantur panis, vinum, & quodcunque aliud in supplementum Sacerdotum, & egenorum; altera lecto jam Evangelio, in qua offerebantur panis & vinum ad consecrationem, & ex qua, si quid supererat, ab Archidiacono tradebatur servandum custodi, ut deserviret privatis aliorum dierum sacrificiis. Primam oblationem fuisse panis fermentati concedimus: alteram fuisse ejusdem panis negamus. Hanc enim oblationem fuisse azymorum colligimus ex antiquissima Missa Ambrosiana, & ex more, qui etiamnum à prima institutione Mediolani servatur, ut viri, & matronæ, quas *Veglones*, & *Vegloniſſas* appellant, instante oblationis tempore, offerant Sacerdoti, cum vasculo vini, sacrificii materiam panes

azymos. Atque id confirmatur ex dicendis infra *de Hostiis*. Videsis tamen Parergon Franciſci Macedo *de Oblatis ad Altare*, pag. 88. Mabillonium cit. diſſert. pag. 119. Martenium libro 1. pag. 309. &c. Secundum verò argumentum nullius momenti eſt; ſiquidem ex Tertulliano, & Epiphanio potius ſententia noſtra confirmatur: & Gregorius nihil ait in Dialogis quod juvet ſententiam oppoſitam; imo plura tradit ſanctus Doctor, quæ noſtram confirmant, Hom. 22. in Evang. num. 8. ubi exponens Euchariſtiæ myſteria ait illum comedere panes ſine fermento, qui eſt *ſine admixtione peccati*, quamvis ibi allegoricum ſenſum tradit, non literalem. Mitto, quæ paulo ſupra dicta ſunt de teſtimonio quodam Gregorii producto à D. Thoma Aquinate, & à Gennadio Scholario. Obſervat præterea eximius Lupus cit. diſſert. cap. 8. Armenios à S. Romana Eccleſia, atque à Magno Gregorio accepiſſe *Azymum*, *Mitram Epiſcopalem*, *& modum ſignandi cruce*, ut ad Haytonem Cœnobitam ſcribit Gregorius Siſenſis Armeniorum Patriarcha. Quod ſequitur tertio loco, facile expeditur, nam Ambroſius appellat azymum ante conſecrationem *panem uſitatum*, quatenus opponitur conſecrato: quo ſenſu etiam Rupertus Abbas Tuitienſis lib. 3. de Spiritus ſancti operibus cap. 21. panem azymum à Domino in ultima cœna conſecratum vocat *panem communem*. Illa inſuper verba, *Tu forte dicis*, *Meus panis eſt uſitatus*, demonſtrant apud Ambroſium admirationem Neophyti primo ſacra myſteria aſpicientis, unde liquido apparet nihil ea facere ad quæſtionem, in qua verſamur, ut adnotarunt Benedictini tom. 2. pag. 367. At Photius, ut ad objectionem IV. veniamus, ideo nullam de azymis litem movit, quoniam id judicavit eſſe diſſimulandum, propterea quod azymum ex facto Chriſti Domini haberet auctoritatem. Ita reſpondet Mabillonius Præfat. 1. in ſæc. III. Bened. num. 74. nam ipſe Photius in Biblioth. cod. 116. ſcripſerat juxta Chryſoſtomum & Eccleſiam univerſam Chriſtum peregiſſe legale Paſcha ſecundum legis præſcriptum, ideoque in azymo conſecraſſe: quod & à nobis obſervatum ſupra cap. 1. prop. 3. Addunt viri eruditi, nec Photium vitio tribuiſſe Latinis tonſuram capitis, unicam aquæ infuſionem in baptiſmo, ritum ac dilationem Confirmationis, & alia plura, in quibus Latini diſcrepant à Græcis: non potuiſſe demum id Photium objectare, qui Epiſtola 64. ſcripſerat ſuſtinendam eſſe abſque reprehenſione in variis Eccleſiis, διαφορὰν, ἢ ἀνομοιότητα ἐν ταῖς μυϛικαῖς θυσίαις, *differentiam ac diſſimilitudinem in myſticis ſacrificiis*. Cæterum, ut ſupra dictum eſt, comprobatur uſus azymi teſtimonio Scriptorum, qui originem Photiani ſchiſmatis præceſſerunt.

II. Fermentum ad Eccleſias olim directum, Euchariſtia pane azymo conſecrata fuit.

Prop. III. *Fermentum*, quod olim ad Titulos, ſeu ad Eccleſias dirigebatur, erat Euchariſtia pane azymo conſecrata.

Ultima objectio præcedentis propoſitionis ſolvi poterat reſpondendo *Fermentum* ad Titulos tranſmiſſum fuiſſe Eulogias, non Euchariſtiam, & conſequenter nihil hinc inferri adverſus azymi antiquum uſum. Id enim de Fermento illo ſenſerunt Baronius ad An. 316. n. 49. Severinus Binius in notis ad Decret. Melchiadis, & ad Epiſtolam Innocentii I. ad Decentium, Franc. Macedo diſquiſ. de Ritu azymi cap. XI. Joannes Cabaſſut. diſſert. 12. ſæculi 2. aliique bene multi: ſed veritati magis conſona eſt ſententia doctiſſimorum virorum, qui *Fermentum* illid interpretantur Euchariſtiam, inter quos Antonius Auguſtinus in Epiſtola ad Latinum Latinium, noſter Lupus cit. diſſert. cap. IX. q. 4. Cardinalis Thomaſius diſ. de hoc argumento, Mabillonius cap. 10. Joannes Ciampinus in Conjecturis de Azymo cap. 7. Scheleſtratius de Diſciplina Arcani art. 5. Bencinus in notis ad Anaſtaſium, & alii, qui de hoc argumento accurate tractarunt; & quorum ſententiam certam, & inconcuſſam arbitratur Not. CXV. in Dominicam Palm. & CCCXXVI. de Sacrif. Miſſæ BENEDICTUS XIV. His accedo, primum quia de Melchiade in libro Pontificali legimus: *Hic fecit*, *ut oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur*, *quod declaratur Fermentum*: quibus verbis apertè innuitur, non quamcumque oblationem ad Eccleſias fuiſſe directam, ſed partem ejus, quam Epiſcopus conſecraverat; quod ex priſtina diſciplina à Melchiade circa annum 312. quo tempore Manichæi in Urbe inventi ſunt, iterum præſcriptum fuit, ut eadem participatione *Sacramenti* plebs Chriſtiana cum presbyteris, atque hi cum Romano Pontifice cuſtodirent fidei unitatem. II. Idem ſtatuit ex eodem libro ſanctus Siricius ad Pontificatum evectus ineunte anno 385. cum rurſus Manichæi latitarent in urbe. *Hic conſtituit*, inquit Anaſtaſius, *ut nullus preſbyter Miſſas celebraret per hebdoma-*

bdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur Fermentum. Quo item in loco non possumus, nisi impropriè & coactè *Consecratum Episcopi* interpretari Eulogias. III. Tertiò non leve depromitur argumentum ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ Acolytho Tarsicio, qui hoc Fermentum ad Titulos deferens sedente Stephano primo, & à paganis inventus, cum nollet eis *Sancta* prodere, subiit gloriosum martyrium, ut legitur in Actis Stephani apud Baronium ad an. 259. & 260. n. 5. Tarsicium verò non portasse Eulogias, sed Eucharistiam constat ex iisdem Actibus, in quibus ista leguntur: *Invenerunt milites paganorum acolythum nomine Tarsicium, Christi corporis sacramenta portantem. Discutientibus quid gereret, ille indignum judicans porcis prodere margaritas, nequaquam voluit detegere sacrosancta mysteria: qui eum tamdiu fustibus & lapidibus mactaverunt, quousque spiritum exhalaret; revolutoque ejus corpore, nihil valuerunt de sacris mysteriis invenire.* Similia leguntur in Romano Martyrologio die XIV. Augusti, eidemque Tarsicio S. Damasus hos versus insculpsit:

Tarsicium sanctum Christi sacramenta ferentem
Cum malesana manus peteret vulgare profanis,
Ipse animam potius voluit dimittere cæsus,
Prodere quàm canibus rabidis cælestia membra.

Vide Acta Sanctorum tom. 3. Augusti pag. 201. In his non habetur quidem quod deferretur ad Titulos *Fermentum*: sed habetur tamen quod deferebatur Eucharistia; ideoque Eucharistia erat *Consecratum Episcopi, quod nominabatur Fermentum*, ac deferebatur ad Titulos. IV. Idem probatur ex Epistola S. Innocentii Primi ad Decentium, cap. 9. ubi hæc scribit: *De Fermento, quod die Dominico per Titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ: quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco Fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione maxime illa die non judicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta: nec nos per cœmeteria constitutis presbyteris destinamus; & presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam.* Quibus sanè verbis videtur mihi non uno ex capite demonstrari quod *Fermentum* istud sit Eucharistia: primum, quia dicitur *Sacramentum* ab Episcopo, & à presbyteris *confectum*: quod utique quid plus notat, quàm benedictionem Eulogiarum. Deinde quia ait Innocentius *non longe portanda Sacramenta*, nimirum ne profanentur, & ne veniant in paganorum manus: quod de simplici Eulogia non adeo cavendum erat. Præterea quia *Fermentum* mittebatur in tesseram communionis presbyterorum cum Romano Pontifice: consuetum autem erat hanc ob rem non Eulogias tantum mittere, sed & Eucharistiam, ut ex secunda (aliàs prima) Apologia Justini, ex Epistola S. Irenæi ad Victorem, & monimentis aliis probat illustris Lupus tom. 3. in Conc. pag 702. & post Lupum Emmanuel à Schelestrate de Disciplina Arcan pag. 137. Mabillon in dissert. de Azymo pag. 133. aliique præstantes viri. V. *Fermentum*, quod sabbato ante Dominicam Palmarum distribuebatur *in Consistorio Lateranensi*, ut habetur in antiquo Kalendario Romano edito à Joanne Frontonio, est Eucharistia transmissa ad Episcopos suburbicarios, ad hoc, ut saltem recurrente Paschate suam cum Romano Pontifice communionem profiterentur, participantes de uno, eodemque mysterio; ut apud Ciampinum de Azymo pag. 214. docet vir pietate, & eruditione clarissimus Cardinalis Joseph Maria Thomasius, cujus doctrinam amplectuntur Ciampinus idem, & præcit. Nota CXV. in Dominicam Palm. summus Ecclesiæ Pastor BENEDICTUS. Idem ergo asserendum est de Fermento ad Ecclesias Constitutione Melchiadis, & Siricii, transmisso. VI. Nequit hæc sententia labefactari, ut quidam putant, canone XIV. Concilii Laodiceni, περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν μετὰ τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα εἰς ἑτέρας παροικίας διαπέμπεσθαι, *Ne sancta instar Eulogiarum in festo Paschæ ad alias Parochias transmittantur.* Imo hoc canone sententia nostra confirmatur, quoniam in illo *Sancta* ab Eulogiis distinguuntur; & decernitur, ne *Fermentum*, sive Eucharistia, quæ *Sanctum Domini* dicitur à Græcis, Latinisque Patribus, ad forenses Ecclesias transmittatur, quemadmodum deferebatur ad Ecclesias constitutas in urbe, sed ad longinquas mittantur duntaxat Eulogiæ, prout etiam Innocentius I. sancivit: quare subscribendum est Christiano Lupo, qui citato Volum. 3. pag. 710. censet Canonem Laodicensem omnino agere de Eucharistia.

12. Ecclesia Latina nunquam consecravit in fermento.

Ex his verò nemo inferet, Ecclesiam Latinam consecrasse olim Fermentatum. *Quid enim*, ut verbis utar Cardinalis Thomasii, *opus erat dicere hujusmodi oblationem à Pontifice consecratam declarari, aut nominari Fermentum; si eam ob causam ita appellaretur, propterea quod fermentata esset?* Præterea inter *Fermentum*, & *Fermentatum* multum est discriminis; ideoque hinc perperam viri, alioqui perspicacissimi, argumenta desumunt aut pro usu Fermentati in Ecclesia Romana, aut pro relegando *Fermento* ad Eulogias. Insuper aptissimum est *Fermenti* nomen ad significandam Eucharistiam, tametsi confectam in azymo; quoniam sicut fermentum farinæ commixtum totam conglutinat, ita Eucharistia unitionis & communionis Ecclesiarum est vinculum, ut scribit Petrus Constant. in Epistolis Rom. Pontif. tom. 1. pag. 859. BENEDICTUS XIV. citato in loco, Lupus pag. 712. & alii multi. Rursus per id temporis, quo scriptus est *Ordo Romanus*, Latina Ecclesia utebatur pane azymo, & nihilominus in illo præscribitur, ut *Fermenti particula* mittatur in calicem ab Episcopo, vel à presbytero, absente summo Pontifice. *Fermentum* itaque illud erat azymum. Tandem inverisimile non est, hoc nomine appellatam Eucharistiam, ut obscuriori vocabulo hoc mysterium profanis occultaretur, quemadmodum arbitrantur præstantissimi viri, Schelstratenus de disciplina arcani art. 5. & Mabillon de Azymo cap. 10. Concludamus ergo, nullum argumentum desumi adversus azymum ex Melchiadis & Siricii decretis, quamquam in iis sit sermo de Eucharistia, eisque vim maximam inesse crediderint cum Eminentissimo Cardinali Bona viri alii clarissimi; atque ante hos omnes supra commemoratos, Nicetas Archiepiscopus Nicomediensis, qui cum Anselmo Episcopo Havelbergensi & Legato Lotharii ad Joannem Comnemum Imperatorem acerrimè in Absida sanctæ Sophiæ disceptavit. Quamobrem ejusdem argumenti nullam rationem habendam esse judicavit Jacobus Sirmondus; cujus capite v. disquisit. de Azymo hæc sunt verba: *Quid hoc tandem ad nos, si Eucharistiam hic constat Fermentum ex eo dictam, non quod ex pane esset fermentato, sed quod ipsa quocunque ex pane fieret, Ecclesiis ad quas mittebatur, fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massæ, cui commiscetur?* Et infra: *Manet igitur quod principio instituerunt, oblationes consecratas in decreto Melchiadis sacram Eucharistiam intelligi, non Eulogias.* Vide tom. v. edit. Regiæ Paris. pag. 526.

13. Ex ritu Ecclesiæ azymi panes debent figura esse rotundi.

Prop. IV. Azymi panes in Eucharistia consecrandi debent esse exiles, & figura rotundi, ex antiqua Ecclesiæ disciplina.

De figura extat testimonium S. Epiphanii, qui in Anchorato num. 57. docens posse panem esse corporis Christi symbolum, etiamsi figuræ sit circularis, ait: τὸ μὲν γὰρ ἐστι στρογγυλειδὲς, scilicet, *Hoc enim est rotundæ formæ*: quem locum frustra cum Novantibus aliis elevat Vossius disput. XIX. th. 2. propterea quod στρογγυλειδὲς notet illud, quod teretis & oblongæ figuræ est, non circularis; utrumque enim significat, cum idem sit apud Græcos, ac στρογγὺς, sive *rotundus*, aut *tortuosus*. At inquiunt, Mirus est hominum stupor adducere pro figura hostiarum Patrem Græcum, cum nihil certius sit, quàm Græcos urgere necessitatem panis fermentati. Verùm primo improbabile non est, ætate Epiphanii etiam Græcorum Ecclesias, aliquas saltem, azymum adhibuisse, ut liquet ex præcit. Epiphanii hær. XXX. Ebionæorum. Deinde falsum est, Græcos nunquam adhibere panes circularis figuræ: scribit enim Gabriel Philadelphiensis in Apolog. pro Eccles. Orient. de pane Eucharistico, *Is panis præfert sigillum figuræ circularis, vel quadrangulæ cum hac inscriptione, Jesus Christus vincit*; ὃς ἐπ' αὐτὸν φερῶν σφραγῖδα χῆμα κυκλὸ, ἢ τετραγώνε ἔχων σὺν τοῖς Ιησοῦς Χριστὸς νίκα γράμμασι. Ubi etiam Philadelphiensis notat in *circulari* figura significari divinitatem, in *quadrangula* autem quatuor mundi partes, quibus Christus salutem attulit. II. Gregorius Magnus lib. IV. Dialog. cap. 55. inquit de quodam presbytero Diœcesis Centumcellensis, *Duas secum oblationum coronas detulit*, ubi Editores Benedictini tom. 2. pag. 467. hanc notulam apposuere, *Videntur fuisse panes rotundi in modum placentæ.* III. Cæsarius frater Nazianzeni Dialogo 3. de fide Catholica num. 169. comparans corpus Christi, dum inter nos degeret, cum eodem in Sacramento, *Illud*, inquit, *est artubus compositum, hoc rotundum*: quod accipiendum est de exteriori specierum panis apparentia. IV. Cum olim sacerdotes sepelirentur cum rebus illis, quibus in peragendo sacro solebant uti, in sepulchro sancti Otmari inventas fuisse *panis rotulas, quæ vulgo oblatæ dicuntur*, narrat in ejus Vita Iso Monachus

nachus apud Cl. Mabillonium Præf. 1. in sæculum III. Benedict. Id vir eximius confirmari ait perantiquis picturis. V. Hostias rotunda & circulari figura repræsentant quoque imagines ex vetustis Codicibus descriptæ, non Latinorum tantum, verum etiam Syrorum, Alexandrinorum, atque Græcorum, ut diximus, licet hi consecrent quoque panes quadratæ figuræ, apud Jacobum Sirmondum disquis. de Azymo cap. 4. & Edmundum Martenium lib. 1. de Antiq. Eccles. ritibus cap. 3. art. 7. Quibus addo Franciscum Alvarez narrantem de Peregrinat. Aethiop. cap. 12. etiam modum, quo apud Aethiopes hostiæ circularis figuræ parantur, & Sollerium exhibentem in Append. ad Patriarch. Alexandr. num. 201. effigiatam hostiam Coptorum Jacobitarum. VI. Hanc eandem hostiarum figuram confirmat revelatio sancti Eldefonsi Archiepiscopi Toletani habita anno 845. de qua paulo infra, Ernulfus Roffensis Episcopus, qui obiit anno 1124. epist. ad Lambertum, aliique permulti, laudati à Sirmondo, Martenio, & Mabillonio citatis in locis, necnon ab Eminentissimo Joanne Bona lib. 1. de rebus Liturg. cap. 23. & à recentiorum compluribus. Honorius demum Augustodunensis in Gemma Animæ cap. 66. & ex eo Durandus in Rationali lib. IV. cap. 41. scribunt hostias *in modum denarii* formandas, tum quia Panis vitæ pro denariis traditus est, tum quia idem denarius in vinea laborantibus præmium erit.

14. Debent esse exiles, & tenues.

Hostias autem exiles tenuesque formandas primum constat ex antiquis picturis nuperrimè commemoratis, ac præsertim ex Revelatione Eldefonsi. Hanc optabat maximè, ut in lucem prodiret, Christianus Lupus pag. 699. idque nos acceptum ferimus Mabillonio, qui eam publici juris fecit cum dissertatione de Azymo an. 1673. Apparet in ea Revelatione, Sacerdotum majores hostias, communicantium minores esse; una ferri impressione formatas hostias quinque, majorem unam, quatuor verò minores, & ex una farinæ libra centum majores hostias confici potuisse. II. Uldaricus in 3. libro Consuetudinum Cluniacensium, cap. 13. scribit in ferramento, quod *characteratum* appellat, simul hostias sex confici, quod earum exilitatis est pariter argumentum. Floruit Uldaricus sæculo undecimo. Eadem ratione oblatas impressas & decoctas ferro, narrat in libro de miraculis sancti Wandregesili Abbatis, cap. 29. Monachus Anonymus, qui sæculo vixit nono: ex quibus simul & panis azymi quantitas, & figura probatur. III. Synodus Toletana XVI. celebrata anno Christi 693. canone 6. adversus quosdam, qui consecrabant rotundam panis crustulam, sic statuit: *Temeritatis hujus, aut nescientiæ cupientes terminum ponere, id unitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat.* Concludamus igitur cum Raymundo in Summa:

Candida, triticea, ac tenuis, non magna, rotunda,
Expers fermenti, non falsa, sit hostia Christi.

15. In Ecclesia Græca ritus fermentati videtur invaluisse ante schisma Photianum.

Prop. V. Licet incertum sit à quo tempore invaluerit apud Græcos fermentati usus, videtur tamen obtinuisse ante exortum schisma Photianum.

Non consentiunt Scriptores circa tempus, quo primum cœperunt Græci in re sacra adhibere panem fermentatum. Nam Innoc. III. lib. IV. de mysteriis Missæ cap. 4. scribit Græcos sacrificii ritum temere mutasse, *postquam tunicam Domini inconsutilem diviserunt*, nec aliter sentit Jacobus Cardinalis de Vitriaco in Historia Occidentalis Eccles. cap. 38. Alex. autem de Ales, S. Thomas, Scotus, aliique veteres Scholastici in IV. sent. necnon Cardinalis Hosius in libro de Expresso Dei verbo, & Estius dist. VIII. §. 8. consent inductum Fermentatum occasione Ebionæorum tam in Græca Ecclesia, quam in Latina; & hæresi illa cessante Latinos ad morem pristinum rediisse, Græcos autem perstitisse in recepta consuetudine: quod utique, quantum ad Latinos spectat, falsum evincitur ex proposit. 2. Gregorius Sisensis Orthodoxus Patriarcha Armeniorum, apud Lupum citata differt. de Actis S. Leonis IX. cap. 10. ait Apostolos interdum azymum, interdum vero fermentatum consecrasse, pro loci, ac temporis opportunitate, atque hinc derivatum utriusque Ecclesiæ discrimen: id verò censet esse probabile idem Lupus Volum. III. pag. 716. Franciscus Macedo, & Gabriel Vasquez ex verbis Epiphanii productis prop. 2. inferunt Græcos ante exortam hæresim Ebionitarum consecrasse azymum, quæ sententia cohæret cum pervulgata Scholasticorum: at potest Epiphanius accipi *de Ecclesia tantum Latina*,

να, ut supra animadvertimus cum Mabillonio, ubi etiam diximus eos decipi, qui ex Epiphanio inferunt antiquum usum fermentati. Demum recentiorum permulti putant Ecclesias omnes Orientales per sex priora sæcula consecrasse *fermentatum*, quod probant ex oblationibus fidelium, & ex Patribus, qui panem Eucharisticum appellant *communem*, & *usitatum*: quæ utique argumenta esse infirmissima constat ex dictis, atque ex eo, quod nonnullæ etiam per Orientem Ecclesiæ à priori institutione consecrent azymum, prout ostendam proximo capite.

16. Probatur propositio. Cum itaque omnes hæ opiniones pugnent invicem, nec ulla certis momentis innixa sit; hoc unum statuo, antiquiorem esse Græcarum Ecclesiarum consuetudinem schismate Photiano. Quod assero primum, quia S. Leo IX. & Cardinalis Humbertus pugnarunt quidem pro vetusta Romanæ Ecclesiæ consuetudine, sed nunquam objecerunt Græcis usurpatum ab ipsis fermentatum panem occasione dissidii paulo ante exorti sub Photio Sedis Constantinopolitanæ invasore: quod objecissent utique opponentibus ex adverso Judaismum, defectionemque ab Apostolicis institutionibus, si hujusce novitatis manifesta habuissent indicia. Imo Humbertus in responsione ad Nicetam innuit anno 680. quo celebrata est sexta Synodus, Græcos alio pane à Latinis usos fuisse, ut dicam postea. Deinde constat Græcos non minus proclives esse ad nova dogmata, quam tenaces in antiquorum rituum observatione; in quibus fere à principio Christianæ Religionis discrepasse ab Ecclesia Latina, tam in controversia de Pascha te, quam περὶ ἄλλων, τινῶν, *in quibusdam aliis rebus*, scribit S. Irenæus apud Eusebium lib. v. Hist. Eccl. cap. 24. pag. edit. Valesii 193. Deinde Datius Mediolanensis in Chronico, cujus tamen ambigua est auctoritas, scribit sanctum Ambrosium in celeberrimis festivitatibus, maxime in Resurrectione Domini, imitatum Græcorum Ecclesiam, *fermeutatum cum nostro azymo benedixisse*: & longe antea Origenes in cap. XVI. Matthæi scripserat aliquando fermentatum προσφέρεται ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, *imponi super altare*; quæ tamen duo loca de oblationibus, & Eulogiis populo distribuendis arbitror esse accipienda. Tandem, quod assertionem nostram certissimam esse commonstrat, Joannes Philoponus Alexandrinus, qui vivebat Constantinopoli anno 535. ut ad eundem annum num. 75. & 76. demonstrat Cardinalis Baronius, nitebatur ostendere in disput. de Paschate, Dominum consecrasse in fermentato, argumentatione petita ex more tunc temporis vigente, scribens, οὐδὲ ἄζυμον ἄρτον ἀντίτυπον τοῦ ἰδίου σώματος τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς ἔδωκεν ὁ χριστός. ἐγίνετο γὰρ ἂν καὶ μέχρι νῦν: *Neque azymum panem antitypum proprii corporis discipulis suis dedit Christus; fieret enim id etiam nunc.* Saltem ergo in Ecclesia Constantinopolitana, & Alexandrina vigebat usus *Fermentati* sexto vertente sæculo. Adeas Mabillonium dissert. de Azymo cap. 3. pag. 41.

17. Probatur, quòd validè conficiatur in azymo. Propos. VI. Valide tam in azymo pane, quam in fermentato conficitur Eucharistia.

Demonstratur prima pars ex hactenus disputatis; primum, quia Christus Dominus revera consecravit in azymo: deinde, quia Ecclesia Latina semper ab Apostolorum ætate azymi usum retinuit: ulterius, quoniam panis azymus revera est ἄρτος, *panis*, & conspersio farinæ & aquæ, ut loquuntur Ecclesiæ Patres, & nos supra ostendimus adversus Græcos: insuper, quia nunquam Græci ante Michaelem Cerularium hac de re Latinam Ecclesiam accusarunt, imo Photius auctor schismatis, & fœdifragorum antesignanus ac ductor, epist. 64. hujusmodi differentiam minimè reprobat in mysticis sacrificiis.

18. Validè etiam in fermentato. Altera pars probatur I. ex hac definitione Florentini Concilii in literis unionis: *Definimus in azymo, sive in fermentato pane triticeo Christi corpus veraciter confici.* II. Nec Leo IX. nec Humbertus Sanctæ R. E. Cardinalis, neque Latinorum aliquis sacrificia Græcorum unquam repudiavit, quia è fermentato pane conficiuntur, sed veritate, & charitate falsas Græcorum calumnias, causasque dissidiorum prætextas vicerunt. II. S. Gregorii VII. epist. 1. libri VIII. hæc sunt verba, Latinorum omnium consensione animoque prolata: *Nos azymum nostrum inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes ipsorum fermentum non reprobamus.* III. Omnes communionis nostræ Theologi subscribunt beato Thomæ 3. p. q. 74. art. 4. distinguenti quid sit sacramento *conveniens*, & quid *necessarium*: ac *necessarium* censent, ut panis sit triticeus *azymus*, *aut fermentatus*; conveniens vero, ut unusquisque servet *ritum Ecclesiæ suæ.* IV. Sunt communia inter nos ad rem sacramentariam pertinentia principia, in substantia *materiæ* Ecclesias convenire singulas, ac differentiam

acciden-

accidentariam, qualis est inter azymum panem, & fermentatum, Sacramenti non tollere veritatem. IV. Tantum abest, quod Latini improbent fermentum Græcorum, quin Pius V. Constitut. *Providentia Romani Pontificis*, edita anno 1566. inhibuit, *ne deinceps presbyteri Græci præcipue uxorati Latino more, & Latini Græco ritu Missas, & alia divina officia celebrare, vel celebrare facere præsumant.* Quod pariter prohibuit BENEDICTUS XIV. Const. *Etsi Pastoralis*, emanata superiori anno 1742. in qua omnia decreta Clementis VIII. Innocentii IV. Pii IV. aliorumque Romanorum Pontificum *super Græcorum Ritibus*, apte inveniuntur disposita, dilucide explicata, iterumque supremo judicio definita. V. Demum in Professione Orthodoxæ Fidei à Græcis facienda, & Græcè ac Latinè edita jussu Gregorii XIII. legitur: Ἔτι ἐν ἀζύμῳ ἢ ἐνζύμῳ ἄρτῳ σιτίνῳ τὸ τοῦ χριστοῦ σῶμα τελεῖσθαι ἀληθῶς τούς τε ἱερεῖς ἐνθατέρῳ αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου τελεῖν ὀφείλειν, ἕκαστον δηλονότι κατὰ τὴν τῆς ἰδίας ἐκκλησίας, εἴτε δυτικῆς, εἴτε ἀνατολικῆς συνήθειαν: *Item in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* Finem ergo capiti quarto imponamus cum Emanuele Cabeliau Augustinensi Poeta, ac Theologo, thesi 2. de Euch.

Ardua Romanos inter, Græcosque movetur
Lis, panibus queis Christus usus ultima
In cœna fuerit. Romani jure veterno
Volunt adhibitos azymos, Græci negant:
Sed fermentatum pugnant, quod Christus in illo
Dilectionis Epulo, Apostolis suis
Ad mensam dederit; quapropter sacrificarit
In pane posito. Hoc asserunt, sed qui probant?
Novimus, ut Christus veteres servaverit usus,
Judaica donec lex sepulta non erat.
Hunc tam solemni Festo voluisse novare
Ritum veternum? Scandalum quid si grave
Discipulis, nondum firmatis, forte dedisset?
Fuit Magister cautior, suis cavens.
Quidquid id est; tolerat binos Ecclesia ritus:
Servet Latinus proprium, Græcus suum.

CAPUT V.

Inferuntur ex dictis theses aliquæ non parvi momenti, atque illæ nova argumentorum accessione breviter confirmantur.

SUMMARIUM.

1. Materia Eucharistiæ est solus panis triticeus.
2. & 3. Solvuntur objectiones.
4. Sola substantia panis triticei est materia apta Eucharistiæ.
5. Quælibet materiæ quantitas est valida, dummodò sit præsens, & sensibilis.
6. Consecrare in azymo Ecclesiæ Romanæ non est vitio vertendum.
7. Latini convenientiùs consecrant in azymo.
8. Græci apud Latinos commorantes nequeunt consecrare in azymo: nec vicissim.

1. Materia Eucharistiæ est solus panis triticeus.

EX præmissis disputationibus inferuntur theoremata quædam, quorum primum est, *Solus panis triticeus est sacramenti Eucharistiæ materia.* Ita enim definit præcitata Synodus Florentina: ita quoque demonstrant Patres omnes, qui docent Eucharistiam esse *panem consecratum*, panis quippe, quo communiter utuntur homines, est *panis triticeus;* nam panes alii introducti sunt *in hujus panis defectum*, inquit S. Thomas 3. p. q. 73. art. 3. ita innuunt antiquæ hujus sacramenti figuræ, panes enim *propositionis* conficiebantur è *simila*, flore scilicet farinæ triticeæ, ac media inter secundarium & pollinem; Eucharistiam quoque præsignatam novimus *in adipe frumenti*, Psalm. LXXX. 17. & *in frumento electorum*, Zacch. IX. 17. Ex usu denique Ecclesiæ panem duntaxat triticeum consecrantis thesis ista corroboratur, præsertim cum constet

constet ex Act. III. Concilii Chalcedon. celebrati an. 451. in Lybia incruentum sacrificium tunc non fuisse celebratum, quando Dioscorus Alexandrinus Episcopus emit largissimis pecuniis frumentum, deditque operam, ne in Lybiam, ubi propter terræ ariditatem *triticum* omnino non nascitur, posset deferri. Vide tom. III. Concil. pag. 400.

2. Oppugnatur sententia. Adversus hanc tamen thesim potest opponi, quod scripsit Gabriel, frumentum esse omne id, quod emittit aristas, ideoque in omni frumenti genere Eucharistiam valide confici. Atque in gratiam Gabrielis addo, etiam Augustinum insinuare pluribus in locis, quod sufficiat ad consecrationem panis frumentaceus: imo, quod ignoro, num aliquis Theologorum hactenus advertit, *azymus paschalis* à Judæis conficitur, ubi desit triticum, ex zea, id est, spelta, vel hordeo. Vide Rambam *Halechoth*, tom. 2. Bibl. Rabbin. pag. 734. Recte itaque censent Scotus, & Paludanus valide ex spelta, & farre confici Eucharistiam, quod & de aliis frumenti generibus tradit Cajetanus. *De siligine vero*, inquit Estius dist. VIII. §. 6. *non videtur dubitandum*, cum inter siliginem, & triticum mutua sit, ex Columella, & Plinio, commutatio generationis.

3. Respondetur objectionibus. Verum hæc, ut arbitror, nullius sunt roboris: siquidem Florentinum Concilium præscribens *panem triticeum*, non genera quælibet frumenti, sed *speciem* unam designat. Concedimus ergo quidquid emittit aristam, *frumentum* dici, far quoque, sive adoreum, siliginem, & hordeum: negamus hæc communi significatione *triticum* appellari. Si enim ad Grammaticalem tantummodo sensum confugiamus; etiam *minuta grana in ficis* dicuntur *frumenta*, apud Plinium lib. XV. cap. 19. Augustinus verò *frumentum* accepit pro *specie* hujus generis nobiliori; nam in Psalmum CXLVII. num. 21. panem illum, *qui de cœlo descendit*, non frumentum utcunque, sed *frumenti adipem vocat*. In Rambam multa traduntur referta fabulis; quamquam eo loci habetur, conficiendum azymum, si fieri possit, *ex tritico præstantissimo*. De siligine, quam *seglam* dicimus, consentit laudatis Theologis S. Thomas præcit. art. 3. nec siliginem accipit *pro selecto tritici genere*, ut suspicatur Card. Gotti q. 1. dub. 3. num. 5. ibi namque S. Thomas loquitur de siligine, *quæ ex grano tritici seminato nascitur in malis terris*. Quare de siligine ob tanti Doctoris auctoritatem potest quis ad Estium accedere: non ita tamen sentit Angelicus de hordeo, de spelta, ac de farre. Imo quia ex definitione Innoc. XI. nefas est uti materia tantum *probabili* in sacramentis conficiendis, nec certum est, an siligo habeat naturam tritici; arbitramur panem siligineum consecrandum non esse: idque docet etiam Eminentissimus Gotti citato in loco, ex nostris Vanroy de Euchar. cap. 2. & alii. His non obstat quod siligo nascatur è tritici semine; nam inde etiam oritur *avena*, à propria natura tritico degenerante: neque Columella ait, dari inter triticum & siliginem mutuam generationem, sed *triticum in solo uliginoso post tertiam arationem* converti *in siliginem*, lib. 2. cap. 9. Cæterum si accipiatur *siligo* pro selecto tritico, quo sensu Plinius lib. XVIII. cap. 7. siliginem vocat *tritici delicias*, & de pane Juvenalis Sat. V. ait,

Sed tener, & niveus, mollique silligine factus;

non est qui dubitet siligineo pane valide confici hoc sacramentum. Theodorum Bezam, Vossium, & Novatores alios, qui censent ad rationem *materiæ* sacramentalis sufficere aliquam inter signum, & signatum analogiam, ideoque recte in Cœna Dominica usurpari quidquid adhibetur *loco panis*, refutavi libro XXXI. cap. 4.

Thesis II.

4. Idonea materia est, quod solum spectat ad substantiam panis triticei.

Nil, quod non spectet ab substantiam panis triticei, est idonea SS. Eucharistiæ materia. Sequitur ex propositione præcedenti, necnon ex generali theoremate, quod nemo mortalium possit determinare materiam divinorum mysteriorum. Atque hinc consequitur primo, quam execranda fuerint sacrilegia Gnosticorum, de quibus Epiphanius H. XXVI. num. 4. scribit, peracto stupro utriusque maris profluvium cavis manibus excepisse, ac sublatis sursum oculis fœdum illud, atque abominabile obtulisse cum hoc solemni carmine, Ἀναφέρομέν σοι τοῦτο τὸ δῶρον, τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. *Offerimus tibi donum istud, Christi corpus*; & impurissimas sordes degustando dixisse, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ πάσχα, *Hoc est corpus Christi, & hoc est Pascha*: eademque impudentia absorbentes fœdissimum sanguinem menstrui fluxus hæc pronunciasse, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ. Quod si mulier gravida facta esset, detrahentes ex

utero

utero informem fœtum, hunc in mortario projectum tundebant pistillo, & ad vitandam nauseam admiscebant mel, piper, aliaque aromata, atque comminutum corpusculum digito delibabant: quod proximo num. 5. narrat ipsemet Epiphanius. Eadem impietate Manichæi, quos lib. 1. cap. 8. diximus è schola Gnosticorum prodiisse, sumebant Eucharistiam *conspersam cum semine humano*, ut H. 46. scribit Augustinus. De Montanistis ait idem sanctus Pater hær. XXVI. sacramenta habuisse funesta; *nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus* extorquebant, *quasi Eucharistiam suam* conficiebant, *miscentes eum farinæ, panemque inde facientes.* Quod negandum non est, licet de iis scribat Theodoretus lib. III. Hæret. fab. cap. 2. pag. 227. περὶ τῶν μυστηρίων τινὲς μεταθρυλλοῦσι τινὰ, ἐκεῖνοι δὲ ἀ συνομολογοῦσιν, ἀλλὰ συκοφαντίαν τὴν κατηγορίαν καλοῦσι, id est, *de Mysteriis nonnulli quædam jactant, sed ipsi non fatentur, & accusationem illam calumniam vocant.* Primò enim eadem, quæ Augustinus, mandarunt literis Cyrillus Jerosolymitanus Catech. XVI. pag. 403. Philastrius de Hæresibus num. 49. pag. novæ edit. 37. atque Epiphanius hær. 48. num. 14. ubi *Quintillianorum* hæresim commemorat, de qua etiam Augustinus hæresi 27. Deinde Montanistarum non unam fuisse sectam, animadvertimus libro primo ac tricesimo. Præterea etiam Manichæi nefariam mysteriorum suorum turpitudinem negabant: illam tamen prodidit puella quædam nomine Margarita, cum esset annorum nondum duodecim, ob sceleftam ipsorum mysteriorum celebrationem vitiata, ut refert S. P. Augustinus præcit. hæresi 46. Non est ergo, cur de nefariis Montanistarum mysteriis propter citata Theodoreti verba hæsitemus. II. Ad hæc consequitur, ineptissime *Artotyritas*, aliud hæreticorum genus, in celebrandis mysteriis caseum cum pane adhibuisse: de quorum deliramento agunt Epiphanius hæresi 49. num. 2. Philastrius hæresi 74. Augustinus hær. 28. Artotyritas ita appellatos ἀπὸ ἄρτου, *à pane*, & τυροῦ *caseo*, damnatos invenio canone 24. Concilii III. Carthagin. celebrati anno 397. & expresso nomine act. XI. Concilii III. Constantinopolit. an. 680. Exortam Artotyritarum hæresim scribit Augustinus, quod hujus sectæ homines dicerent, *à primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuisse celebratas.* Timotheus presbyter, ut post Cotelerium adnotavit vir eruditus ad Philastrium pag. 52. ait Artotyritas descendere à Marcionitis, & in sacra Cœna adhibere *farinam lacte, non aqua subactam.* III. Sequitur tertiò, nil ratione divinorum mysteriorum offerendum esse præter panem, vinumque consecranda; tametsi non improbentur oblationes ad sacrificii condecentiam, ac altarium, templorumque ornatum, & ad pauperum subsidia pertinentes: qua de re legi poterunt canon tertius inter Apostolicos, quinquagesimus septimus Trullanæ Synodi, tricesimus septimus in Codice Ecclesiæ Africanæ, aliique apud eximium Lupum tom. 2. pag. 968. quibus adde septem priora capita *Decreti*, de Consecrat. dist. secunda. IV. Sequitur præterea, non esse Eucharistico pani miscendum oleum, uti admiscere Jacobitarum aliquos tradit Anonymus tom. 2. Auctarii Francisci Combefisii pag 265. καὶ τὴν ἐ αυτῶν προσφορὰν ἐλαίῳ ἀναμιννύσιν, *suamque oblationem oleo miscent.* At hanc non esse consuetudinem Jacobitarum omnium, constat ex istorum historia edita à Sollerio num. 203. Idem asserendum de sale: de quo Albinus Flaccus Alcuinus epist. ad fratres Lugdunenses 69. aliàs 8 num 3. de quibusdam Hispanicis inquit: *Audivimus quoque aliquos in illis partibus affirmare, salem esse in sacrificium corporis Christi mittendum; quam consuetudinem nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas*: atque ibidem post alia multa, recte Alcuinus notat, in veteri lege victimas sale perfrictas ob significationem futuræ rei, & abrogandorum sacrificiorum: sale autem non esse conspergendam Eucharistiam, quoniam in sepulchro non computruit Christi caro. V. Sequitur etiam intollerabilem esse abusum apud nonnullos Græcorum, *tundendi ac miscendi sacro oleo, & iterum coquendi vel aliàs exsiccandi species sacramenti Eucharistiæ feria* V. *Cœnæ Domini, ut deinde illud asservent*: quem proinde abusum omnino tollendum declararunt Romani Pontifices, Clemens VIII. anno 1595. & anno proximè elapso BENEDICTUS XIV. prælaudata Constitutione *super Ritibus Græcorum* §. VI. num. 3. quamquam Græci non *oblatæ* consecrandæ, sed jam consecratæ permisceant oleum. VI. Tandem istud infertur, non esse Eucharistiæ materiam farinæ *pastam*, quæ non *panis* dicitur, sed *intritum*; permixtionem verò alterius frumenti cum farina triticea, nisi hanc superet quantitate,

propter mutationem materiæ tantum accidentariam, non officere consecrationi, ut rectè S. Thomas citato articulo ad 3.

Thesis III.

5. Quælibet materiæ quantitas valet, dummodo sit præsens, & sensibilis.

Est valida Eucharistiæ materia panis triticeus, cujusvis quantitatis, dummodo sit præsens, atque sensibilis. Constat enim ex propositione IV. præcedentis capitis, non haberi ex disciplina priorum sæculorum determinatam Panis consecrandi quantitatem, atque ex antiqua disciplina, quam septimo sæculo commendavit Synodus Toletana, & seculo IX. sanctus Eldefonsus retinendas hostias circularis figuræ, & quantitatis exiguæ, quamvis ex recentioribus Theologis celeberrimi, Juenin q. 2. de Euch. cap. 1. art. 3. Cardinalis Gotti q. 1. dub. 3. num. 3. Tournelius art. IV. q. 4. concl. 1. & quidam alii scribant, ad tenuissimam hanc formam redactas oblatas labente sæculo XI. Quod alia non eget confutatione. Fatemur tamen olim ex eodem pane consecrato, fractoque desumptas particulas pro laicorum communione, unde etiamnum minores hostiæ *particulæ* dicuntur, ideoque consecratos aliquando panes amplioris quantitatis. Non est ergo, cur nobis hac in re succenseat cum Novatoribus aliis Joannes Gerardus Vossius in disputatione de sacræ Cœnæ Dominicæ Symbolis thesi 2. opponens testimonia Bernoldi presbyteri Constantiensis, & Cassandri in Liturg. cap. 27. cum testes producamus alios majores ætate, celebriores doctrina, atque sanctimonia præstantiores. Miramur quoque eadem cum Vossio objectare citato in loco Tournelium, virum alioqui narium emunctarum. II. Quoniam major, aut minor quantitas non immutat substantiam panis, tenetur tamen quisque Sacerdos servare Ecclesiæ suæ disciplinam; duo nobis videntur esse certissima: unum, non obesse consecrationi magnam quantitatem; alterum verò, impiè se gerere, quisquis recedit ab Ecclesiæ consuetudine, & nefarii sacrilegii esse reum, si talem materiam consecrat, quæ nequeat absumi, priusquam computrescat. III. Non desunt tamen, qui negent posse à sacerdote consecrari quamcumque panis quantitatem, puta quam adinveniret in foro; primum, quia Eucharistia instituta est ad usum sacrum, ideoque in ea requiritur moralis usus: secundo, quia consecrari nequit massa panis cruda, & consequenter nec prodigiosa materia: tertio, quia consecrare totum panem existentem in foro, aut vinum in apotheca, res est omnino indecora: quarto demum, quia potestas collata est Sacerdoti ad usum, non ad abusum. Quæ argumenta urget Franciscus Macedo lib. IV. de Clavibus Petri, cap. IV. pag. 279. laudans sanctum Bonaventuram dist. 10. art. 3. q. 2. S. Thomam in Opusculo 59. cap. 5. & quosdam alios antiquorum Scholasticorum. Oppositum tamen tenendum est, neque enim sive abusus, sive perversitas finis tollit veritatem sacramenti, dummodo adsint cætera, quibus perficitur, materia, forma, & intentio: nec major, aut minor quantitas, prout nuper advertimus, inducit substantialem materiæ immutationem. Sanctus autem Thomas Opusc. 59. illam quidem opinionem recitat, sed non approbat: ac tertia p. q. 74. art. 2. definit, nullam esse panis, aut vini quantitatem adeo magnam, *quæ consecrari non possit*, nec opus esse, ut quantitas ipsa determinata sit ad usum fidelium, *qui nunc occurrunt*, sed ad usum fidelium *absolute*; alioquin, ait, nec Sacerdos habens *paucos parochianos* posset consecrare *multas hostias*. Quidam vero ex antiquis Scholasticis tradentes oppositum, explicari possunt de licita, non de valida consecratione: ipse denique Macedo profitetur se opinionis illius adstruere probabilitatem, *disputationis* duntaxat *gratia*, & concludit tenendam sententiam, quam sanctus Thomas tradit in Summa. At prolixe disputat de hac quæstione Disp. IV. sect. 6. Joannes Cardinalis de Lugo. IV. De *præsentia materiæ* subscribunt Theologi omnes D. Thomæ in IV. dist. 11. q. 2. art. 1. quæst. 3. asserenti, quod consecrari valeat *quantacunque quantitas panis & vini, quæ coram sacerdote proponitur*: eandemque præsentiam requiri *patet ex forma sacramenti tam corporis, quam calicis, in qua pronomen est rei præsentis demonstrativum*, ut recte ratiocinatur Estius dist. VIII. § 6. Atque hinc sequitur non consecrari *materiam* post parietem, aut à tergo sacerdotis positam, bene tamen consecrari ante sacerdotem ipsum constitutam, etiamsi cooperta sit velo, atque etiamsi Pixis continens *particulas* pro communione fidelium non aperiatur; dummodo præcesserit intentio consecrandi quidquid materiæ sit præsens. Ad præsentiam quippe moralem necessum non est, ut materia tota oculis conspiciatur, alioqui nec *particulæ* sub aliis latitantes, Pixide aperta, consecrarentur, ut P. IV. de Sacrific. Missæ sect. 2. num. 153. docet

cet Theologorum, & Antistitum culmen BENEDICTUS XIV. productis aliorum Doctorum testimoniis. Quæ utique de consecratione valida, non de licita, quæ omnem postulat diligentiam, dicta sunt.

Thesis IV.

6. Consecrare in azymo Romanæ Ecclesiæ non est vitio vertendum, quod tamen imperitè quidam Græcorum faciunt.

Imperitè quidam Græcorum vitio vertunt Romanæ Ecclesiæ, quod consecret in azymo, & id perperam producunt tanquam unam ex causis separationis; & schismatis sui. Multis quippe demonstratum est, stare pro consuetudine Romanæ Ecclesiæ institutionem Christi, & vetustam, atque perpetuam ritus, quem Latini observant, disciplinam, & à Græcis nugacitates potius, quàm solidas ratiocinationes opponi. II. Nil ex antiquis Patribus, etiam Græcis, infertur, nisi ad sacrificium *panem* requiri, nec illorum quispiam aut necessariò exigi fermentatum: imo Chrysostomus docet, Dominum antequam pateretur comedisse *Pascha legale*, tametsi alicubi innuit Judæorum aliquos livore in Christum percitos definitum diem in proximam commutasse. Theodoretus quoque in Danielem prophetam scribit, *Panis dicitur fermentatus & azymus:* quod Græcis objicit Auctor Explanationis definitionum Synodi Florentinæ, pagina 92. Καὶ Θεοδώριτος εἰς τὴν ἐξήγησιν τῶν προφητῶν Δανιὴλ λέγει ἄρτος λέγεται ἢ ὁ ζύμίτης ἢ ὁ ἄζυμος. Id verò nos pluribus scripturæ locis supra confirmavimus. III. Quamvis Romana Ecclesia ab Apostolicis temporibus consecraverit azymum, nullus tamen Græcorum ante undecimum sæculum id nobis ad fovendum schisma ausus est objicere, nec ipse pestilentissimus Photius, discrepantiam rituum non improbans: atque hinc merito Leo IX. epistola ad Michaelem Cerularium, conscripta anno MLIV. mense Januario, *Illud autem* (inquit) *quis non stupescat, quod post tot sanctos, & Orthodoxos Patres per mille & viginti à passione Salvatoris annos novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, publicam persecutionem excitans, & anathematizans omnes, quicumque participes erunt sacramentorum ex azymis?* IV. Damnatis in sexta Synodo Monothelitis, Joannes Portuensis Episcopus in Dominica octava Paschæ Constantinopoli, ac in templo sanctæ Sophiæ Latino ritu celebravit in azymis, Græcis omnibus astantibus cum Imperatore Constantino Heraclio, & Georgio regiæ urbis præsule, iisdem Græcis Latinum Sacrificii ritum summopere commendantibus: atque hæc non solum ex Romanis Archivis adversus Nicetam Pectoratum produxit Humbertus, sed etiam literis consignavit Hilarion Græcus Monachus, de quo Volum. 3. pag. 695. eximius Lupus V. Falluntur præterea, qui arbitrantur solam Romanam Ecclesiam azymum consecrare: eundem enim ritum à priscis temporibus observasse Ecclesiam Jerosolymitanam affirmat prælaudatus Humbertus, confirmatque Lupus pag. 717. admodum probabili conjectura. Antiquos Maronitas usos fuisse azymis demonstrat Abraham Ekellensis apud Joannem Morinum de Sacris Ordinat. parte 2. pag. 383. tametsi plerumque sequantur alias Græcorum consuetudines. Armenios uti azymis haud negant Græci: quod non accepisse ab Eutychianis inde constat, quod Joannes Philoponus & ipse Eutychianus probaverit usum fermentati. Nobiscum etiam convenire Mozarabes, id est, Gothos in Hispania degentes, advertit cap. IV. dissert. de Azymo eruditissimus Mabillonius. Idem scribit de Indis Caranganoram incolentibus Joseph Indus Navigat. in novo Orbe cap. 134. apud Martenium lib. 1. cap. 3. art. 7. num. 22. Vide etiam Notas uberiores Richardi Simonis in Apologiam Gabrielis Severi, num. VI. pag. 87. ac sequentibus, ubi plura extant notatu digna.

Thesis V.

7. Latini ritum azymi commonstrare possent contra Græcos.

Si ratione pugnandum foret, facile Latini commonstrarent majorem sui ritus convenientiam: sed in hoc sunt Græcis prudentiores, quoniam eos, qui consecrant fermentatum, non damnant, inceptasque calumnias summa charitate repellunt. Et quidem pro convenientia ritus sui possunt Latini proferre primo Christi Domini exemplum: deinde vetustissimam disciplinam: posthac azymi panis, qui rarius efficitur mucidus, nec tumidus aut cavernosus est, ut fermentatus, nitorem, atque aptitudinem: præterea ejusdem azymi significationem, denotat quippe azymus, teste Apostolo 1. ad Corinth. v. 8. *sinceritatem & veritatem*, & insuper Christi carnem absque virili commixtione progenitam: contraria insuper symbola fermentati, quo apud Amos IV. 5. designantur polluta sacrificia, Matth. XVI. 11. tumor & hypocrisis Pharisæorum, præcitata Paulina Epistola genus omne *malitiæ*; & vix in uno Evangelii loco in bonum sensum excipitur, ubi regnum cælorum dicitur fermento simile. Vide Responsionem primam Cardinalis Humberti

berti tom. XI. Annal. Eccles. Baronii pag. 771. Ut addamus nos aliqua ex eruditione profana, accipiunt veteres Grammatici *fermentum* pro indignatione, perturbatisque animi affectionibus: atque ita Grangæus interpretatur illud Juvenalis Satyra 3. *Accipe & istud fermentum tibi habe*: & de muliere irata Olympio Villicus apud Plautum in Casina,

Nunc in fermento tota est, ita turget mihi.

Fermentum enim à fervendo dictum est, quasi *fervimentum*; unde & Hebræi בָּצַק *bataz*, quod est *fermentare*, interdum accipiunt pro *turgere irâ*. Postremus denique reponere calumniantibus Græcis, Romanam Ecclesiam fundatam per primos Apostolorum in summo angulari lapide nunquam Judaicis fabulis, aut apocryphis scripturis acquievisse; Græcam vero, posteaquam illam corrupit Arius, prostituit Macedonius, ipsaque Nestorium, Eutychen, Monothelitas, pluraque alia viperarum genimina non tantum peperit, sed etiam aluit, ac tandem adversus Petri Cathedram caput extulit, dogmatum pravitate, & novitatibus plurimis esse vitiatam. Sed quoniam toleranda sunt quæ pertinent ad solam disciplinam rituumque discrimen; suum permittimus Græcis fermentatum, ritum non reprehendimus, & veneramur sacrificia, hæreses duntaxat, & nefarium schisma damnantes. Jure itaque meritoque Barlaamus Monachus Calaber apud Joannem Cantacuzenum lib. 2. Hist. cap. 40. invitans Græcos ad unionem, prætextam hanc separationis causam propulsat, & quamvis Græcis addictus, istud de nobis judicium profert: *Latinos verò in tantum prudentiores existimo, quod illi quidem minimè hostiam de fermentato vituperant, sed similiter venerantur.* Revera nunquam Romani Pontifices reprobarunt Græcorum consuetudinem: sed Gregorius VII. ad Synnadensem Archiepiscopum scripsit: *Et illi quidem,* (Græci) *suum fermentatum commendantes, reprehensionis in nos levissima verba contumaciter jaculari non desinunt. Nos verò azymum nostrum inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes, ipsorum fermentum nec vituperamus, nec reprobamus.* Gregorius IX. in literis ad Germanum Archiepiscopum Constantinopolit. ait in fermentato *corpus Dominicum ante resurrectionem*, id est, *passibile* repræsentari, azymum vero esse *sacramentum glorificati corporis.* Clemens VII. in Bulla *Provisionis nostræ*, prohibuit Latinis, ne ullatenus reprobare præsumant *ritus, & ceremonias Græcorum in Concilio Florentino, vel alias approbatas.* BENEDICTUS XIV. quod prius docuerat Not. 142. in Feriam v. M. Hebdomadæ, confirmavit solemni Constitut. *Etsi Pastoralis.* Ita nimirum Apostolici memores documenti, 1. ad Corinth. IV. 12. *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.*

Thesis VI.

Falluntur, qui censent Græcis apud Latinos commorantibus, aut peregrinantibus fas esse consecrare azymum, & econtra Latinis apud Græcos fermentatum. Sunt in ea sententia Diana Resolut. 99. Miscellan. Naldus v. *sacerdos*, num. 4. Macedo de Clavib. Petri lib. IV. cap. 5. & Henno de Euch. quæst. 2. concl. 2. qui ad hoc demonstrandum utuntur communi proloquio, *Cum fueris Romæ, Romano vivito more*, atque Epistola Augustini ad Bonifacium 54. aliàs 118. ubi traditur servandam esse Ecclesiarum, ad quas proficiscimur, consuetudinem. Sed aliud de ritu sacrificii, quem fideles omnes norunt apud utramque Ecclesiam esse diversum, & ad quem servandum sacerdotes sacramento Ordinis initiantur, aliud asserendum est de variabili consuetudine, cujusmodi sunt festi dies, & jejunium sabbati, de quo in illa Epistola Ambrosius atque Augustinus. Hinc BENEDICTUS XIV. Constitut. super Ritibus Græcorum §. IX. præcipit, ut Italo-Græci servent Kalendarium Gregorianum, festos dies, quadragesimale jejunium, & quæcunque à fidelibus in diœcesi, ubi habitant, universim, & sine ullo personarum ac rituum discrimine juxta sacros canones servanda sunt, consuetudines nempe, de quibus Augustiniana Epistola, & pervulgatum Catonis proloquium: sed de sacrificii ritu §. VI. num. 10. aliter idem Pontifex, eademque Constitut. §. VI. num. 10. his verbis thesim nostram definit: *Cum in sacro Generali Florentino Concilio præscriptum sit, ut unusquisque sacerdos Eucharistiam juxta Ecclesiæ suæ ritum sive Latinæ, sive Græcæ in azymo, seu fermentato conficere debeat, vetitumque à summis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ne Latinus Sacerdos Græco ritu, aut Græcus Latino utatur, districtius inhibemus, etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis à divinis, ne presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco*

8. Græcus apud latinos commorans nequit consecrare in azymo nec econtra.

Græco ritu, sub quovis licentiarum & facultatum Missas, & alia divina officia Græci Latino more, & Latini Græco ritu celebrandi ab Apostolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario pro tempore existente obtentarum prætextu, Missas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant. Vide Florentinum Concil. in Bulla unionis, & S. Pii V. Constit. *Providentia Romani Pontificis* emanatam anno 1566. XIII. Kal. Septembris.

CAPUT VI.

De materia consecrationis calicis, id est, de vino.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Materia Eucharistiæ est vinum.
3. Damnantur aliquorum errores.
4. Vinum esse materiam, probatur.
5. Aqua, vel alius liquor locò vini consecrari nequit.
6. Solvitur objectio.
7. 8. & 9. Ex præcepto Ecclesiæ vino admiscenda est modica aqua.
10. & 11. Instantia hæreticorum solvitur.
12. 13. 14. & 15. Solvuntur aliæ objectiones.
16. & 17. Commixtio aquæ non est de necessitate sacramenti.
18. Usque ad 22. satisfit objectionibus.
22. Quantitas aquæ debet esse modica.
23. Aqua vino mixta convertitur in sanguinem.
24. & 25. Et quidem probabiliùs immediatè.
26. Solvuntur objectiones
27. & 28. Qui sentiendum de historia relata à Raphaele volaterrano.
29. An fas sit consecrare sub una tantùm specie, si desit altera.

1. Status quæstionis.

PRAETER panem, vinum quoque consecramus, & istud modica aqua permixtum. Dicturi itaque de hac *materia*, inquiremus priori loco, an vinum tantummodo consecrandum sit; deinde, num vino sit modicum aquæ admiscendum, postmodum, an etiam aqua in Christi sanguinem convertatur, tandem, an hæc conversio *immediate* fiat, an aqua prius transeat in vini, cui admiscetur, naturam.

2. Materia Eucharistiæ vinum est.

PROP. I. Vinum divinæ, ac ineffabilis Eucharistiæ *materia* est, nec vini loco substitui potest aqua, sive alius liquor, etiamsi communi usu deserviat ad potum.

3. Damnantur errores aliquorum.

Habet duas partes hæc thesis, & pars prima damnat errorem illorum, qui in sacris mysteriis aquâ solâ utebantur, *Aquarii* propterea dicti, sive *Hydroparastatæ*. Sunt hi Ebionæi supra commemorati, de quibus Epiphanius Hær. XXX. num. 16. scribit, *Ad alteram mysterii partem meram aquam adhibent.* Similia Irenæus lib. V. adversus Hæres. cap. 1. num. 3. Accedunt Tatianii gregales, dicti *Encratitæ, quod nec vinum biberent, & Hydroparastatæ, quod aquam pro vino offerrent*, ut inquit Theodoretus lib. 1. H. Fab. cap. 20. pag. 208. De his etiam Epiphanius H. XLVII. 3. Nicetas Choniates lib. IV. Thesauri Orth. Fid. cap. 14. eundem errorem tribuit Marcionitis. Adhæserunt his Manichæi, quos exagitat serm. IV de Quadrag. S. Leo Magnus. De *Aquariis* peculiarem sectam constituentibus, & hoc solo errore notatis: pertractant Philastrius hæresi LXXVII. & S. P. Augustinus H. LXIV. Ab his ergo diversi erant *Hydrotheitæ* & aquam à sacris mysteriis arcentes, & negantes illam à Deo fuisse creatam. Altera propositionis parte perstringimus Novatores, qui censent, ubi vini usus non est, posse usurpari quiquid illic vini loco bibi solet, tametsi adversus *Aquarios* fateantur retinenda esse, quando haberi possunt, *vulgaria symbola:* pro hac opinione pugnavit Theodorus Beza epist. 25. Philippus Melanchthon, qui libro de usu integro sacramenti ait Ruthenos ob vini inopiam recte facturos, si pro illo adhiberent τὸ ὑδρομελι, *aquam* nempe *mellitam.*

4. Quòd vinum sit materia, probatur.

Itaque priorem partem demonstramus I. ex Christi institutione; Cœnæ siquidem accumbens vinum illud Dominus consecravit, quod Matth. XXVI. 29. appellat γέννημα τῆς ἀμπέλου, *genimen vitis.* II. ex sacerdotio Christi, quod dici *ratione rerum oblatarum*, id est, panis & vini, *secundum ordinem Melchisedech*, ostendimus libro XXVII. cap. 7. propositione tertia. III. ex definitionibus Conciliorum, nam Concilium III. Carthagin. can. 24 statuit, *Ut in sacramento corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum:* ac Florentinum in Instruct. Armeniorum, *Tertium*, inquit, *est Eucharistiæ sacramentum, cu-*

jus materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. IV. ex universali Ecclesiæ consuetudine, cujus testis est Augustinus scribens de Aquariis, *Aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud, quod omnis Ecclesia.* V. ex perpetua traditione Patrum, quorum aliqua testimonia producam propositione 2.

5. Quòd aqua vel alius liquor nequeat adhiberi.

Alteram verò partem, id est, quod nequeat pro vino consecrari aqua, sive alterius generis liquor, inde probamus, quod nulli fas sit immutare *materiam* sacramentorum à Domino præstitutam. Quare jure optimo Bellarminus de Melanchthone scribit lib. IV. de Euch. cap. 24. *Quis dedit Philippo auctoritatem mutandi sacramentorum materiam?* Non enim aliam possumus consecrare *materiam* præter illam, quam Dominus præscripsit, ac tradidit: unde Chrysostomus hom. 83. in Matth. pag. 700. ait: *Cujus rei gratia non aquam, sed vinum? Perniciosam quamdam hæresim radicitus evellere voluit eorum, qui aquâ in mysteriis utuntur.* De iisdem *Aquariis* scribit Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. pag. 317. *eos relinquere Ecclesiam, & versari in hæresibus, qui sola aqua utuntur, in Eucharistia.* Eosdem non recipi à Deo *ad commixtionem suam*, scribit citato lib. IV. adversus hæreses, cap. I. sanctus Irenæus. De Encratitis Epiphanius citato in loco 401. *Illorum mysteria*, inquit, *quæ aqua solummodo constant, mysteria non sunt, sed ficta atque fallacia, verorum ad imaginem expressa. In quo plenissime illos Salvatoris sententia redarguit, Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno cœlorum vobiscum.* S. Cyprianus Epistola 63. ad Cæcilium ait *plebem esse sine Christo*, ubi aqua, non vinum offertur. Vide canonem XXXII. Trullanum, & in illum Commentaria Lupi to. 2. p. 919.

6. Oppugnatur ab Aquariis.

Opponebant Aquarii: De credente in Christum legimus Joannis VII. 38. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; quibus verbis *materia* incruenti sacrificii nobis significatur. Sed argumentum istud elumbe est, fractum, infirmissimum, nullum. Nam si hæc verba ad *materiam* sacramenti alicujus velimus referre, ad baptismi quidem elementum, non ad calicem Domini pertinebunt, ut animadvertit laudata Epist. ad Cæcilium pag. 227. edit. novissimæ S. Martyr Cyprianus. Si autem ea Joannis verba accipiamus *de Spiritu, quem accepturi erant credentes* in Christum, prout ibidem innuit Evangelista versu 39. explicatque Augustinus Tract. XXXII. in Joannem num. 2. nimirum de gratia novi Testamenti, aquæ comparata Is. XLIV. 3. & Ezechiel. XXXVI. 25. nullum inde peti argumentum potest pro determinanda alicujus sacramenti *materia.*

Prop. II. Vino consecrando modicum naturalis aquæ perantiqua traditione, & Ecclesiæ præcepto debet infundi.

7. Vino ex traditione & præcepto Ecclesiæ admiscenda est modica aqua contra errorem Armeniorum.

Refutamus hac thesi errorem Armeniorum, qui vinum merum consecrandum esse arbitrabantur, decepti falsa interpretatione testimonii S. Joannis Chrysostomi paulo supra producti. Tribuunt eundem errorem Græcis Innoc. III. lib. IV. de Myst. Missæ cap 32. Scotus, & Durandus in IV. dist. XI. secuti eadem dist. Magistrum, Durandus Mimatensis lib. IV. Rationalis sui, cap 42. Ac de Armeniis id constat ex Florentino Concilio, ex Trullano, ex Theophylacto in cap. XIX. Joannis, aliisque. At de Græcis lapsus est Magister, & qui ex illo exscripserunt, nisi forte *Græcos* acceperint indiscriminatim pro *Orientalibus*, inter quos connumerantur Armenii. Novatores autem fatentur verisimile esse, quod Christus vinum miscuerit, nec diffitentur Ecclesiam veterem usam fuisse vino mixto: agnoscunt etiam hanc mixtionem exponi à Patribus allegorice; sed contendunt rem esse *adiaphoram*, vetustamque consuetudinem his temporibus non præscribere, & posteaquam ritus miscendi tanquam necessarius haberi cœpit, prudenter merum præferri, ut suam in t libus ostendant libertatem. Plura de his Vossius disput. XXII. quæ est IV. de sacræ mensæ Dominicæ symbolis, thesi 8. Adversus itaque Armeniorum, ac Protestantium errorem ita propositionem demonstramus.

8. Probatur conclusio ex Conciliis, Patribus &c.

Concilia, Patres, Rituales libri, atque ipsa ratio suadent in consecranda Eucharistia adhibendum esse *vinum permixtum aqua*, & id non inter adiaphora enumeratur, sed inter ritus Ecclesiastico præcepto servandos. Errabant ergo Armenii consecrantes merum, & modò errant hæretici asserentes hujuscemodi ritui Ecclesiam non alligari. Probatur antec. definitione Conciliorum. Etenim canone 32. Concilii Quinisexti, seu Trullani celebrati anno 692. sic statuitur: *Si quis ergo Episcopus, vel presbyter non secundum ordinem ab Apostolis traditum facit, & aquam vino miscens, sic immaculatum offert sacrificium, deponatur ut imperfecta mysterium enun-*

enuntians, & quæ tradita sunt innovans. Gaspar Juenin q. 2. de Euch. cap. 2. art. 2. §. 2. Cardinalis Gotti q. 1. dubit. 7. §. 1. & quidam alii addunt particulam *Non*, ita legentes, *Aquam vino non miscens*; sed falluntur, quoniam hæc verba referenda sunt ad præcedentia, *secundum ordinem ab Apostolis traditum*, non ad consequentia, *sic immaculatum offert sacrificium*; est enim in Græco absque particula negante, tom. VI. Concil. pag. 1158. καὶ ὕδωρ ὄινῳ μιγνύς, *Et aquam vino miscens.* De hoc Trullano canone plura Lupus Vol im. 2. pag. 920. Concilium Bracarense IV. anno 675. canone 2. ait: *Calix Dominicus vino, & aqua permixtus debet offerri*; ac pariter Carthaginense III. jam ab anno 397. can. 24. *Ut in sacramento corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quem ipse Dominus tradidit, hoc est, panem, & vinum aqua mixtum.* Florentini paulo supra recitata sunt verba. Idem decernit Tridentinum sess. 22. cap. 7. cujus verba etiam rationibus confirmata producam infra. Prætermitto cap. *In sacramentorum oblationibus*, cap. *Non oportet*, & cap. *Cum omne crimen*, de Consecrat. dist. 2. & addam tantummodo canonem Sanctorum citatum ab Egberto Archiepiscopo Eboracensi in Excerptis cap. 98. *Sacerdotes Dei diligenter semper procurent, ut panis & vinum & aqua, sine quibus nequaquam Missæ celebrantur, pura & munda fiant.* II. Idem probatur ex Patribus: Ac primo Justinus Martyr Apolog. 2. pag. 97. commemorans oblationes, ex quibus consecrabatur Eucharistia, *Deinde* (inquit) *ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ & vini*, ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, & proxima pag. 98. *Panis offertur, & vinum & aqua*, ἄρτος προσφέρεται, καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ. Irenæus libro IV. adversus H. cap. 57. & ex distinct. Massueti 33. num. 2. ait: *Accipiens Dominus panem suum esse corpus confitebatur, & temperamentum calicis, suum sanguinem confirmavit.* In quem locum Renatus Massuet pag. 270. *Temperamentum calicis mixtum calicem vocat lib. V. cap. 2. num. 3. quia ex Traditione Apostolica, perpetuoque Ecclesiæ usu, vinum consecrandum aqua miscetur.* Verba Irenæi postremo hoc in loco sunt ista: *Quando ergo & mixtus calix, & factus panis percipit verbum Dei, & fit Eucharistia*, Ὁπότε οὖν καὶ τὸ κεκραμένον ποτήριον, καὶ ὁ γεγονὼς ἄρτος ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ γίνεται ἡ εὐχαριστία. Ubi male quidam legunt, *Fractus panis*, ut liquet ex Græco. S. Cyprianus Epist. LXIII. ad Cæcilium ait: *Invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit.* Et infra: *Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & conjungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari*; pauciscque interjectis: *Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest*; *nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spiritale & cœleste perficitur.* Ambrosius de Sacram. lib. IV. cap. 4. num. 19. ait: *Ergo didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur*; *sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis.* S. P. Augustinus lib. IV. de Doctr. Christiana cap. 21. num. 45. de præcitata Cypriani ad Cæcilium Epistola, *Solvitur*, inquit, *ibi quæstio, in qua quæritur, utrum calix Dominicus aquam solam, an eam vino mixtam debeat habere:* & Tract. CXX. in Joannem num. 2. de aqua è Christi latere fluente, *Aqua illa salutare temperat poculum.* III. Constat eadem veritas ex antiquis Ecclesiæ ritibus. Miscendam quippe vino aquam probat Auctor Constit. Apostolicarum lib. VIII. cap. 12. pag. 402. ex Liturgia Jacobi, quam etiamsi nonnulli putent supposititiam, eam tamen genuinam esse demonstrat Græcorum omnium consensio, canon tricesimus secundus Trullanæ Synodi, & monimenta alia producta ab Allatio in Symmichtis pag. 176. & laudatis à BENEDICTO XIV. de Sacrif. Missæ P. IV. sect. 1. num. 90. Ac si etiam illa foret apocrypha; præberet tamen antiquorum rituum argumenta perspicua. Quod de Liturgia Marco attributa eodem jure affirmamus, nam & in ista commemoratur vini & aquæ commixtio. Eadem præcipitur in Ritu antiquo celebrandæ Missæ, qui extat in Appendice ad Sacramentarium Gregorii Magni tom. III. novæ edit. pag. 295. in Capitulari Attonis Episcopi Vercellensis, & Theodulphi Aurelianensis, tom. I. pag. 322. Operis Martenii de Antiquis Ritibus, & fatentibus hæreticis aliis cum Vossio præcitata thesi VIII. pag. 441. apud scriptores innumeros.

Ab

Ab his vero alienæ non fuut Orientales Ecclesiæ: Græci enim frigidam immiscent vino ante consecrationem, & calidam aquam paulo post consecrationem ipsam, quod Græcolatinis in sæpe laudata BENEDICTI XIV. Constitutione ob ritus antiquitatem permittitur. Et quidem illius mixtionis meminerunt Liturgiæ SS. Basilii, & Joannis Chrysostomi, Gregorius Nissenus Orat. Catechetica cap. 37. Theodoretus Dialogo primo, qui inscribitur *Immutabilis*, pag. 17. Damascenus lib. IV. cap. 14. Proclus de Traditione divinæ Liturgiæ, Nicephorus Callistus lib. XVIII. cap. 53. aliique à nostratibus, necnon ab ipso Vossio productis. His addo Græcos ægre ferre, quod aliqui incaute scripsere, sacram ab ipsis mixtionem omitti, unde Arcudius lib. III. Concordiæ pag. 152. redarguit Guidonem Carmelitam, qui id asseruit in Catalogo hæreticorum, aliosque nonnullos: & Gabriel Philadelphiensis in opusculo de Sacram. pag. 62. *Verum* (ait) *quidam sunt, qui ab hominibus, quibus aliena calamitas affert lætitiam, decepti dicunt Græcos sancto calici aquam non admiscere secundum Ecclesiæ traditionem: quorum experientia (etenim accedant, & intueantur ea quæ sunt Liturgiæ) perversam eorum mentem manifestò potest redarguere.* Vide & Missam Aethiopum tom. IV. Biblioth. PP. antiquioris edit. pag. 111. & Liturgiam Coptorum Jacobitarum apud Bolland. tom. V. Junii, num. 199. Appendicis Sollerii ad Patriarchas Alexandrinos.

9. Probatur ex Tridentino.

Hujus mixtionis rationes his verbis profert Tridentina Synodus sess. 22. cap. 7. de Sacrificio Missæ: *Monet deinde sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum, quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.* Nituntur hæretici has rationes refellere: atque ad primam è Christi facto depromptam, ajunt non posse è scripturis probari, quod Dominus aqua vinum temperarit, ut fatetur Bellarminus lib. IV. de Euch. cap. 9. Addunt Durandum in IV. dist. 11. q. 5. existimasse congruentiam istam minus aptam, nec ex ea convinci necessariam esse mixtionem, ubi debiliora sunt vina. Ast ergo econtra repono, non solam Scripturam servasse nobis rerum à Christo gestarum notitiam, cum multa ipse fecerit, quæ in libris Evangeliorum scripta non sunt, ut capite postremo testatur Joannes. Præterea, qui de ritibus Judaicis pertractarunt, docent *in cœna Paschali ita vinum temperandum fuisse aqua, ut nisi hanc admiscuissent, credidissent aliquid esse omissum in recta hujus ceremoniæ observatione*, quemadmodum ex Rab. Maimonide, aliisque demonstrat in libro de Ministerio Templi cap. 13. pag. 735. Joannes Lightfootus, & confirmatur ex Ritu celebrandæ Cœnæ Paschalis p. 2. Biblioth. Rabbinicæ pag. 938. Ex quibus apparet falli Buxtorfium, qui in Historia sacræ Cœnæ ait pro libito Judæos in ea cœna bibisse merum, vel aqua illud temperasse. Quamvis insuper non omnes Judæi ceremoniam illam servassent, ut gratis id concedamus Buxtorfio, servavit eam tamen Salvator, *qui temperantiæ summæ se præbuit exemplum*, ut in Epistola ad Archiepiscopum Armeniorum, & ad presbyteros Caphensis diœcesis scripsit anno 1318. v. Kal. Aprilis Joannes XXII. Animadvertit præterea Lupus ad canonem 32 Trullanum pag. 923. *Calicem* apud Orientales designare vas, *in quo soleat vinum ad potum misceri:* cui conjecturæ adminiculo est occurrens apud Evangelistas ποτήριον, quod propriè non est *calix*, sed *poculum*. Demum Tridentina Synodus non ait, aquam vino miscendam ob nimiam meraci vim, quam rationem vellicat Durandus; sed, *quod Christum Dominum ita fecisse credatur*, attendens exemplum Christi, non conditionem meri ex uvis Palæstinis expressi.

10. Oppugnatur 1ma ratio Tridentini ab hæreticis.

11. Respondet auctor.

12. Oppugnatur 2da ratio Tridentini.

Rationem alteram, quam Tridentina Synodus petit ex aqua, quæ simul cum sanguine fluxit è Christi latere, ideo hæretici infirmam putant, quia necessum non est in sacramento usurpare quidquid in Passione Domini interfuit; & quia vetustiores concinnius dixerunt aqua baptismum, & sanguine Eucharistiam denotari. Sed hæc sunt, supra quàm dici possit, puerilia, & inania. Neque enim nos aquæ mixtionem ita necessariam asserimus, ut sine illa sacramentum nullum fore arbitremur; imo nec aquæ admixtionem dicimus requiri ex divino mandato (quod tamen doduerunt nonnulli veterum,) sed ex præcepto Ecclesiastico rationabili ex causa servando. Etsi verò in aqua lateris Christi denotari baptismum scripserint veteres, idque nos ipsi tradiderimus tom. VI. pag. 48. non inde tamen consequitur, quin ejusdem aquæ symbolum

13. Respondet auctor.

bolum ea referat, qua calix Dominicus temperatur. Etenim hujus rei gratia vino aquam admisceri, haud obscure innuunt S. P. Augustinus præcitato Tract. cxx. in Joan. Theodulphus Aurelianensis Episcopus in Ordine Baptismi num. xviii. Walafridus, Micrologus, Paschasius, aliique plures tradentes rationem sacrorum mysteriorum. Quibus addimus caput, *In sacramentorum*, de Consecrat. dist. 2. desumptum ex Epistola Isidoriana Alexandri, & cap. *In calicem*, depromptum ex Ambrosio l. v. de Sacram. cap. 1. num. 4. necnon Liturgiam S. Joannis Chrysostomi, in qua, Erasmo interprete, legitur: *Ad infusionem vini dicit Sacerdos*, Et unus militum lancea latus ejus aperuit, & exivit sanguis; *& addens aquam dicit*, Et aqua.

14. Oppugnatur 3tia ratio Tridentini à Vossio.

Tertia ratio à Tridentino producta impugnatur à Vossio, quia licet per aquas interdum significetur populus, id tamen satis non est ad ritum aliquem adstruendum, cum symbolica, ut dici solet, Theologia non sit argumentativa; ideoque *ficulna*, inquit Vossius, *machera* pugnant veterum non pauci, ut Cæsarius, sive Eucherius, Paschasius, Rabanus, & alii, etiam Græcorum. At nunquam à Vossio viro erudito, & gravi talia prodiisse dicerem, nisi ea legissem. Principio enim cum sacri ritus instituti potissimum fuerint *ob mysticam significationem*, ut ostendi lib. xxx. cap. 23. falsum est Theologiam symbolicam non sufficere, si hoc Ecclesiæ opportunum videatur, ad sacrum adstruendum ritum. Deinde non istud duntaxat symbolum Tridentina Synodus profert, sed etiam exemplum Christi, cui accedit traditio universa, & consensus Ecclesiarum. Postremo non ii tantum, quos laudat Vossius, rationem illam probarunt, verum etiam S. Cyprianus præcitata ad Cæcilium Epistola pag. novæ edit. 229. antiquus Ritus celebrandæ Missæ editus post Sacramentarium Gregorii cum notis Menardi, Theodulphus citato num. 18. in Ordine Baptismi, & cum Theologis universis S. Thomas 3. p. quæst. 74. art. 6. ubi & aliæ duæ rationes Tridentini Concilii producuntur & illustrantur. De his Hildebertus Turonensis Episcopus Tom. xxi. Bibl. PP. pag. 164. canebat:

15. Respondet auctor.

Admixtum vino laticem miraris, at ipsam
Grande sacramentum est, nec ratione vacat.
Unda fluens, homo præteriens: ea mixta Lyæo,
Est Christo Christi sanguine junctus homo.
Dividit unitos vel aquam, vel vina ministrans,
Et caput à membris separat ipse suis.
Præterea nil fons sine sanguine, nil sine fonte
Sanguis: utrumque simul salvat, utrumque sacrat.
Cum rimaretur pendentis viscera Christi
Lancea, manavit sanguis, & unda simul.
Sicut utrumque simul fluxit, simul offer utrumque:
Unum deme, Crucis non imitaris opus.

Armenii opponebant verba Chrysostomi hom. 83. in Matth. de quibus supra prop. 1. & Novatores jactant Ecclesiarum libertatem sed Chrysostomus loquitur adversus Aquarios, ut recte adnotatur in canone 32. Trullano. Adversus vero jactatam à Novatoribus in observatione sacrorum rituum libertatem, plura scripsimus lib. xxx. cap. 23. propos. 2. Hæreticorum quidam reponunt reprobatum fuisse ritum Romanæ Ecclesiæ à Concilio Aurelianensi iv. celebrato juxta Baronium, ac Binium an. 545. seu potius an. 541. cujus canon quartus in antiquis editionibus sic legitur: *Ut nullus in oblationibus sacri calicis, nisi quod fructu vineæ speratur, & hoc sine aqua mixtum offerre præsumat.* Sed legendum est, *Et hoc aqua mixtum*, ut habetur in Collect. Labbei tom. v. pag. 382. Quomodo enim potest vinum esse *mixtum*, & sine aqua? Ipsemet Gerardus Vossius in vetustis editionibus agnoscit mendum, ingenue scribens: *Sed quando cogito quam antiqua, & ubique recepta hæc consuetudo fuerit miscendi vinum, non possum in animum inducere, ut contrarium statuerint Aurelianenses: præsertim cum nemo veterum hujus rei meminerit.* Deinde ait pro *sine* legendum *nisi*, partim quia facile peccari potuit literularum duarum trajectione; partim quia eadem particula antecesserat, nec forte repetendam judicavit amanuensis. Hac autem conjectura admissa, puto nihil modo in hac quæstione superesse difficultatis.

16. De necessitate hujus commixtionis.

Prop. III. Aquæ cum vino commixtio non est de necessitate sacramenti, sed tantum præcepti, & præcepti quidem Ecclesiastici, non divini.

17. Probatur necessitas præcepti Ecclesiastici non sacramenti.

Demonstratur pars prior, quoniam materia consecrationis calicis appellatur in Evangelio *genimen vitis:* hujusmodi autem est vinum, quamvis nulla aqua dilutum. Vide quæ diximus proposit. 1. adversus Aquarios. Deinde Cyprianus prælaudata ad Cæcilium Epistola ait, esse *sanguinem Christi*, si vinum sine aqua consecratum sit. In eadem Epistola ait Cyprianus, veniam concedendam simplicitati eorum, qui ignoranter aquam vino non miscuerant, quod sane non existimasset veniale tantum, & condonandum simplicitati presbyterorum, si absque mixtione aquæ non consisteret sacramentum, inquit Estius dist. VIII. §. 10. Præterea sine aquæ temperamento species vini sunt symbolum sanguinis Christi, qui & sub vini accidentibus vere existit, quemadmodum ait sess. XIII. cap. 3. Synodus Tridentina: imo permixtione peracta species aquæ, cui insit sacramenti ratio, nequaquam apparet, ideoque vinum duntaxat pertinet ad sacramenti constitutionem. Postremo, si quis post consecrationem advertat se aquam vino non miscuisse, non debet consecrato calici aquam infundere, ex Rubricis Missalis tit. *De defectu vini* num. 7. ideoque non spectat aqua ad materiam *essentialem;* aliàs post consecrationem foret apponenda, & consecranda; quemadmodum apponendum & consecrandum est vinum, si sacerdos *post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam*, ex eod. titulo, num. 4. Igitur necessitate sola præcepti aquâ vinum Eucharisticum temperatur: atque hoc præceptum Ecclesiasticum esse constat ex propositione præcedenti: non esse divinum liquet, non enim ullum sive in Evangelio, sive in Apostolicis Epistolis extat præceptum de aqua vino admiscenda.

18. Oppugnatur sententia ex S. Cypriano.

Oppones 1. Sanctus Cyprianus scribit perfici spiritale, & cœleste sacramentum, quando utrumque, vinum scilicet, & aqua miscetur: addit non adunari Christo populum, si mixtio hæc omittatur; spectat ergo eadem mixtio ad sacramenti *substantiam*: adducit præterea comparationem hanc: *Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur; quomodo corpus Domini nequit esse farina sola, aut aqua sola:* at farina sola valide non consecratur; ergo nec valide consecratur vinum sine aqua. Insuper dictum supra, aquam vino permixtam gerere typum cruoris, qui profluxit ex aperto Domini latere: nisi ergo aquâ calix temperetur, non erit istiusmodi typus, ac sacramentum.

19. Respondetur.

Resp. non unum in Eucharistia symbolum reperiri; sunt enim ibi *species* panis & vini, quæ sunt signum corporis & sanguinis Domini, quatenus sunt cibus, & potus, sive spiritale animarum nostrarum nutrimentum: est utriusque *speciei* distinctio ac separatio, quæ est signum cruenti sacrificii, quo piissimus Jesus pro universorum hominum redemptione profudit sanguinem; est denique aquæ, vinique permixtio, quæ Christi & fidelium significat unionem. Primum symbolum est de *essentia* sacramenti: alterum necessarium est ad sacrificium: tertium habet significationem effectus consequentis ex sumptione Eucharistiæ. Respondeo itaque perfici sacramentum, quando vinum & aqua miscentur, quantum ad mysticam significationem unionis, & copulationis fidelium cum Christo, non vero quantum ad significandum continendumque corpus & sanguinem Domini sub *speciebus* panis & vini; quæ postrema ratio signi Eucharistiæ sacramento *essentialis* est. Eodem pacto dico, si desit aqua, tam in farina, quàm in vino consecrando, deesse utrobique significationem mysticam illius unitionis; atque id unum velle ea comparatione Cyprianum: quamquam sit alia ex parte inter farinam, & vinum discrimen maximum; quia farina sine aqua non est *panis*, ideoque nec idonea sacramenti materia; cum econtra vinum absque permixtione aquæ *vinum* sit, communis potio, & valida proinde materies. Consimili ratione affirmo, non esse de *essentia* sacramenti, (imo nec sacrificii,) significare aquam, quæ exiit de perforato Christi latere, cum nec ipsa aqua necessaria omnino fuerit ad passionem, & ad sacrificium crucis cruentum; quod intelligitur perfectum sanguinis effusione: hujus autem symbolum est consecratio alterius *speciei*, nempe vini, ad sacrificium utique necessaria.

20. Opponitur contra 2dam partem.

Oppones 2. adversus secundam partem proposit. cum Vanroy cap. 2. q. 5. Diserte S. Cyprianus epist. 63. tradit, Christum aquâ calicem temperasse, & Apostolis præcepisse, ut idem facerent. Tertium quoque Carthaginense Concilium can. 24. mixtionem aquæ appellat *traditionem Dominicam;* nec invenimus quisnam Romanorum Pontificum primum de aqua miscenda vino præceptum tulerit. Eadem ergo mixtio est divini præcepti, non Ecclesiastici tantum.

Respon-

21. Respondetur.

Respondeo, his argumentis solum evinci, quod institutio Ecclesiæ vetustissima sit, & Christi exemplo firmata. Non enim invictum est argumentum istud, Christus consecravit calicem aquâ temperatum, tradiditque Apostolis, ut idem facerent; ergo permixtio aquæ est de præcepto divino: quemadmodum nec istud, Christus consecravit panem azymum, & mandavit Apostolis, ut hoc facerent, ergo azymus ex divino præcepto consecrandus est. Distinguenda enim sunt quæ spectant ad sacramenti, vel sacrificii *substantiam*, ut panis triticeus, vinum, certa verborum prolatio; & quæ accidentaria sunt, ac pro loci, temporis, rituumque circumstantiis usurpata, ut quod cœna instituta sit Jerosolymis, facto vespere, existentibus tantum azymis, & calice vini aquâ temperati mensæ appositio. In Christi utique mandato, *Hoc facite in meam commemorationem*, intelliguntur præscripta ea, quæ sunt primi generis, non alia, quippe non ait, *Hoc facite, adhibito hoc tantum pane, vino sic temperato, servato hoc tempore;* sed tantummodo, *Hoc facite*, quod nempe a me factum cernitis, id est, *Consecrate panem, & vinum, comedite, distribuite;* refertur enim præceptum illud *Hoc facite* ad proxime peractam actionem, non ad singulas omnino, nec ad accidentarias actionis illius circumstantias. Hinc Cyprianus, & Synodus Carthaginensis, dum commemorant Dominicam *traditionem*, & inquiunt præcepisse Dominum, ut consecretur vinum aqua permixtum, ita debent accipi, ut solum vinum sit de *essentia* Eucharistiæ: quod è scopo, verbisque eorundem satis constat. Cyprianus enim loquitur contra illos, qui in sacrificiis matutinis solam aquam adhibebant, *ne per saporem vini redolerent sanguinem Christi:* eosque reprehendit, quia *sanguis Christi, non aqua est utique, sed vinum; & vini mentio ideo ponitur, ut Domini sanguis intelligatur:* atque id confirmat vetustis figuris Noe, qui vinum bibens inebriatus est, Melchisedech, qui obtulit panem, & vinum, & Judæ, quem benedicens Jacob ait, *Lavabit in vino stolam suam.* In quibus profecto nulla mentio aquæ relucet. Postquam vero demonstravit ex traditione Dominica consecrandum esse vinum, & hoc duntaxat in antiquis figuris commendari ad significandum Christi sanguinem; pertransit Cyprianus ad exponendum aquæ mysterium, de quo paulo supra disseruimus. At Synodus Carthaginensis laudato in canone eos damnat, qui simul cum vino consecrabant *mel, & lac,* definiens hæc quidem benedicenda esse, sed non consecranda, *Nec amplius in sacrificiis offerendum, quam de uvis, & frumentis.* Non ergo eadem prorsus ratione referunt Cyprianus & Patres Carthaginenses tertiæ Synodi vinum & aquam ad Domini *traditionem*; sed unum præscribunt tanquam absolute necessarium, alterum commendant tanquam retinendum ex Christi exemplo, atque ob mysticam rei significationem. Primum ex Romanis Pontificibus mandasse, ut in consecratione calicis admisceatur parum aquæ, Alexandrum, qui Pontifex creatus est an. 109. & juxta Baronium an. 121. scribunt quamplurimi: fatemur nos antea à Christo, & ab Apostolis id traditum, ut ostendit lib. 1. de Rebus Liturgicis § 3. Eminentissimus Bona; non ita tamen, ut Christus id expresse præceperit faciendum, sed quia hoc Christus fecisse creditur, idem Apostoli servarunt exemplo Christi, & idcirco Ecclesia jure optimo custodiendum esse decrevit.

22. Probatur praxi, definitione, & ratione, quòd aqua infundi debeat.

Propositio IV. Aqua calici infundi debet in modica quantitate.

Id simul Ecclesiæ praxi, definitione, & ratione probatur. In antiquo enim Ordine Romano apud illustrem Mabillonium, ubi agitur de Missa celebrata à summo Pontifice, habetur: *Post aquæ benedictionem ponit cum cochleari tres guttas aquæ.* Communis vero Ritus celebrandi Missam §. VII. num. 4. præcipit Sacerdoti, ut *parum aquæ* infundat in calicem: & num. 9. de Subdiacono in Missa solemni ministrante, *Infundit* (inquit) *paululum aquæ in calicem.* Triburiense Concilium an. 895. can. 19. præcepit, ut saltem duæ partes sint vini, & aqua partem tertiam non excedat, hac producta ratione, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi. Honorius III. in literis ad Archiepiscopum Upsalensem in Svecia, pernicioſum, & contrarium consuetudini universalis Ecclesiæ appellat abusum quorumdam septemtrionalium, qui ob vini penuriam in sacrificio ponebant *in majori quantitate de aqua, quam de vino:* ac postremo Eugenius IV. in Instructione Armeniorum declarans materiam consecrationis esse panem triticeum & vinum de vite, addit: *Cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* Ex his autem Catholicæ Ecclesiæ praxis, definitio, satisque obvia ratio depromitur.

23. Aqua vino mixta convertitur in sanguinem.

Proposit. V. Etiam aqua vino permixta convertitur in Christi sanguinem.

Hæc assertio certa, & communis est, & juxta Baronium ad annum 1188. perpetua S. Romanæ Ecclesiæ fide corroboratur, quamquam Theologi bene multi negant hanc propositionem esse fide certam, propterea quod nullo divinæ Scripturæ testimonio, nullaque Conciliorum Generalium definitione possit invictissimè demonstrari, & Innocentius III. Cap. *Cum Marthæ*, extra, de celebrat. Missar. *probabiliorem* quidem sententiam hanc appellaverit, non autem Catholica fide tenendam. Ut ut autem sit, pertineat scilicet ad Fidei decreta, vel non pertineat; hujus sententiæ firmitas apparet primò ex verbis consecrationis super vinum aqua temperatum prolatis, in quibus *absolute*, & absque ulla exceptione inquit Sacerdos, *Hic est enim calix sanguinis mei, &c.* ac statim quidquid in calice est, offert Deo, exhibetque populis adorandum: quod utique argumento est, aquam vino permixtam, simul cum ipso factam sanguinem. Idem præterea tradunt Patres; non ii tantum, qui scribunt Christum Dominum consecrasse calicem mixtum, aut vinum aqua temperatum: quorum nonnullos produximus paulo supra; verum etiam alii permulti, qui expresse pronuntiant, nil, præter Christi sanguinem in calice contineri, consecratione peracta. Quod profecto affirmat Irenæus lib. IV. cap. 33. num. 2. scribens: *Temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit.* Ambrosius in IV. de Sacram. cap. 4. num. 19. *Ergo didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis:* quæ verba extant etiam cap. *Panis*, de Consecrat. dist. 2. Paschasius Ratbertus in libro de Corpore & Sanguine Domini cap 11. *Aqua consecratur*, inquit, *non quod aqua permaneat, sed vertitur in sanguinem.* Similia Theodoretus in priori Dialogo, Damascenus lib. IV. cap. 14. Hildebertus Cenomanensis, & Algerus Leodiensis: quorum verba, cum producta sint à Sylvio in 3. p. quæst. 74. art. 8. & à recentioribus compluribus, brevitatis gratiâ prætermittam. Addam vero Anselmum Havelbergensem Episcopum, qui floruit eadem cum D. Bernardo ætate, & anno 1145. libros Dialogorum nuncupavit Eugenio III. Pontif. nam Dialogo III. cap. 20. hanc veritatem simul tradit, & illustrat his verbis: *Ne mireris quod dico, liquores, aqua scilicet & vinum, simul consecrata in unum, scilicet sanguinem, divina operatione transeunt ad spiritualem vegetationem animarum nostrarum; cum quotidie quotquot liquores sumimus, in nostrum transeant sanguinem ad sustentationem corporum nostrorum. Ob hoc quippe non inconvenienter vinum & aqua prius mystice commiscetur, & tamen post consecrationem nonnisi sanguis bibitur; quia in illo prius per aquam baptizati, postea eum esuriendo, & sitiendo spiritualiter potamus, &c.* Vide Spicilegium D'Achery tom. I. pag. 206. Demum, cùm anno 1188. hæc eadem quæstio in Galliis esset exorta, num aqua permixta vino vertatur in Christi sanguinem, aut substantiam retinens suam inter species vini delitescat, delata fuit hæc controversia, tanquam ad judicem, ad Gaufridum olim sancti Bernardi secretarium, à Gaufrido autem ad Henricum Episcopum Albanensem, per id temporis in Gallia Apostolicæ Sedis Legatum. Et Gaufridus quidem hæc, quæ à nobis dicta sunt, ratione & auctoritate commonstrat singulari epistola, quæ extat Volum. 3. pag. 208. Annalium Cistercienſium Angeli Manrique. At Henrici Cardinalis responsum non inveniri scribit Baronius; Gaufridi tamen illum confirmasse sententiam observat præcitatus Historicus Cistercienſis: imo Baronius, ut dixi, ait, non aliud rescribere potuisse, *quam quod credidit, & custodivit semper sancta Romana Ecclesia, nimirum aquam simul & vinum transsubstantiari in sanguinem Christi.* Quod *probabilius* esse docuit post decennium plus, minusve, Innocentius III. cap. prælaudato *Cum Marthæ*, consultus de ea re à Joanne Bellemensi Archiepiscopo quondam Lugduni, postea verò, depositis infulis, Cistercienſi Monacho. Atque hinc eruimus, epistolis Gaufridi, & Henrici controversiam non fuisse sopitam, & Innocentium nullatenus oppositam condemnasse. Quamobrem aliquantulum excessisse Baronium, inquit ad an. 1188. Antonius Pagius, num. XII. Sed Baronium sequitur citato loco Manricus, paulo asperius Scholasticos insectatus. Spondanus quoque eodem anno num. V. sententiam contrariam appellat *hæresim*, narratque ex Historia Slavorum insigne miraculum, quo apertissimè refutatur. Adeas Baronium ad annum MCLXXXVIII. num. 27. ad 30. Pagium, & Spondanum ibidem, & Angelum Manricum eodem anno cap. 3.

Propo-

24. Et quidem probabilius immediatè contra nonnullos.

Propositio VI. Probabilius est, aquam vino permixtam *immediate* in Christi sanguinem converti.

Non absolute thesim hanc pronuntiamus, sed tanquam probabiliorem; haud quippe ignoramus, oppositum teneri à multis Aristotelicæ præsertim addictis philosophiæ: inter quos eminent S. Thomas 3. p. q. 74. art. 8. & in dist. XI. q. 2. art. 4. Scotus etiam, S. Bonaventura, Alensis, Major, Paludanus, aliique permulti, eadem distinctione XI.

Fundamenta sententiæ oppositæ.

Quorum argumenta sunt, quod vinum, non aqua, est Eucharistiæ *materia essentialis*, uti definitum est tertia propositione. Alterum, quod Innocentius III. cap. *Cum Marthæ*, opinionibus aliis productis ait: *Verum inter opiniones prædictas illa probabilor judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari*; quo in loco loquitur proculdubio de aqua in vinum conversa, nam paulo supra opinionem istam exponens, *Cum in vinum*, inquit, *transeat mixta vino*: ac ea iem prorsus scribit lib. IV. de Myst. Missæ cap. 29. pag. edit. Colon. 389. Similia Catechismus Romanus 2. p. cap. 4. num. 17. Præterea non alia ratione quidam, ut Cistercienses, Carthusiani, & FF. Prædicatores, ponunt aquam, vinumque in calicem statim ac ad altare perveniunt, nisi ut longiori temporis intervallo hæc aquæ in vinum conversio faciliùs perficiatur. Addunt insuper Joannes Andreas, Panormitanus, aliique celebres JCC. apud Raymundum Capisucchium, qui de hoc argumento prolixam edidit dissertationem, haud spernendam conjecturam ex mysterii significatione depromptam; scilicet, *quia Christus non mutatur in Ecclesiam, sed Ecclesia in Christum.* Tandem Sylvius, Suarez, Vasquez, Valentia, & Azorius huic argumento inesse putant vim plurimam; quod si *species* aquæ separarentur à *speciebus* vini physico aliquo artificio, aut vino acescente accidentia aquæ persisterent, sub iis tantum servaretur Christi sanguis, quod omnino videtur absurdum & commentitium.

25. Probat auctor suam sententiam.

At longe probabilior est sententia paulo ante à nobis proposita. Ac primo ipsam tenere debent, qui aliam sectantur ab Aristotelica physiologiam, atque in mixtis particulas rerum miscibilium permanere censent, de rebus aut percolatione liquidorum, aut concursu, attritu, conflictuque athomorum concrescentibus, cum Lucretio lib. I. asserentes,

Inveniens intus multarum semina rerum
Corpora celare, & varias cohibere figuras.

Hi quippe philosophi docent corpus mixtum fieri ex elementis coeuntibus, neque in illo unam tantum esse *formam*, sicut de mixto homogeneo docet Aristoteles, nisi *formæ* nomine intelligas aptam elementorum compositionem, quæ licet elementis accidentaria sit, *essentialis* est tamen corpori mixto; fitque aut percolatione, ut in sanguine, oleo, vino; aut sublimatione, ut in fuligine, salibusque arte chimica extractis; aut calcinatione, ut in cinere & in calce; aut concretione, aut exhalatione, aut modis aliis, de quibus pertractant Physici. Deinde non tantum Gassendus tom. I. pag. 465. sed & qui in pluribus Aristotelem sequuntur, negant aquam vino mixtam deperdere naturam suam; primum quia si guttatim affundatur vino quantitas aquæ major, liquor erit aquæ, quàm vino similior; ut ratiocinatur Vanroy cap. 2. q. 6. insuper, quia si aqua injecta in vinum in ipsum verteretur, absque negotio ullo ex uno vini dolio paulatim addita aqua centum fierent, ut demonstrat Dominicanus Scriptor de Re Sacrament. tom. I. pag. 371. ulterius, quia si post guttam in vinum versam affundatur alia, & rursus alia, & alia, quousque moles in duplum, decuplum, & centuplum excrescat, tota illa moles non erit vinum, nec potest inveniri, à qua gutta aquæ moles ipsa exuere cœperit naturam suam; ut post Gassendum argumentatur Augustinianus Theologus Lovanienſis laudatus supra capite IV.

Dic mihi, cur vinum destruxit mixtio nona
Vel decima? cur non post eam vinum manet?

Tandem commonstrant Physici aquam à vino, cui permixta fuit, separari: & quamquam reponant adversarii aquam eam non esse, sed tenuiores vini partes; contrarium tamen deprehenditur gustu ac sapore: & ipse Innocentius Tertius cit. cap. *Cum Marthæ*, §. *Quæsivisti*, recitata opinione adversariorum, addit è vestigio: *Licet physici contrarium asseverent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari.*

26. Satisfacit auctor aliquorum argumentis.

Nec urgent plurimum argumenta opposita; ex verbis enim Innocentii nunc productis, constat illum potius senten-

tiæ nostræ adhærere, ut animadvertit Tournely pag. Venet. edit. 204. quamquam nos faciliori via primo, aliisque argumentis respondemus, utique verti aquam in Christi sanguinem, *cum prius mixta transierit in vinum*, sed miscibilia eo sensu dici transmutata, & conversa, quod unius particulæ ita insinuentur particulis alterius, ut propriam *formam*, & consistentiam amittant, ac prorsus videantur evanuisse. Atque ita stat sua Innocentio, necnon D. Thomæ auctoritas; imo & Aristoteli, si tamen hujus habenda sit ratio: nam Philosophus ille in 1. de Generat. cap. 5. expresse negat posse aquam physice converti in vinum, ut contendunt Aegidius Coninch tom. 1. de Sacram. q. 74. art. 8. Joannes Cardinalis de Lugo de Euch. disput. 1v. sect. 4. num. 58. & qui præcedenti sectione tertia ab ipso viro doctissimo laudantur. Persistit hac ratione etiam Joannis Andreæ conjectura; tametsi necessarium non est, ut sit figuræ, reique eadem & peræqua proportio. Hi autem, qui initio Missæ aquam vinumque permiscent, non id faciunt, ut commode queat illa induere naturam vini, ut sibi vulgares homines persuadent: sed ex eorum consuetudine, qui principio sacra dona parabant, ut de Græcis ait lib. 2. Rerum Liturg. cap. 1x. pag. Rom. edit. 369. eruditissimus Cardinalis Joannes Bona. Quod nonnulli, etiam viri docti, minime advertentes, dixerunt Græcos aquam non apponere, aut infundere duntaxat aquam calidam post consecrationem; quod nobis exprobrasse Gabrielem Philadelphiensem scripsimus proposit. 2. Hunc utique ritum ex ea consuetudine promanasse scite observat BENEDICTUS XIV. de Sacrif. Missæ sect. 1. num. 260. probans quæ ad hanc oppositionem respondet Gaspar Juenin dissert. 1v. quæst. 2. §. 3. Atque his subscribit etiam Dominicanus Auctor de Re Sacramen pag. 372. hac ductus ratione, quod si Sacerdos consecraturus mox calicem meminerit non appositisse ante aquam, ponit illico, nullaque mora interposita, profert verba consecrationis, ex Rubricis Missalis tit. *De defectu vini*, num. 3. Corruit denique objectio ultima; siquidem cum aqua sit idonea sacramenti *materies*, non ratione sui, sed quatenus permixta vino; si ab hujus *speciebus* separentur *species* aquæ, non possunt hæ sacramenti retinere rationem, debentque pristinam aquæ naturam induere: quamquam, si talis separatio fieri potest, adversarii suomet argumento oppugnantur; si nequi fieri, illud urgentes oleum, operamque deperdunt. At de materia consecrationis calicis, ubi appositio notationem quamdam historicam, & moralem, dictum satis, superque.

ADNOTATIO.

27. Quid sentiendum de historia relata à Raphaele volaterrano &c.

Consignarunt nonnulli literis, atque hos inter in septimo Geographiæ libro Raphael Volaterranus, Innocentium VIII. ad apicem Pontificatus evectum an. 1484. rebus præclare gestis, laudibusque, & hymnis Angeli Politiani celebratum indulsisse Norvegis, ut absque vino sacrificarent, *quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acescat*. Ad eandem dispensationem concedendam pronum fuisse Alexandrum VI. successorem Innocentii, scribit Bartholomæus Fumus in Summa. Id posse concedi à Pontifice, ut absque vino conficiatur Eucharistia in iis regionibus, in quibus vinum nequit haberi, scripsit vir quidam fama sanctitatis conspicuus; nec ejus doctrinam causæ beatificationis ejus attulisse impedimentum, prodidit lib. 2. de Servorum Dei Beatif. cap. 31. pag. 332. BENEDICTUS XIV.

28. Respondet auctor.

Verum, quantum ad historiam attinet, nunquam Romani Pontifices dispensarunt, ut absque vino sacrificium incruentum perageretur. De Innocentio constat, improbos quosdam homines sacrilege literas, quas ipsius nomine conscribebant, vitiasse, falsaque privilegia vendidisse, sacerdotio propterea exutos, ac supremo addictos supplicio, Dominicum quemdam Viterbiensem, & Franciscum Maldentem: qui & ementitum hoc privilegium Norvegis obtruserunt, & aliud conjugii permissi Gallo cuidam sacerdoti, atque sceleratissima alia hujus generis. Tanta vero certitudine hominum illorum nequitia comperta est, ut nullatenus potuerint strangulatus, incendiique pœnam evadere; quamvis eorum consanguinei reos sexdecim aureorum millibus, necnon magnis adhibitis deprecatoribus redimere adniterentur. Videsis Raynaldum ad annum 1490. num. 22. Abrahamum Bzovium ad eundem annum num. 39. citato loco Pontificem ter maximum, Burrium quoque, & Sandinum in Vitis Pontificum Romanorum. Nec adducta à Volaterrano subsistit ratio: vinum quippe in Norvegia facile asservari, & in usu esse, commonstrat eximius Pontifex, Natalis etiam Alexandri, Cardinalis de Lugo, aliorumque testimoniis productis. Quibus addo in calidis potius,

tius, quàm in frigidis regionibus vinum acescere; cum vinosi liquores acorem induant, ubi salia in iis delitescentia insolatione exaltantur, depresso sulphure; aut adeo particulæ motu circumvolvuntur, ut atterantur, atque ita oblongæ ac teretes athomi acuminentur, & linguam feriant stimulis acrioribus. Quare si diuturniori motu adeo colliduntur, ut fiant nimium flexiles, nec amplius queant commovere linguæ nervulos, sive vehementiori insolatione avolent vinosi spiritus; liquor acescens acorem amittit, & in vappam vinumque insipidum redit: quod & evenit, ubi in acetum injicitur calx plumbi; quoniam particulæ salis Saturni salibus acetosis adjectæ, iisque cohærentes aciem illorum atterunt, ac retundunt. Atque ita falsam illam de Norvegis opinionem aceto perfundimus. Alexandrum autem VI. à priori sententia recessisse, re penitius discussa, tradit prælaudatus Auctor Summæ, imo hæc ab ipso relata ex vagis incertisque rumoribus, scribit Natalis Alexander de Euch. art. 3. prop. 4. regula 3. Non ergo aut Innocentii, aut Alexandri dispensatio potest obtrudi. De servo Dei, cujus nomen reticet eo loci BENEDICTUS, respondet ipsemet nulla animadversione sententiam ejus fuisse notatam, quod scripserit tunc temporis, *quando Breve Innocentii habebatur tanquam legitimum*: quod virum accuratissimum, ac diu in Sanctorum actis pervolutandis, dijudicandisque exercitatum latere nequaquam poterat.

29. An fas sit consecrare in una tantùm specie, si desit altera.

Et hæc quidem, quantum ad historiam spectat, satis est adnotavisse. Nam quantum ad eam quæstionem, utrum fas sit sacrificare in una tantum *specie*, si desit altera, adhærendum existimamus D. Thomæ III. p. q. 74. art. 1. ad 2. Sylvio ibidem Concl. 2. & 3. Soto in IV. dist. IX. quæst. 1. art. 1. Suaresio in q. 74. art. 2. sect. 4. & Theologis aliis numero, & auctoritate præcipuis. Etenim exigit jus naturæ, ut Deo sacrificium offeratur in genere suo perfectum, atque completum: jus quoque divinum, & Christi institutio utramque *speciem* consecrandam esse definiunt. In iis vero, quæ juris aut naturalis, aut divini sunt, nec Pontifex suprema præditus potestate dispensat, ut suadet ratio, docetque Urbanus, & Zozimus Cap. *Sunt quidam*, & cap. *Contra statuta*, c. XXV. quæst. 1. num. 6. & 7. Quamquam autem Gabriel Biel lect. 84. in Canonem Missæ, Joannes Major in IV. dist. 13. q. 3. & Antoninus Diana p. 8. Tract. de Potest. Pontif. in ordine ad Sacram. Resolut. 23. teneant probabiliorem esse contrariam sententiam, non quod Pontifex revera in naturali, aut divino jure dispenset, si permittat confici Eucharistiam in una *specie*, ubi nequeat haberi alia: sed quod declaret solummodo præceptum *integre sacrificandi* tunc non urgere, propter summam necessitatem, corruit tamen opinio hæc, quoniam admissa etiam alicujus regionis inopia, vinique penuria, hoc sacramentum utilitatis quidem est maximæ, sed non absolutæ necessitatis; nec ptopter unius provinciæ commodum recedere fas est à Christi institutione, ab immutabili divini juris præscripto, & à ritu universalis Ecclesiæ. Atque ob eandem rationem arbitror nefas esse unam tantum *speciem* consecrare, non ad sacrificium peragendum, sed ad percipiendam communionem; propterea quod Eucharistia ex Christi instituto, & ritu Ecclesiæ nonnisi à Sacerdotibus sacrificantibus consecratur: nec communio sub præcepto esset, ubi cogente necessitate non posset sacrificium offerri, Atque hæc erat adnotatio absoluto capiti sexto subjicienda.

CAPUT VII.

De verbis, quibus consecratur Eucharistia.

SUMMARIUM.

1. Præliminaria.
2. Verba consecratoria non tantùm historicè, sed & significativè proferuntur.
3. Christus Eucharistiam instituens usus est verbis.
4. Hoc tamen nullo decreto Ecclesiæ est definitum.
5. Usque ad 9. Eucharistia verbis Dominicis, non precibus, quæ antea, vel postea recitantur, à sacerdotibus consecratur.
9. & 10. 11. & 12. Occurritur fundamento oppositio.
13. De voce antitypi.
14. Quænam verba sint essentialia.
15. Usque ad 21. solvuntur objectiones.
21. Verba consecrationis non tantùm narrativè, sed assertivè & significativè pronuntiantur.
22. & 23. Solvuntur objectiones.
24. Qua voce proferenda sint verba consecrationis.

Quod

1. De verbis, quibus consecratur Eucharistia contra hæreticos.

Quod universim de Sacramentis asserui libro XXX. cap. 9. & 11. perfici nimirum illa *rebus* ac *verbis*, id profecto de Eucharistia est affirmandum. Dicturus ergo in præsentia *de verbis Consecrationis*, hæreticos, Græcos schismaticos, & scholasticorum nonnullos refellendos, & oppugnandos aggredior. Nam permulti hæretici negant in Eucharistia verba aliqua esse pronuntianda, ut Martinus Bucerus in cap. 26. Matthæi: alii proferenda quidem censent, sed historicè, recitativè, ac narrativè, ad fidem nempe excitandam, ut Calvinus lib. IV. Institut. cap. 17. num. 19. quidam vim quamdam consecrationis attribuunt verbis, at non iis solis, quæ creditur Dominus protulisse, sed etiam aliis ea præcedentibus aut consequentibus, à sacerdote prolatis, ut Lutherus in libro de abroganda Missa, & in Formula Missæ pro Ecclesia Wittembergensi. Græci autem complures contendunt non solùm Dominicis verbis, verum etiam consequente oratione & benedictione sacerdotis divinæ Eucharistiæ munera sanctificari, ut Nicolaus Cabasilas in Exposit. Liturgiæ cap. 27. & seqq. Marcus Ephesius in Opusculo, quod inscripsit, ὅτι δυ μόνον ἀπὸ τῆς φωνῆς τῶν δεσποτικῶν ῥημάτων ἁγιάζονται τὰ θεῖα δῶρα, id est. *Quod non solum à voce Dominicorum verborum sanctificantur divina dona*, Simeon Thessalonicensis agens de particulis, quæ offeruntur in Liturgia, & Samonas Archiepiscopus Gazæ in disputat. habita cum homine quodam Saraceno. Everterunt utique falsam hanc Græcorum opinionem Cardinalis Bessarion in Opusculo de Eucharist. quod extat tom. XXVI. Bibl. PP. pag. 787. Allatius lib. III. de Consensu Occident. & Orientat. Eccles. cap. 15. num. 32. & seqq. necnon Arcudius lib. III. Concordiæ à vicesimo sexto capite usque ad septimum ac tricesimum: sed eam tamen instaurarunt rursus Antonius Augustinus Toutteè differt. 3. præmissa Operibus S. Cyrilli, & Petrus Le Brun tom. 3. Explicat. suarum pag. 212. & sequentibus, refutati à viris clarissimis, Bougeantio, Ursio, Meratio, ac tandem à BENEDICTO XIV. de Sacrif. Missæ sect. 1. num. 258. Inter Scholasticos quidam post Catharinum, & Mayronium asseruere Christum nullis verbis in consecratione usum fuisse, præscriptam ab eo tamen *formam* consecrationis, quam adhiberent sacerdotes: de qua sententia legendus Salmeron tom. IX. tractat. 13. Juenin q. 3. de Euch. cap. 1. Tournelius pag. 209. De Scoto fert vulgaris opinio, existimasse illum, quod ea verba, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, ad consecrationem non sufficiant, propterea quod nisi addantur præcedentia, referuntur ad personam loquentis, nec *absolute* significant contineri sub panis vinique speciebus corpus, & sanguinem Domini. Et hæc quidem videtur tradere subtilis Doctor in IV. dist. 8. q. 2. sed tamen hunc à communi sententia, quam infrà propugnabo, nequaquam recedere censent Mastrius Disput. 3. de Sacram. q. 6. Frassen de forma consecrat. q. 3. Concl. 1. Hennius disp. 3. q. 2. Fabro, Brancato, & Scotistarum aliis eam, quæ Scoti nomine circumfertur, opinionem tenentibus. Quantum ad Thomistas attinet, horum plures inquiunt S. Thomam 3. p. q. 78. art. 3. docuisse, quod omnia verba, quæ à Latinis proferuntur in consecratione calicis, pertineant *ad formæ substantiam*, pro qua sententia accurate disputant Gonet disput. VII. art. 2. Capisuccus Controvers. 2. pag. 177. & seqq. & præter complures alios eo loci laudatos, Natalis Alexander de Euch. art. 6. prop. unica, Regula 3. Thomistarum tamen multi student præceptorem suum ad communiorem sententiam mox explicandam pertrahere; atque, ut mittam Sotum, Joannem à sancto Thoma, & quos recensent præcitati Capisuccus & Gonet, id præstant Sylvius in quæst. LXXVIII. art. 3. Contensonius differt. 2. cap. 2. spec. 2. & Cardinalis Gotti quæst. 2. dub. 3. quos ex multis satis est laudavisse.

2. Verba consecratoria non tantum historicè, sed & significativè proferuntur.

Inter Catholicos ergo communior, ac verior sententia est, Dominum Jesum consecrasse Eucharistiam verbis, & hæc præscripsisse sacerdotibus consecraturis: eadem verba non *historicè* tantum, sed *significativè* proferri; id est, non enarrare quod Christus gessit, sed consecrare subjectam materiam: ac virtutem consecrandi solis inesse verbis, quæ Salvatoris nomine proferuntur; & *essentialia* quidem esse, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, sed non tamen alia posse prætermitti absque crimine sacrilegii. Quam sententiam propugnaturus præmitto varias consecrationis formulas ab illustri Martenio collectas lib. 1. de antiq. Eccl. ritibus cap. IV. art. 8. n. 19. In Liturgia ergo sancti Jacobi consecrandi formula hisce verbis exprimitur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, & datur in remissionem peccatorum. Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & pro*

pro multis effunditur, & datur in remissionem peccatorum. Addit Liturgia S. Marci post pronomen *Hoc*, &, *Hic* particulam *enim*. In Constitut. Apostol. sub Clementis nomine lib. VIII. cap. 17. hæc extat formula, *Hoc est corpus meum, quod pro multis frangitur in remissionem peccatorum. Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* In Liturgiis sanctorum Basilii, & Chrysostomi post *Sanguis meus* additur, *novi testamenti.* Consimilis est Liturgia sancti Cyrilli. Aethiopes utrique formulæ addunt, *Amen.* Mozarabes hac utuntur: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic est calix novi testamenti in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In libris Sacramentorum laudatis Ambrosii nomine forma hæc legitur: *Hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur. Hic est enim sanguis meus.* Sacramentarium denique S. Gregorii, Missale Romanum, Ambrosianum, Indorum, aliaque hanc exhibent: *Hoc est enim corpus meum. Hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* His autem exscriptis formulis, propositam controversiam ita partimur, atque expedimus.

3. Probatur ex novo testamento &c. quòd Christus usus fuerit verbis.

Prop. I. Christus Eucharistiam instituendo usus est verbis.

Demonstratur 1. Constat ex Evangelistis, & ex priori ad Corinthios Epistola cap. XI. Dominum Jesum in institutione cœnæ verba consecrationis protulisse, simul præceptionem illam subjiciens, *Hoc facite in meam commemorationem.* Igitur sacerdotes idipsum, iisdemque verbis faciunt, quod fecit Christus; ideoque si sacerdotes verbis consecrant, id quoque perfecit Dominus. II. Tridentina Synodus sess. XIII. cap. 1. ita de Eucharistia loquitur: *Hoc admirabile Sacramentum in ultima cœna instituit, cum post panis vinique benedictionem, se suum corpus præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est: quæ verba à sanctis Evangelistis commemorata, à divo Paulo postea repetita sunt.* Non ergo in benedictione panis & vini, sed in verbis post ipsam benedictionem prolatis, institutio, & consecratio Eucharistiæ sita est. III. Eadem est sententia Patrum, quos proxima proposit. 3. laudabo. IV. Oppositum quidam tenuere, propterea quod *benedictio* Domini, & *consecratio* idem sint, ex Apostolo 1. ad Corinth. X. 14. scribente, *Calix benedictionis, cui benedicimus;* Dominus vero panem vinumque benedixerit ante prolationem verborum. At nihil ea ratione concluditur. Principio enim in ea sumus sententia, quod benedictio, & gratiarum actio fuerint ritus consecrationi præmissi, quia id commonstrat planior Evangelicæ historiæ sensus; quia id innuit vox aoristica, εὐλογήσας, id est, *Cum bene lixisset*, & εὐχαριστήσας, scilicet, *Cum gratias egisset*, quæ præteriti temporis habent significationem; & quia, ut ostendi cap. 3. servavit Dominus in postrema cœna ritus Judæorum, qui panem cum actione gratiarum frangebant. Quæ expendens Estius in caput XXVI. 26. Mat. *Improbabiliter* (inquit) *nostro judicio sentiunt qui hanc benedictionem putant fuisse ipsam consecrationem corporis Domini.* Idem docet in 1. ad Corinth. cap. 10. ubi etiam post Jansenium observat, Jesum magna aggressurum miracula in cælum oculos elevasse, & Patri gratias egisse, ut præstitit suscitaturus Lazarum, & panes multiplicaturus: nec aliter in Comment riis suis Calmetius. At de his plura libro XXX. cap. 11. Deinde non desunt eximii Theologi, qui *benedictionem*, & *consecrationem* iisdem verbis putant esse peractam; à qua sententia non videntur alieni S. Thomas 3. p. q. 78 art. 1. Joannes à S. Thoma disput. 29. de Euch. Bellarminus lib. IV. cap. 8. Becanus in Summa cap. 2. q. 3. Du-Hamelius cap. IV. num. 3. aliique permulti apud Capisuc. pag. 167. quoniam Ecclesiæ Patres sæpenumero consecrationem, & mysticam benedictionem indiscriminatim accipiunt; & revera quod consecratur, cælesti benedictione repletur. Quibus Theologis si opponas quod nuper diximus, benedictionem præcessisse consecrationi; in promptu respondent, Evangelistas non semper narrare res eo ordine, quo gestæ sunt, ut lib. de Consensu Evangelistarum non uno in loco animadvertit sapientissimus Augustinus. Verùm postremam sententiam istam ortam puto ex æquivocatione verborum; nam si *benedictionem* accipias pro oratione seu apprecatione facta sacris muneribus consecrandis, & quam non credo fuisse à Domino prætermissam, benedictio à consecratione diversa est: si autem *benedictionem* dixeris, quod mystica dona immutat, redditque sancta, benedicta, vivifica, proculdubio idem sunt verba consecrationis & benedictio. Hac autem distinctione præmissa facile solvitur quidquid solent opponere sen-

tentiæ illius auctores, sive ratiocinationibus suis, sive veterum testimoniis.

4. Hoc tamen decreto Ecclesiæ non est definitum.

Propos. II. Nullo Ecclesiæ decreto definitum est, Christum Dominum in Eucharistiæ consecratione verba quædam adhibuisse.

Aut enim id præcitatis Tridentini Concilii verbis commonstraretur, aut Florentini hæc in decreto unionis asserentis: *Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum.* At quamquam revera propositionem præcedentem adstruere videantur hæc sacrosancta Concilia; staret nihilominus sua illis auctoritas, si diceretur Dominum Jesum *benedictione* sua consecrasse, ac statim præscripsisse *formam*, qua consecrarent presbyteri, adeo, ut *instituere, & conficere sacramentum* designet utrumque, id est, consecrationem tunc à Christo *benedictione* peractam, & determinationem *formæ* ab aliis in consecratione adhibendæ. Ut enim Deus-homo potuit absque verbis peccata dimittere, & dare Spiritum sanctum, quæ duo nos sola ministerii præditi potestate præstamus instrumentis, verbisque ab eo præstitutis; ita potuit panem vinumque convertere in corpus & sanguinem suum, quam conversionem decebat à nobis fieri subordinatione ministerii, & modo ipsius auctoritate instituto. Atque hac propositione ita à nobis explicata, sequitur necessariam esse *formam* in consecratione, tametsi, uti visum nonnullis, absque illa Dominus consecrasset. II. Invicte tamen non demonstratur hæc thesis ex cap. 24. Lucæ, ubi narratur Christum in Emmaus panem benedixisse & fregisse, nulla expressa verborum formula. Sunt enim bene multi, qui negant tunc Jesum confecisse Eucharistiam, ut observant Lyranus, Maldonatus, Jansenius, Calmet, alii. Deinde si Eucharistiam confecisse dicendus est, quod utique affirmat S. P. Augustinus lib. 3. de Consensu Evang. cap. 25. num. 72. & serm. 87. de diversis, nunc 234. num. 2. non probatur ex silentio Scripturæ Christum non protulisse verba consecrationis; præsertim cum viri docti benedictionem, & prolationem verborum idem esse contendant, ut diximus paulo supra. III. Nihil de hac quæstione ab Ecclesia definitum testantur in fine Opusculi 2. Ambrosius Catharinus, Alphonsus Salmeron circa finem præcitati Tract. XIII. & ex Scholasticis Juenin q. 3. cap. 1. Tournely pag. 214. Du-Hamelius pag. 753. Nec probabile est sacrosanctum Concilium coadunatum ad hæreses extirpandas voluisse censuram inurere sententiæ, quam viri celebres tenuerunt, & quæ hæreticorum, ex Christi consecratione necessitatem proferendæ *formæ* negantium, elidit quamfacillime cavillationes. IV. Subscribunt denique non Catharinus tantum, & Christophorus à Capitefontium, verum etiam Archidiaconus, seu Guido Bononiensis, & Guilelmus Durandus lib. IV. Rationalis divin. Offic. cap. 41. num. 15. Innocentio III. scribenti lib. IV. Myst. Missæ cap. 6. pag. edit. Colon. 337. *Sane dici potest, quod Christus divina virtute confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se virtute propria benedixit: nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis.* Hæc tamen Innocentii verba præcedenti propositioni non adversa tur; siquidem *opinative* tantum prolata sunt, ut animadvertit S. Thomas 3. p. q. 78. art. 1. ad 1.

5. Demonstratur ex Tridentina & Florentina Synodo &c. verbis Dominicis, & non precibus Eucharistiam consecrari.

Prop. III. Eucharistia verbis Dominicis, non precibus, quæ antea, vel postea recitantur, à Sacerdotibus consecratur.

Demonstratur primo; nam Tridentina, ac Florentina Synodus declarant Eucharistiam institutam, confectumque sacramentum verbis, quæ à sanctis Evangelistis commemorata & ab Apostolo repetita sunt, quibus testatus est Dominus corpus, & sanguinem suum præbere discipulis, & quorum prolatione loquitur Sacerdos in Christi persona. At hæc verba sunt ea tantum, quæ Dominus pronuntiavit. His igitur verbis solis conficitur, consecraturque Eucharistia. Probatur secundo Latinorum Patrum auctoritate: inter quos Tertullianus lib. IV. contra Marcionem cap. 40. ait: *Accepit panem, & distributum discipulis corpus illum suum fecit dicendo: Hoc est meum corpus.* Ambrosius de Mysteriis cap. IX. num. 52. *Quod si tantum*, inquit, *valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur?* Quæ verba num. 54. Ambrosius recensens sequitur: *Ipse clamat Dominus Jesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem Corpus significatur, &c.* In quem locum recte Benedictini Editores: *Hic apertissime sacramentalis consecratio fieri docetur ipsismet Domini verbis;* observant-

que

que accurate hunc locum valere plurimum ad componenda scholarum dissidia; siquidem ex his liquet consecrationem, & benedictionem idem sonare. Eadem vero repetit S. Pater, aut quisquis auctor est librorum de Sacramentis, lib. IV. cap. 4. num. 14. scribens: *Sermo Christi hoc conficit sacramentum*; ac num. 19. *Fit sanguis consecratione verbi cœlestis*, necnon cap. 5. num. 23. *Antequam consecretur, panis est: ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi*, aliaque plura de quibus vide quæ scripsimus Volum. VI. pag. 77. Ne autem reponas etiam preces, & quæ historice recitantur esse Dei verbum, & Christi sermonem; duo animadverto; primum scilicet, quod Ambrosius sermonem Christi, & verba consecrationis ea tantum appellat, quæ Christi nomine proferuntur, dicens de Mysteriis loco cit. *Ipse clamat Dominus Jesus, Hoc est corpus meum*; & in IV. de Sacram. cap. 5. num. 22. *Illa verba Evangelistæ sunt usque ad Accipite: Inde verba sunt Christi.* Alterum, quod Ambrosius expresse à verbis consecrationis sejungit preces, & quidquid aut orando, aut narrando profertur; ait enim præcedenti n. 14. *Consecratio autem, quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur in superioribus, à sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris: ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.* S. P. Augustinus serm. 227. aliàs 83. de divers. inquit: *Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, imo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi.* Vide apud Martenium tom. I. de Antiq. Eccl. Rit. pag. 405. testimonia reliqua Latinorum, Eusebii Emissæni, Remigii Antissiodorensis, Paschasii Radberti, Stephani Eduensis, necnon professionem fidei, qua Berengarius hæresim suam abjuravit.

6. Contra Græcos autem urgent PP. Orientales.

Adversus autem Græcos, quos præcipue patimur adversarios, urgemus primo testimonia Patrum Orientalium. Nam Justinus Apologia 2. pag. edit. Jonnii 98. docet Eucharistiam consecrari δι' εὐχῆς λόγου *per orationem verbi:* ubi advertas, quæso, nomine εὐχῆς non significari effusam deprecationem, sed animi sententiam expressam verbis, hoc præsertim loco, in quo linea post decima legitur orationem illam verbi fuisse quæ conscripta est in Evangeliis, nimirum, τοῦτέστι τὸ σῶμά μου, *Hoc est corpus meum*, & τοῦτο ἐστὶ τὸ αἷμά μου, *Hoc est sanguis meus.* Ait etiam ibidem Justinus, Eucharistiam ea virtute perfici, *qua per verbum Dei caro factus est Jesus Christus Salvator noster*, quod utique per humanas preces factum non est. Irenæus l. IV adversus hær. cap. 32. & ex distinct. Massuet 17. num. 5. apertissime tradit Dominum in corpus suum vertisse creaturam panis, dum ait, *Hoc est meum corpus*: & lib. V. cap. 2. num. 3. de pane & vino, Καὶ, inquit, προσλαμβανόμενα τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ εὐχαριστία γίνεται, *Et percipientia Dei verbum Eucharistia fiunt.* Gregorius Nissenus in Orat. Catech. cap. 37. de pane loquitur ad hunc modum: ἐνθὺς πρὸς τὸ σῶμα διὰ τοῦ λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται, ὑπὸ τοῦ λόγου, ὅτι τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμά μου, *Statim per verbum in corpus mutatur, ut dictum est, à verbo, Hoc est corpus meum.* S. Joannes Chrysostomus hom. 2. in secundam Epistolam ad Timoth. demonstrat non homines, sed Christum sacrificia e divina dona, eandemque esse ipsius Christi ac sacerdotum oblationem, quoniam Eucharistia perficitur ejusdem Domini verbis, ita scribens: ὥσπερ γὰρ τὰ ῥήματα, ἅπερ ὁ Χριστὸς ἐφθέγξατο, τὰ αὐτὰ ἐστὶν, ἅπερ ὁ ἱερεὺς καὶ νῦν λέγει, οὕτος δὲ ἡ προσφορὰ ἡ αὐτή ἐστι, &c. *Quemadmodum enim verba, quæ protulit Christus, eadem sunt, quæ sacerdos nunc quoque pronunciat, ita & oblatio eadem est.* Et de proditione Judæ: τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα φησὶν ὁ ἱερεύς. τοῦτο τὸ ῥῆμα τὰ προκείμενα μεταρυθμίζει, *Hoc meum est corpus, inquit Sacerdos: hoc verbum proposita in aliam formam convertit.* Joannis Damasceni illustrem locum produximus tom. VI. pag. 76. Theophylactus in cap. 6. Joannis scribit transformari panem in Christi carnem ἀπορρήτοις λόγοις, *arcanis verbis:* de qua expressione lege Areudium lib. 3. c. 32. Postremo Joannes Phurnes in Epistola de ritibus in Communione immutatis apud Allatium lib. 3. de Perpet. Consens. Occidentalis & Orient. Eccles. cap XV. num. 32. hæc habet: ἄρτον τῆς εὐλογίας ὁρῶμεν ὑπὸ τῶν ἀποστόλων ἁγιαζόμενον ἐν τῷ μόνῳ ἁπλῶς ἐπιλέγεσθαι, τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, &c. *Panem benedictionis videmus ab Apostolis sanctificatum illis tantummodo verbis, Hoc est, &c.* Horum vero, aliorumque testimonia palmarem quoque rationem nobis commonstrant. Siquidem preces, & quidquid Liturgiæ superaddunt, Ecclesiasticæ institutionis sunt, non Dominicæ:

non Christi, sed nostro nomine proferuntur; nec significant latere sub panis vinique speciebus corpus & sanguinem Christi, sed hujus nobis communionem, gratiamque apprecantur. Si ergo Patres docent confici Eucharistiam, dum sacra munera percipiunt Dei verbum, dum sacerdos profert eundem Christi sermonem, dum ait, *Hoc est corpus meum;* omni dubio procul verbis istis, non adjectis precibus conficitur Sacramentum.

7. Refutantur Græci ex ipsismet Liturgiis.

Refutantur præterea Græci ex ipsismet Liturgiis, unde petunt erroris sui patrocinium. Primo enim Liturgiæ omnes *formam* consecrandæ Eucharistiæ in verbis Dominicis statuunt, in precibus autem adjectis plurimum discrepant: quod invicte demonstrat esse in his humanam, & variabilem institutionem, non à Christo statutam atque immutabilem. Deinde ne recedam à Liturgiis Basilii, Chrysostomi, aliisque apud Græcos receptis; cum Sacerdos alta voce pronuntiavit Christi verba, populus uno ore respondet, *Amen.* Qua responsione profitetur ita revera esse, quod Sacerdos elata voce affirmavit, panem nempe, vinumque in corpus, & sanguinem Christi transiisse: unde Cardinalis Bessarion tom. XXVI. Bibliothec. PP. pag. 795. ita Marcum Ephesium perstringit: *Sacerdote verba illa altâ voce, ut vos Græci soletis, pronunciante, assistens populus in utraque parte respondet, Amen, quasi dicat, verè ita est, ut tu dicis. Amen enim, cum affirmandi apud Hebræos adverbium sit, Græce idem quod Vere significat. Amen igitur ad ea verba respondens populus, Certe, inquit, corpus & sanguis Christi sunt munera ista proposita, ita credimus, ita confitemur. Et quomodo, quæso te, non esset turpe ad putandum, eos, qui doctiores haberi volunt, ea ignorare, quæ sæculares, & sacrarum literarum ignari respondendo Amen manifestè se scire significant?* Id confirmat Cardinalis amplissimus ex ritu, quo Diaconus, dum Sacerdos profert consecrationis verba, elevata stolæ extremitate, & quasi Præcursoris fungens officio, proposita dona commonstrat; ideoque ita Bessario prosequitur: *Quid? nonne assistens sacerdoti Diaconus, eique ministrans, dum sacerdos alta voce, juxta Orientalis Ecclesiæ ritum, verba illa pronunciat, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus, ipse propria stola duobus primis digitis tacta panem, & calicem ostendit? nihil aliud certe significans, nisi panem illum Christi esse corpus, & quod in calice est, esse sanguinem ejus, quemadmodum verbis illis asseritur. Et hæc sane ostendens Diaconus non mentitur, & non mentiens cum iis sentit, qui sola Domini verba ajunt hoc sacrum perficere sacramentum. Neque enim frustra tales institutæ sunt ab Ecclesia ceremoniæ.* Simili ratione adversus Græcos ratiocinatur Goarius in Euchologio pag. 139. in not. ad Missam Chrysostomi, Allatius cit. cap. XV. pag. 1234. & Arcudius lib. III. cap. 26. pag. 215.

8. Item ex apertissima suorum confessione.

Postremo iidem Græci refelluntur apertissimâ suorum confessione. Etenim sess. 25. Florentini Concilii ita de verbis illis, *Hoc est corpus meum,* protestati sunt: *Fateri nos diximus per hæc verba transubstantiari sacrum panem, & fieri corpus Christi: sed postea quemadmodum & ipsi dicitis, Jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum; ita nos quoque oramus dicentes, Ut Spiritus sanctus descendat super nos, & efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi tui, & quod in calice isto est, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutetque ipsa Spiritu sancto suo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, & non fiant in judicium & condemnationem nostram.* Vide tom. XIII. Concil. Labb. pag. 491. Joseph quoque Patriarcha Constantinopolitanus in extrema sententia ibidem pag. 498. *De mysteriis,* inquit, *fatemur ea consecrari per Domini voces, licet nos postea invocando dicamus, Fiat corpus, & sanguis Christi.* In Confessione pariter, quam ex autographo Florentiæ reperto edidit tom. I. Musei Italici pag. 243. præclarissimus Mabillonius, hæc perleguntur: *Quoniam ab omnibus sanctis Doctoribus Ecclesiæ, præsertim ab illo beatissimo Joanne Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audivimus verba Dominica esse illa, quæ mutant, & transubstantiant panem & vinum in Corpus verum Christi, & sanguinem, quod verba illa divina Salvatoris omnem virtutem transubstantiationis habent; nos ipsum sanctissimum Doctorem, & illius sententiam sequimur de necessitate.* Hanc autem Confessionem non levis esse momenti ad demonstrandam Græcorum de Eucharistia fidem, de qua tot ac tantæ controversiæ à Calvinistis excitatæ sunt, recte citato in loco affirmavit illustris Mabillon, cum & controversiam hanc dirimant, & transubstantiationem, de qua proximo capite, manifeste adstruant.

At

9. Opponuntur testimonia aliquorum Patrum. Ad quæ respondetur.

At adversus tertiam hanc positionem oppones primo illa Patrum testimonia, quæ precibus videntur Eucharistiæ tribuere consecrationem; cujusmodi sunt prælaudata verba Justini: Irenæi quoque in IV. adversus hæreses, cap. 18. Hieronymi in Epistola ad Evangelum, Augustini Tract. 118. in Joannem, & lib. III. de Trinit. c. 4. Synodi etiam Carisiacæ in Opusc. IV. apud Hincmarum: quæ omnia afferunt, explicantque Contens. tom. VIII. pag. 430. Juenin q. 3. de Euchar. art. 2. Tournelius q. 4. art. 8. Concl. 3. aliique passim. Quibus & respondent Eucharistiam eatenus precibus consecrari, quatenus sacra mysteria absque orationibus non peraguntur, non quatenus orationi vis inest consecrandi, sive, ut scholæ locutione inquiunt sua, *concomitanter*, aut *dispositive*, sed non *formaliter*. Atque huic responsioni suum stat communi Theologorum suffragio pondus ac robur. Puto tamen ego martyrem Justinum δι' εὐχῆς λόγε, non precem aliquam, sed enuntiativa Verbi Jesu verba expressisse, ut annotatum est paulo supra: idemque sentio de Irenæo eo loci scribente, *Panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia*, ἄρτος προλαμβανόμενος τὴν ἔκκλησιν τοῦ θεοῦ, ἐκέτι κοινος ἄρτος ἐστὶν, ἀλλ' εὐχαριστία. Enimvero preces non ad panem, sed ad Deum diriguntur, & ἔκκλησις non *invocationem* sonat tantum, sed prolationem quoque, & alterius testimonii *denuntiationem*. Haud aliter sentio de Cyrillo Jerosolymorum Episcopo, qui Catechesi prima, & tertia ex Mystagogicis phrasi utitur simili; tametsi Cyrillus non *invocatione* fieri corpus Dominicum scribat, sed *invocatione peracta*, ἐπικλήσεως δὲ γενομένης, ὁ μὲν ἄρτος γίνεται σῶμα Χριστοῦ, pag. edit. Morel. 510., id est, *Facta autem invocatione, panis fit corpus Christi*: quod utique præmissæ responsioni inter Scholasticos pervulgatæ cohæret plurimum. Hieronymus vero non *formam* consecrationis recenset, sed ministerium sacerdotum consecrantium; quorum dignitatem præferendam Diaconatus honori, in Epistola ad Evangelum recte, sapienterque demonstrat. Eodem sensu Augustinus lib. III. de Trinit. cap. 4. num. 10. ait accipere nos Christi corpus *prece mystica consecratum*, in Liturgiis nempe, & in Missa, quæ majori ex parte constat precibus. Si autem hæ omitterentur, non *rite* conficeretur Eucharistia, ut S. Pater affirmat tract. 118. in Joannem, num. 5. conficeretur nihilo tamen minus *valide*. Augustinus namque de precibus, & de signo crucis scribit prorsus eadem: ac signum crucis pertinere ad solam rituum condecentiam, donorumque oblatorum benedictionem, consentiunt omnes. Postremo, cum Eucharistia non solum sit sacramentum, verum etiam sacrificium, jugisque gratiarum actio certis ritibus, & supplicationibus quotidie peracta, affirmavere interdum Patres, perfici illam precibus, quas fundimus in sacrificio, ut constat ex ipsomet Augustino lib. V. contra Donatistas cap. 20. num. 28. ex Gregorio Magno lib. IX. epist. 12. aliàs 64. atque ex Justino in fine Apolog. 2. semper enim in Liturgiæ celebratione preces fuerunt adhibitæ, Dominica præsertim oratio; quod movit Amalarium, ut aliquando putaret hanc ad consecrandum Christi corpus sufficere: quem errorem retractasse auctor est Comment. in Ord. Rom. cap. 12. eximius Mabillon. Sed de objectione hac vulgatissima dictum satis.

10. Oppugnant etiam sententiam Græci.

Gravioris momenti forent objecta Græcorum, nisi adversus illa à nobis statuta essent firmiora præsidia. Objiciunt ergo: In Missa Chrysostomi post Christi verba orat Sacerdos dicens: καταπεμψον τὸ πνεῦμά σε τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, hoc est, *Emitte Spiritum tuum sanctum in nos, & super proposita dona ista*; ac paulo post: Ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σε, *Fac quidem panem hunc, pretiosum corpus Christi tui.* Ita Euchologium pag. 77. Similia in Jacobi, Marci, Clementis, & Basilii Liturgiis reperiri, citatis in locis Arcudius, & Allatius testantur. Præterea in Liturgia Basilii pag. Euchol. 169. post recitationem arcanorum verborum habetur oratio, quæ incipit, Διὰ τοῦτο, *Propter hoc*, in qua panis & vinum appellantur τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίε σώματος, καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σε, *Antitypa, ac symbola præsignantia sanctum corpus, ac sanguinem Christi tui.* Ac Joannes Damascenus testis est lib. IV. de fide Orthodoxa, sacra dona dici à Basilio *Antitypa*, ac signa typum gerentia, ante, non post consecrationem: scribit enim cap. 14. Εἰ, δὲ καί τινες ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίε τὸν ἄρτον, καὶ τὸν οἶνον ἐκάλεσαν, ὡς ὁ θεοφόρος ἔφη βασίλειος, οὐ μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι εἶπον, ἀλλὰ πρὶν ἁγιασθῆναι αὐτὴν τὴν προσκομιδὴν οὕτω κελεύσαντες, *Si autem aliqui antitypa corporis & sanguinis Domini panem vinumque appellaverunt, quemadmodum Deifer inquit Basilius, non post consecrationem, sed antequam*

quam consecraretur oblatio, appellarunt ita. Interpretantur quoque illam Basilii vocem eodem pacto Joannes & Epiphanius Diaconi act. 6. septimæ Oecumenicæ Synodi. Vide lib. III. cap. 27. pag. 221. doctum Arcudium. Ex quibus omnibus consurgit hæc objectio Græcorum: Post verborum Domini prolationem *proposita dona*, panis scilicet ac vinum, sanctificata nondum sunt, nec versa in Christi corpus, & sanguinem; sed gerunt adhuc istorum *typum* prænuntiativum. Non ergo verbis Dominicis tantum consecratur Eucharistia.

11. Respondet Cardinalis Bessarion tripliciter.

Occurrit huic argumento doctissimus Cardinalis Bessarion triplici responsione; quarum prima est, inusitatum non esse orare pro donis jam sanctificatis & consecratis, ut constat ex Liturgiis Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ: quod idcirco fit in sacro mysterio, ut postquam factum est corpus Christi *verum*, fiat *mysticum*, illud scilicet, quo fideles Christo participatione sacramenti uniuntur. Responsio Bessarionis altera est, nullatenus absurdum judicari rursus petere quæ semel concessa sunt, ut quod adeptum est, dum iterum quæritur, teneatur amore ac desiderio vehementiori. Tertia ejusdem responsio est, id fieri, ut populus percipiat consecrationem esse opus totius Trinitatis. Quarum solutionum duæ tanto viro dignæ sunt: at tertia videtur Arcudio nimium infirma, propterea quod necessum non est, ut omnes personæ exprimantur, atque una nominata reliquæ *implicite*, ut ajunt, intelliguntur: ac præterea verba, quæ objiciuntur, recitantur secreto, non voce elata, ut audiantur à populo. Quibus addo, Trinitatem ad extra operari simul atque indivisim; & inepte peti, ut fiat à Patre & à Spiritu sancto, quod jam à Filio creditur esse perfectum.

Memoratus Arcudius non male pag. 251. eam præfert responsionem, quæ ait non *præcise* Græcorum presbyteros deprecari, ut fiat Christi corpus, sed *ut fiat suscipientibus.* Ac observat primo Basilium non dixisse *Fac*, sed, *Ostende*: quod tamen repugnat Euchologio Goarii citata pag. 169. ubi legitur, τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον ποίησον αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Panem quidem hunc fac ipsum pretiosum corpus Domini & Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi.* Deinde ait Arcudius subintelligendum in illis verbis participium ὄντα, ut sensus sit, *Fac hunc panem, qui est corpus, &c.* Inquit præterea ita hæc verba esse explicanda, *Fac per effectum sacramentalem in anima justi*, per spiritalem scilicet nutritionem. Allatius vero id subtilius exponens tres in sacrificio actiones distinguit, nempe ut res immoletur, ut offeratur, ut absumatur: quarum prima fit verbis Christi, altera precibus, tertia autem communione. Hostiâ itaque immolatâ, & pane ac vino consecratione immutatis, adhuc Sacerdos ait, *Fac*, hoc scilicet, ut Deo acceptum sit sacrificium, animarumque nostrarum nutrimentum: quæ Allatius à num. 41. ad 42. prolixa explicatione declarat. Addit verba, quæ proxime sequuntur in Liturgia, Μεταβαλλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ, *Immutans Spiritu tuo sancto*, cum non præsentis significationis sint, sed præteritæ, reddenda Latinè, *Postquam transmutasti*, præmissamque expositionem corroborare. Quæ omnia eo collineant, ut ostendant illud *Fac* referendum esse ad spiritalem effectum, non ad panis, aut vini consecrationem. Goarius pag. 177. advertit ea verba, Καὶ ποίησον, &c. in cunctis MSS. omitti, variare Regia, & ea, quibus utuntur Basiliani commorantes inter Latinos: ut hinc etiam eruas exploratissimam non esse, quod alibi monui, Euchologiorum, post tot Græciæ scissuras, auctoritatem. Atque hæc summatim producta sunt, quæ fusiori stilo reposuerunt viri in lingua, ritibusque Græcorum plurimum exercitati.

12. Mens Renaudotii.

Renaudotius in Comment. ad Liturgiam Copticam S. Basilii pag. 250. ex his responsionibus eam præfert, quæ ait Sacerdotem mysterium perpendentem, ac propriæ memorem fragilitatis, iteratis precibus postulare quod jam concessum est, ac si nondum foret concessum: veluti dum post baptismum in Ordine Severi hæc recitatur oratio, *Tu Domine servos tuos, qui nunc baptizati sunt regenerationis lavacro, sanctifica in veritate tua*, aut dum post Confirmationem orat Episcopus, ut Spiritus sanctus chrismatos *confirmet*, atque *perficiat*; aut dum Ordinatione per verba Sacramentalia, & manuum impositionem completa, oratur Deus, ut jam consecrato tribuat auctoritatem ac potestatem. Ego tamen illi responsioni adhæreo, quæ asserit Liturgiam Græcorum explicandam esse de effectu sacramentali, & peti in ea, *ut fiat corpus Christi communicantibus in purgationem animæ*: primum quia id manifestum est ex præmissis Græcorum Confessionibus; deinde quia id quadrat maxime in Liturgiam

giam Basilianam, in qua proxime sequitur pag. 170. Euch. Καὶ μηδένα ἡμῶν εἰς κρίμα, ἢ εἰς κατάκριμα, ποιήσαις μετάσχειν ἁγίας σώματος, καὶ ἁίματος τοῦ Χριστοῦ σου. *Et neminem nostrum in judicium, & condemnationem facias participem esse sacrosancti corporis & sanguinis Christi tui.* Videtur præterea hæc responsio confirmari iisdem à Renaudotio productis exemplis, quæ non de impresso jam *charactere*, sed de *gratia*, ad quam in susscipientibus obex adesse potest, explicantur percommode. Firmissima tandem deprehendetur responsio ista, si preces Liturgicæ conferantur cum præmissis Patrum testimoniis, & cum populi voce statim post Dominica verba præsens Christi corpus profitentis, necnon cum actione Diaconi illud commonstrantis credendum, atque adorandum. De quibus omnibus paulo supra singillatim differui.

12. Tractatur de voce Antitypi.

Pertractandum nunc foret de voce *Antitypi*, nisi de ea luculenter egissent Bellarminus, & Perronius lib. 2. de Eucharist. Arcudius lib. 3. cap. 34. Allatius lib. III. Cons. cap. XV. num. 27. & seq. Goarius pag. 186. Eucholog. & viri alii doctissimi. Igitur hoc unum sat est in præsentia reponere, (nam & nos proximo capite 9. de hac voce dicemus,) inter varias vocabuli hujus significationes, duas esse præcipuas. *Antitypa* enim vocantur, quæ typum & formam eandem referunt, ut inquit Moschopulus in Onomastico, Ἀντίτυπα εἰσὶν τὰ μεταγεγραμμένα, τὸν ὅμοιον τύπον ἔχοντα, *Antitypa sunt transcripta consimilem habentia typum*, uti transumptum, & autographum: & *antitypa* dicuntur quæ substituta sunt loco figuræ, & typi, quem veritas in lucem edita eliminat, quasi ἀντὶ τοῦ τύπου, ut lex Evangelica *antitypa* est veterum figurarum. Si ergo priori sensu accipias *antitypum*; non repugnat idem contineri in *typo*, & in *antitypo*, quemadmodum idem, quod in autographis, est in transcriptis; atque hoc sensu Christus in Eucharistia est *antitypus* sui ipsius in cruce immolati, & species panis & vini sunt *antitypa* corporis & sanguinis Domini; figura scilicet minime excludens veritatem. Ita symbola etiam post consecrationem appellavere *signa*, *typos*, *imagines*, Origenes lib. 3. contra Celsum, Cyrillus Catech. 5. Nazianzenus Orat. funebri in sororem Gorgoniam, Macarius Alex. Hom. 27. atque ex Latinis Ambrosius lib. IV. de Sacram. At si *antitypa* posteriori accipias sensu; panis & vinum fuerunt *antitypa* duntaxat ante consecrationem, ut per se constat. Nunc vero, ut ad Liturgiam Basilii redeamus, putat Bessarion factam in illa aliquam verborum transpositionem, quod valde incertum est, nec ullo valido argumento probatur. Arcudius, cum existimet Basilium locutum de *antitypis*, quæ continent rei veritatem, pressus auctoritate Damasceni contendit interpretationem ab ipso factam Basilianæ Liturgiæ, alienа manu fuisse additam; quoniam Damascenus aperte eo loco testatur fieri symbolorum consecrationem *verbis Dominicis*. Excludit pariter Arcudius, & tanquam ineptam rejicit interpretationem Joannis & Epiphanii Diaconi traditæ à Damasceno concordem. Vide Arcud. pag. 264. & sequenti. Stat autem Damasceni aliorumque explicatio, quod nempe Basilius scripserit *Antitypa* secundo sensu, & accipiendus propterea sit de pane, & de vino ante consecrationem, si dicamus ea verba Liturgiæ, τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου, &c. licet post consecrationem prolata, referenda tamen ad tempus ipsam consecrationem præcedens, quo erant *antitypa* non consecrata. Est enim in illis Aoristus præteriti temporis, atque ita se habent in Græco, Καὶ προσθέντες τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου τοῦ σώματος, καὶ ἁίματος τοῦ Χριστοῦ, quod recte vertit Allatius pag. 1229. cit. Operis, *Et cum proposuerimus Antitypa sancti corporis, & sanguinis Christi:* quæ sane dubitationem omnem elidunt. Legit autem Allatius, τὸ ἁγίου σου σώματος, *sancti corporis tui*, sed constat legendum τοῦ, cum oratio dirigatur ad Patrem, & paulo post occurrat *Christi* nomen; unde vocabulo σώματος præcedit articulus, non pronomen. Minimus tamen error, nec spectans ad hanc disceptationem: in qua fuimus aliquantulum longiores, ne quis in posterum cum Martenio quæratur, controversiam istam à Scholasticorum vulgo non satis accurate tractari. Ita enim ille tom. 1. de Antiq. Eccl. Rit. pag. 405.

14. Quænam sint verba essentialia consecrationis sub utraque specie.

Prop. IV. Ea duntaxat verba, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est calix sanguinis mei*, aut, *Hic est sanguis meus*, consecrationi *essentialia* sunt; quamvis omne studium adhibendum sit, ne cætera prætermittantur.

15. Nec, *qui pridie*, nec *novi & æterni testamenti &c.* sunt essentialia.

Ac primo aperte, ni fallimur, sequitur ex dictis ea verba, *Qui pridie, quam pateretur, &c.* non constituere *formam* sacramentalem, contra quam sentiant aliqui Scotistarum. Consecratio enim fit *verbis Domini*, ut supra demonstratum est innumeris argumentis. Atqui hæc

hæc verba, *Qui pridie, quam pateretur*, non Domini sunt, sed Evangelistarum. His ergo verbis non perficitur consecratio. Vide supra prop. 3. quæ produximus ex Ambrosio, necnon Paschasium Ratbertum de Corp. & sang. Domini capite quintodecimo. II. Consequitur pari ratione non esse de *essentia* consecrationis calicis verba, quæ sequuntur post illa, *Hic est enim calix sanguinis mei.* Hæc enim perfectam orationem continent, ac sensum determinatum, non minus ac præcedentia, *Hoc est corpus meum;* si ergo hæc ad consecrationem panis sufficiunt, cur illa non erunt ad consecrationem calicis sufficientia? Addo non omnia, quæ à nobis recitantur, haberi in exterarum Ecclesiarum Liturgiis, præsertim illud, *Novi & æterni testamenti;* ac permultos Patrum asserere his tantum, de quibus agitur, verbis confici Christi sanguinem, ut ex dictis apertum est. III. Quamquam adduntur his alia verba, quæ à Domino Jesu creduntur prolata, non tamen ad *formæ* spectant *essentiam:* illa siquidem, *Accipite, & comedite*, usum sacramenti commonstrant, non subjectæ materiæ consecrationem: particula *enim* nexum orationis, non materiei transmutationem notat; & reliqua non significant Christi corpus, & sanguinem, sed Domini potius crucifixionem ac redemptionem: quæ sunt quædam Eucharistiæ, institutæ jam & consecratæ, consectaria. IV. Nullum tandem præscriptorum verborum prætermittendum esse facile demonstratur, quippe præcedentia, *Qui pridie, &c.* ostendunt Sacerdotem consecrationis verba proferre in persona Christi: particula *enim* consecrationem præmissæ orationi conjungit; reliqua autem in memoriam nostri revocant crucis immolationem, redemptionemque peractam, in cujus rei commemorationem Eucharistiam esse institutam, docent nos Evangelium, Paulus, Ecclesia. Maximæ demum audaciæ foret, in re præsertim tam gravi, Majorum instituta, & Ecclesiæ consuetudinem violare.

16. Objectio Scoti.

Objicit autem Scotus dist. 8. q. 2. num. 8. *Hæc verba*, Hoc est corpus meum, *prolata sine præcedentibus non significant absolute* corpus Christi, *quia ly* meum *significat referri ad personam ipsius loquentis; quia licet minister possit intendere, ut loquatur in persona Christi, non tamen propter hoc significatum verborum esset, quod ly* meum *demonstraret corpus Christi. Sicut si ego inciperem loqui in persona Christi, tamen ex vi verborum non habetur, quod ista doctrina sit Christi, sed mea, &c.* Adsunt Hiqueus, & Brancatus debere verba sacramentorum significare id, quod efficiunt, *ex vi ipsorum verborum:* ex vi autem verborum, *Hoc est corpus meum*, non significatur Christi corpus, nisi alia, *Qui pridie &c.* fuerint præmissa. Præterea, inquiunt, probant Patres in Eucharistia realem præsentiam corporis Christi ex vi, & proprietate verborum. Hæc autem oratio, *Hoc est corpus meum*, absque alio additamento spectata verborum vi significat corpus loquentis, non Christi. Igitur ex nativa significatione verborum prænuntiata oratio non commonstrat corporis Christi præsentiam.

17. Respondet auctor de mente Scoti.

Respondeo de mente Scoti nec inter suos convenire, visumque plerisque erupisse in ea verba disputationis tantum gratiâ. Puto Scotum dubium saltem hæsisse; nam num. 10. scribit: *Dico, quod si quis Sacerdos inciperet sic loqui: Hoc est corpus meum, non prædicens verba præmissa totaliter, non est adorandum, nisi sub conditione, si vere consecratum est.* Sed quidquid fuerit de Scoti mente; prædicta objectio est facillimæ solutionis. Sat enim est ad conficiendum sacramentum, ut verba effectum significent ex institutione Christi, & ex intentione proferentis prædicti auctoritate, cum idem Scotus, ejusque asseclæ doceant satis non esse ad consecrationem, si sacerdos arcana verba pronuntiet; sed requiri, ut ea proferat *formaliter*, & *significative*, ea intentione, qua Christus instituit, & protulit, faciendi nempe quod Christus fecit. Quæ utique est intentio ad sacramentum conficiendum necessaria. Alioqui si verba præcedentia, *Accepit, benedixit, fregit, &c.*, & non istiusmodi intentio, & institutio determinarent verba ad sacramentalem effectum, etiam pronomen *Hoc* non commonstraret quod sacerdos habet præ manibus, sed tantummodo quod Christus habebat, ut adversus Brancatum acute ratiocinatur Barth. Mastrius præcitata quæst. 4. num. 143. Atque eadem responsione cætera pariter refutantur. Enimvero effectus sacramentalis non pendet ex *materiali* significatione verborum, sed ex significatione, quam habent ex Christi instituto, & ex intentione ministri, Christi vicem gerentis: atque ex vi talium verborum hac institutione præscriptorum, atque hac intentione prolatorum, recte Patres ac Theologi inferunt realem in Eucharistia corporis Christi præsentiam.

Cum

Cum vero talis institutio, potestas, & *formalis*, (ut eodem utar Scotistarum sermone) significatio verborum non sit in illo, qui doctrinam alterius venditat tanquam propriam, ad rem nullatenus facit exemplum à Subtili disputatore propositum.

18. Objectio Thomistarum.

Nonnulli pariter Thomistæ nituntur ostendere ad essentiam *formæ* consecrationis calicis pertinere etiam verba, *Novi & æterni testamenti, &c.* quod ita probant auctoritate Angelici præceptoris. S. Thomas q. 78. art. 3. refutat sententiam eorum, *qui dixerunt, de substantia formæ hujus est hoc solum quod dicitur, Hic est calix sanguinis mei, non autem ea quæ sequuntur.* Præfert deinde sententiam illorum, qui dicunt, *omnia sequentia sunt de substantia formæ, usque ad hoc quod postea sequitur: Hæc quotiescunque feceritis, &c.* In IV. etiam Sentent. dist. 8. q. 2. ait, *ea, quæ sequuntur, sunt essentialia sanguini, prout in hoc sacramento consecratur, & ideo oportet quod sint de substantia formæ.* Idem docet lect. VI. in cap. XI. epist. 1. ad Corinth. ac tam aperte, ut asserat his solis verbis, *Hic est calix sanguinis mei, probabilius non fieri consecrationem.* Addunt jussu Pii V. expunctam ex Commentariis Cardinalis Cajetani dissertationem, qua propugnabat *formam* calicis consecrandi his tantum verbis comprehendi, *Hic est calix sanguinis mei.*

19. Respondetur ad eam.

Respondeo non unam esse, ut diximus, circa mentem S. Thomæ sententiam Scriptorum, nec deesse discipulos ejus præstantissimos, qui illum trahant ad partes nostras. Primo enim, inquiunt, sanctus Doctor art. 1. ejusdem quæstionis 78. scribit: *Forma hujus sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transubstantiatione consistit: puta cum dicitur, Hoc est corpus meum, vel, Hic est calix sanguinis mei.* Præterea art. 3. non proponit quæstionem, an verba, quibus nos utimur, sint essentialia, sed, *utrum hæc sit conveniens forma*: quæ duo longe, ut constat, diversa sunt. Insuper eodem art. 3. ait: *Omnia prædicta verba sunt de substantia formæ; sed per prima verba cum dicitur, Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis: per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione.* Hinc inferunt S. Thomam scribentem omnia verba esse *de formæ substantia*, necnon consecrationi sanguinis *essentialia*, exponendum esse, quatenus omnia necessaria sunt *ad integritatem locutionis*, sive ad expressam significationem sanguinis, ut effusi. Quæ, utut vera sint, non prorsus difficultatem tollunt omnem. Nam quod ajunt consecrari materiam, & fieri *transubstantiationem*, juxta divum Thomam, per ea verba, *Hic est calix sanguinis mei*, verissimum id est; sed videtur Angelicus ad *formam* consecrationis ulterius requirere, ut sanguis seorsim consecratus à corpore, cum repræsentet passionem Christi, consecratus sit per verba, quæ eandem passionem ejusque fructum expresse significent, ut ait eodem art. 3. ad 6. Quod insuper in eodem art. quærit, *Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis vini, &c.* non evincit quæstionem ab ipso minime institui de formæ *substantia*, atque *essentia*; nam præcedenti art. 2. iisdem verbis quæstionem proponens, scribit: *Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis Panis, Hoc est corpus meum*, de forma utique *essentiali* verba facit. Præcitata demum lect. 6. in Paulum de forma integre prolata diserte scribit, *Illis solis verbis perficitur consecratio*: & paucis interjectis: *Circa ista verba, quibus Ecclesia utitur in consecratione sanguinis, quidam opinantur, quod non omnia sint de necessitate formæ, sed solum quod dicitur, Hic est calix sanguinis mei, non autem residuum quod sequitur, novi & æterni testamenti, &c. Sed hoc non videtur convenienter dici: nam totum illud quod sequitur est quædam determinatio prædicati.* Et infra: *Totum pertinet ad vim effectivam formæ.*

20. Auctor dicit, quæ mens D. Thomæ.

His autem omnibus libratis puto sententiam S. Thomæ, talem esse, ut de illa possit in utramque partem disputari. Atque, ut dicam quod sentio, salvo doctiorum virorum judicio, duo S. Thomas in consecratione calicis spectat, unum scilicet, quod verba significent Christi sanguinem, & conversionem, seu *transubstantiationem* efficiant, alterum quod significent Christi passionem, & ejusdem sanguinis effusionem. Igitur S. Thomas docet ea verba *Novi testamenti, &c.* esse *de substantia*, ac *de essentia formæ*, non ut consecretur materia, & vinum convertatur in Christi sanguinem; sed ut significetur expressione verborum Christi passio, & sanguinis ejus effusio: quod ex iisdem Doctoris Angelici verbis apparet, si attente legantur. Cæterum jure mandato Sancti Pii V. expuncta est è Summa Angelici dissertatio Cajetani, propterea quod nec ejus mentem assecutus est, nec de illo cum debito honore locutus, sc i-

bens, ut habetur in antiquiore editione, quam Cardinalis Gotti se legisse testatur, *Etsi sancti Thomæ intentio contraria sit, non est curandum.* Voluit denique S. Pius plurium Thomistarum sententiam in sua probabilitate relinquere, adversus Cajetani refutationem.

21. Non tantùm historicè, sed & significativè & assertivè pronuntiantur verba

Prop. V. Consecrationis verba non historice tantum, & narrative, sed *assertive* etiam, & *significative* pronuntiantur.

Hæc propositio pluribus argumentis à me demonstrata est præced. Vol. pag. 74. adversus hæreticos affirmantes verba *Sacramentalia* recitari tantummodo, & adinstar concionis proferri, ut in memoriam revocatis Domini dictis, factisque, fides, qua apprehenditur justitia, facilius excitetur, ideoque male se gerere ministros sacros, qui non populo alta voce, sed propositis symbolis verba consecrationis admurmurant. Ad illum itaque locum remitto lectores. Nunc autem brevi confirmo thesim; quoniam arcana illa verba non locum concionis tenent, ut hæretici autumant, sed, Ambrosio, Augustino, Damasceno, aliisque Patribus id asserentibus, *ad elementum* accedunt, subjectam materiam *consecrant*, & si de Eucharistia loquimur, panem vinumque *convertunt* in Christi corpus ac sanguinem. Præterea Sacerdos ea verba proferens loquitur non in propria, sed *in Christi persona*, quemadmodum propositione tertia demonstratum est: quod utique non esset verum, si sacerdos ea verba proferret solum *historice*, non assertive. Postremo, ne singula repetam, dirigitur consectationis *forma* ad panem vinumque posita in Sacerdotum manibus, non ad placentas, & ad calicem supremæ cœnæ, quæ accepit, distribuitque Salvator, & in hac præsenti ac subjecta materia, non autem in illa divinum conficitur sacramentum; ideoque non enarratur tantummodo quod à Domino crucem postridie subituro gestum est, sed hoc idem ejusdem Domini sermone perficitur: quod est verba consecrationis *assertive*, & *significative* proferri. Cæterum, quod summopere notandum est, nemo nostrum negat eadem arcana verba, maxime si accipiantur ut conjuncta cum præcedentibus, sonare historicam aliquam narrationem; cum Christi benedictionem, fractionem, & consecrationem commemorent. Sed dicimus, præter narrationem hanc historicam, Sacerdotem, dum pervenit ad prolationem arcanorum verborum, Christi fungentem vice, ipsius corpus, & sanguinem enuntiare præsentia, & enuntiando conficere; unde optime in Latina Ecclesia, tanquam Domini induens personam, panem manu accipit, attollit oculos, benedicit dextera, & super ipsum panem *secreto* verba pronuntiat.

22. Oppugnat ut ab hæreticis.

Sed inquiunt hæretici: At ita non in veteri servabatur Ecclesia: sed verba consecrationis *clara voce* tunc exprimebantur, ut iis auditis populus responderet, *Amen.* Id constat ex Justino Apolog. 2. ex Clementis Constitut. VIII. cap. 20. ex Ambrosio de Myst. cap. 9. atque morem hunc in Ecclesia Romana abrogatum obtinere etiam nunc in Ecclesiis Græcorum, testatur Cardinalis Bessario. De ritu Ecclesiæ Romanæ, quæ pariter tali sono pronuntiabat olim ea verba, ut pertingerent ad aures populi, legi potest sermone 6. de jejunio septimi mensis S. Leo. Demum etiam Justinianus Const. 123. *Jubemus*, inquit, *ut omnes Episcopi pariter & Presbyteri, non tacito modo, sed clara voce, quæ à fideli populo exaudiatur, sacram oblationem, & preces in sancto baptismate adhibitas celebrent.* Hæc nobis objicit Vossius disput. 2. de sacris cœnæ Dominicæ symbolis, thesi 3.

23. Respondet Auctor Hæreticis.

Respondeo ex Liturgiis, quæ nobis hæretici objiciunt, nefarium ipsorum dogma magis, magisque refelli. Orientales enim dum sola verba Domini proferunt *alta voce*, eas quodammodo sejungunt à præcedentibus prolatis voce submissa: ideoque illa *significative* pronuntiant, non tantum historice. Quis enim narraturus tantummodo quod Christus in cœna gessit, ut de iis instrueretur populus, rem totam recitaret submurmurans, extemplo in ea verba prorumpens, *Hoc est corpus meum?* Ideo ergo apud Orientales hæc verba enuntiantur elata voce, ut populus non auditis, quæ præcesserunt, percipiat à Sacerdote, quem in Sanctuario latentem intueri non potest, sacra munera sermone Domini consecrari, & illa consecrata adoret, & in illis adesse Christi corpus, & sanguinem profiteatur. Atque id populus facit dicendo *Amen*, ut observat idem Bessario, de quo supra prop. 3. ubi quod nunc dicimus, ipsorum Græcorum rituum explicatione corroboravimus. Stupenda est itaque hæreticorum confidentia, nobis Liturgiam Orientalium, & scripta Bessarionis objectantium. Nec aliter est asserendum de Justini, aliorumque auctoritate; siquidem non alia de causa aut olim præ-

sentes

sentes oblationi, aut communionem percepturi dicebant *Amen*, nisi ut vi consecrationis præsens faterentur Christi corpus: unde Ambrosius de Myst. cap. 9. num. ait: *Et tu dicis Amen, hoc est, verum est.* Similia lib. IV. de Sacram. cap. 5. num. 25. Imo incertum est, an populus in Ecclesia Occidentali responderet *Amen* statim post consecrationem; & probabilius videtur id succinuisse post alias orationes communicaturos: nec aliud scribit Auctor Constitut. Apol. lib. VIII. cap 13. in cujus libri cap. 20. nil tale extat, adeo, ut jure in hoc quoque Vossii confidentiam miremur. Sane Justinus Apolog. 2. pag. 98. scribit à populo acclamatum *Amen* immediate ante Eucharistiæ distributionem, *post gratiarum actiones, & preces.* S. Leo citato serm. 6. apertissime loquitur de accipientibus communionem, à quibus responderi *Amen*, Tertullianus, Cyrillus Hierosolym. Augustinus, aliique veteres tradiderunt. Justiniani Constitutionem editam adversus quosdam Monachos factos Clericos, qui nec sancti baptismi, nec sacræ oblationis orationes callebant, observatum ab Isaac Habert pag. 147. in Pontificale Græcorum: sed nulla nos *Novellis* Justinianeis permovemur agentes de sacris ritibus, quos ab Ecclesiæ statutis, non ab Imperatoriis legibus edocemur.

Quæstio Incidens.

24. Qua voce proferenda sunt verba consecratoria?

Quod si nunc quæras, an melius sit proferre verba consecrationis voce submissa, an elata; primo respondeo unicuique servandam Ecclesiæ, in qua degit, consuetudinem; ut de sacris Ritibus universum differui lib. XXX. cap. 23. prop. 2. Fateor deinde Græcos, & alios Orientales illa verba clara voce proferre; quod non solum ex testimonio Dionysii Alexandrini in Epistola ad Xystum demonstrat Eminentissimus Bona lib. 2. Rerum Liturg. cap. 13. num. 1. sed constat etiam ex Missa Chrysostomi pag. 76. Euch. Græc. Basilii pag. 168. aliisque libris Liturgicis. Dabo etiam obtinuisse eundem morem in Ecclesia Mediolanensi, ut censet Menardus not. 1036. in Sacrament. Gregorii, id inferens ex præcitatis locis Ambrosii lib. de Myst. cap. 9. & lib. IV. de Sacram. cap. 5. tametsi ex priori loco non appareat, an illa vox *Amen* pronuntiaretur à populo statim peracta consecratione, ut observarunt Benedictini editores Ambrosii tom. 2. pag. 340. alter verò locus aperte ad actum communionis sit referendus: habet enim, *Ergo non otiose dicis tu, Amen, jam in spiritu confitens, quod accipias corpus Christi.* Imo additur in nonnullis editionibus, *non otiose cum accipis, &c.* Affirmo præterea Orientalium ex ritibus nullam Romanæ Ecclesiæ præscribi legem, tum quia hæc tenet Majorum suorum instituta; tum etiam quia impropria omnino foret apud nos elatio illa vocis. Cum enim fiat, ut diximus, ad commonendum populum de consecratione facta à Sacerdotibus in sanctuario latentibus; necessum non est id servari à Latinis, in quorum Ecclesiis aspicit populus celebrantem; qui statim, non quemadmodum faciunt Græci paulo ante communionem, elevat symbola consecrata; eadem adorat, & signum populo datur pulsatione campanulæ: de qua re capite libri hujus postremo. Tandem longe melius est submissâ, quam elatâ voce verba sacrosancta proferre, ne vilescant, aut à plebe sacrilege pronuntientur, atque ut ita admoneamur consecrationem ad Sacerdotes tantummodo pertinere: quarum rationum primam affert lib. III. de Alt. myst. Innocentius, & alteram q. 83. art. 4. ad 6. sanctus Thomas. Ac de verbis consecrationis mihi videor satis superque dixisse.

CAPUT VIII.

Demonstratur in Sacramento Eucharistiæ revera Christi corpus, & sanguinem contineri.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. Quinam contra hanc veritatem Catholicam scripserint?
5. & 6. In Eucharistia verè contineri corpus, & sanguinem Christi, demonstratur ex S. Scriptura,
7. Et ex Conciliis Ecclesiæ,
8. 9. & 10. Ac perpetua traditione SS. Patrum,
11. Necnon ex confutatione veterum hæreticorum.
12. Porrò ab exemplis veterum.
13. Et patratis miraculis.
14. Ex ipsis Fidei Catholicæ adversariis.

1. Quinam contra hanc veritatem Catholicam scripserint?

AMPLISSIMAM instituo disputationem, de qua non esset differendi finis, si omnia in medium afferendi foret animus: sed cum omnes, qui de re Theologica pertractarunt, in hac controversia stilum accurate diligenterque exercuerint, id præstare conabor, ut quod alii diffusis tradidere lucubrationibus, perspicua methodo, contracta oratione, selecta rerum copia, novisque insertis animadversionibus comprehendam. Quod priusquam peragatur, dicendum principio, quinam adversus catholicam veritatem perfidiæ suæ prodiderint contumaciam. Tenent ergo primum locum Capharnaitæ, qui Domino de manducatione carnis suæ faciente verba Joan. 6. vel denegarunt his fidem, vel ea sensu deteriori acceperunt: inter quos fuisse apostatam Judam, probat auctoritate Chrysostomi Diatriba 3. adversus Casaubonum Julius Cæsar Bulengerus. Simoniani, Manichæi, Marcionitæ, aliique Phantasiastæ, qui negabant veram Christi carnem, fateri consequenter non poterant hanc in Eucharistia contineri: ac de his agit in Epistola ad Smyrnenses S. Ignatius. Idem dicendum de Messalianis, & Entusiastis, quos omnia sustulisse sacrificia, carnis Christi inutilem esum pronuntiantes, auctor est lib. IV. Hist. cap. 11. Theodoretus. Nestorianos, quorum hæresis damnata est paulo post obitum Augustini, negasse præsentiam corporis Christi in Eucharistia, scribit in Dialogo adversus Berengarium Lanfrancus: sed probabilius est, atque magis hæresi suæ consentaneum, affirmasse Nestorium in Eucharistia carnem Christi, seu hominis non *hypostatice*, sed secundum solam dignitatis unionem moralem, Verbo Dei conjunctam: siquidem Ephesini Patres, & Cyrillus hoc unum adversus Nestorium adstruunt, accedentes ad benedictionis mysteria, *vivificam & ipsius verbi propriam carnem manducare, non hominis sanctificati, & Deo conjuncti secundum dignitatis unionem.* Et revera Nestorianos *transubstantiationem* panis in Christi carnem admisisse, constat ex Vigilio Tapsensi lib. v. adversus Eutychen. Si autem advertas, in quo fita fuerit Nestoriana hæresis, alibi profligata; percipies optime, quare Nestorius admiserit in Sacramento carnem Christi, non carnem propriam Verbi; quia nimirum prædicabat Christum esse personam à Verbo distinctam. Ita facile eludes, quæ de Nestorio commentus est Albertinus. Hæc tantum de hæresibus antiquioribus.

2. Quidnam contigerit circa sæculum nonum?

Sæculo nono edidit librum *De corpore & sanguine Domini* Paschasius Radbertus Abbas Corbejensis, *adversus aliquos male de Eucharistia sentientes*, teste Alcuino in Conf. Fidei. Paschasium dogmatis nostri primum auctorem faciunt temere recentiores Calvinistæ, ac plura in ipsum effutit Claudius Carentonensis minister. Commoventur hæretici, quod adversus Paschasium steterint Rabanus Maurus, Ratramnus, & Joannes Scotus, cognomento Erigena. Verum Joannem Scotum permultis erroribus implicatum damnavit Ecclesia, auctore citato libro adversus Berengarium Lanfranco: illum sanctus Prudentius appellavit *sectatorem Pelagii, Cælestii, ac Juliani, ac summa impudentia oblatrantem Orthodoxæ Fidei, Patribusque Catholicis*, & Ecclesia Lugdunensis *hominem inani verbositate, & ventosa loquacitate pernicioſissime occupatum.* Vide in Synopsi Hist Gothescalcanæ cap. 1. Norisium. Rabanus vero, & Ratramnus à Paschasio discordarunt tantum circa modum loquendi; cum enim Paschasius *idem Christi corpus* in cœlis, & in Eucharistia affirmaret, illi scripserunt esse *diversum*, unde venerunt in erroris hæresisque suspicionem; ac Ratramnus præsertim, cujus librum *De corpore & sanguine Domini*, pluries studio hæreticorum typis editum, inter hæreticos recensuit Clemens VIII. ac sinistrum de illo protulerunt judicium Sixtus Senensis lib. VI. Bibliot. S. annot. 196. & 289. Bellarminus, Alanus, alii: quidam etiam ab Oecolampadio sub Bertrami nomine putant librum illum fuisse conscriptum, Petrus autem de Marca, & Harduinus à Joanne Scoto. Sed licet Ratramnus, dato quod ejusdem libri auctor sit, dixerit mysterium corporis, & sanguinis Christi differre, ac separari à corpore, quod de Virgine conceptum & natum est, atque alia id genus multa, quorum causa merito subierit censuras plurimorum; videtur tamen *differentiam* illam statuere quantum ad *species*, exterioremque figuram, uti demonstrat Jo. Mabillon parte altera in quartum sæc. Benedict. Paschasii vero liber typis editus prodiit anno 1528. opera Hiobi Gasti Lutherani, dispunctis, abrasisque locis omnibus, quæ diserte in Eucharistia tradunt rationem sacrificii, & *transubstantiationem* panis; detexitque falsarii hujus depravationes Mamertus Lucemburgensis, qui anno 1550. edidit Colonienſibus typis Paschasii Opus integrum, atque incorruptum. Ita virum

rum hunc avitæ fidei propugnatorem, Lutherani patronum suum, Sacramentarii *transubstantiationis* auctorem, pugnantibus inter se sententiis, ausi sunt diffamare. Tradunt nonnulli prodiisse circa eadem tempora infamem & propudiosam sectam *Stercoranisticam*, eorum scilicet, qui affirmare non erubuerint divinissimam Eucharistiam projici (patiatur lector inverecundiam verborum) in locum, in quem eunt saturi. Illi tamen, si extiterunt (quod merito in dubium vertitur,) non realem Christi præsentiam negarunt, sed asseruerunt duntaxat de ejus corpore probrosam rem, ac nefandam.

3. Quidnam circa sæculum 11mum.

Prodiit postea XI. sæculo hæresis Berengarii, aut Beringerii, Turonensis, hominis versipellis, de cujus errore non convenit inter eruditos. Certe Berengariani aliqui admiserunt *præsentiam realem*, & negarunt tantùm panis *transubstantiationem*, asserentes corpus Christi in Eucharistia *latenter contineri, & quodammodo impanari*, ut referunt Guitmundus, & Algerus: & Berengarius ipse fatetur præsentiam corporis & sanguinis Domini, non solùm in variis fidei Confessionibus, sed etiam in Epistola ad Adelmannum: quare non desunt, qui Berengario tribuant assertam à Lutheranis *impanationem*. At negari non potest, alios Berengarii asseclas in ea fuisse sententia, quod corpus Christi collocatum in cœlis non possit in terram deferri, id affirmante cap. 21. Lanfranco. Damnarunt Berengarium in Romana Synodo Leo IX. anno 1050. ut affirmat Hermannus in Chronico, aut 1053. ut scribit Durandus Abbas Troarnensis; Conventus Brionensis, & Synodus Vercellensis paulo post prælaudatum Concilium Romanum; Synodus item Parisiensis, & Florentina sub Victore II. anno 1055. Romana altera sub Nicolao II. an. 1059. in qua Berengarius hæresim suam abjuravit, libros-que suos concremavit; Concilium insuper Pictavense anno 1075. de quo Chronicon sancti Maxentii, ac postremo Concilia duo Romæ habita sub sancto Gregorio VII. unum anno 1078. in festo omnium Sanctorum, alterum mense Februario anni sequentis. Tres fidei formulas à Berengario confirmatas edidit Mabillonius tom. 1. Analect. pag. 515. In quarum prima anathematizat hæresim, de qua se infamatum fatetur, adstruentem, *panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse*: in altera inquit: *Profiteor panem altaris post consecrationem esse verum corpus Christi, quod natum est de Virgine, quod passum est in cruce, quod sedet ad dexteram Patris &c.* ac in tertia etiam *transubstantiationem* his verbis profitetur: *Ego Beringerius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in altari per mysterium sacræ orationis & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, &c.* Ex his autem *Confessionibus* infero Berengarium principio *realem præsentiam* negasse, deinde hac admissa propugnasse *impanationem*: hæ quippe hæreses præmissis *Confessionibus* opponuntur. Ita controversia de erroribus Berengarii facile componitur, si distinguantur duo illius capita, ac duo status. Cæterum post tergiversationes varias, deposita erroris pertinacia, rediit Berengarius ad sanam mentem, obiitque fere nonagenarius anno 1088. die quinta Januarii, ut narrat Clarius Monachus Floriacensis, & Hildebertus Cenomanensis, qui scripsit illus Epitaphium, *Quem modo miratur, semper mirabitur orbis &c.* Vide Mabil. in Analectis, & præf. 2. in Sæcul. VI. Benedict. num. 63.

4. Quid in sequentibus sæculis? contra pervicaciores, hæreticos, uti erat Petrus de Bruis, & Henricus ejus discipulus.

At insequentibus sæculis in Eucharistiæ sacramentum pervicaciores hæretici surrexerunt; paulo post obitum Berengarii Petrus de Bruis, & Henricus ejus discipulus: deinde Albigenses exorti ex Manichæorum reliquiis: tum Carlostadius Withembergensis Novator, Zuinglius, qui in Senatu Tigurino biduo disputavit contra Missam, & Eucharistiam, Oecolampadius, Bucerus, & Socinianorum grex impurissimus. Hi omnes in Eucharistia *figuram, signum, & imaginem corporis & sanguinis Christi* fatentur, ipsum vero *corpus & sanguinem* adesse negant. Quid vero Lutherus? Principio excogitaverat *realem præsentiam* negare, ut ipsemet fatetur in Epistola ad Argentinenses, sed pressus Evangelicis verbis præsentiam illam perspicue adstruentibus, eandem agnovit, ita tamen, ut dixerit una cum Christi corpore permanere *substantiam panis*. Anno tamen 1543. *transubstantiationem* admisit, accusatus propterea à suis, à Melanchthone præsertim, atque ab Hospiniano. Cum vero de *Impanatione*, aut *Consubstantiatione*, per quindecim saltem annos, inter Lutheranos, & Sacramentarios (qui nempe sectantur Zuinglii & Oecolampadii doctrinam)

trinam) acerrime dimicatum fuit, nec iniri potuit aliqua inter pugnantes conciliatio; Calvinus anno 1540. sententiam suam palam fecit edito Gallice tractatu de Cœna, quem postea latinitate donavit. In hoc libro primum ait revera distribui in *cœna corpus & sanguinem Christi*, cui nos reipsa, non sola mentis apprehensione, uniamur, adeo, ut Lutherani propositam spem haberent ad se tandem Calvinum fore accessurum: sed cum is addiderit id fieri *sola manducantium fide;* & spes præconcepta Lutheranos fefellit, & compertum satis, Calvinum pugnantia conscribere, verbis ludere, præsensque dissidium non componere, sed nexibus tenacioribus implicare. Adeas Meldensem Episcopum in Historia Variat. lib. IX. num. 50. Dixi autem de hæresibus hactenus: nunc dogma Catholicum propugnaturus demonstrabo contineri sub panis vinique speciebus corpus, & sanguinem Christi, de *transsubstantiatione*, quæ hujus controversiæ est pars altera, dicturus postea.

5. Stabilitur Catholica veritas.

Propos. In Eucharistia vere corpus & sanguis Domini N. J. C. continetur.

Catholica hæc veritas momentis pluribus stabilitur, quorum primum auctoritati sacrarum literarum innixum est. Ac primo Joannis VI. versu 52. ait Dominus: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et litigantibus versu proximo Judæis, ac dicentibus, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* respondit Jesus v. 54. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in nobis:* tum omnem hæsitandi occasionem removens subjecit versu 56. *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Dicant, quæso, etherodoxi, num ad commonstrandam veram corporis, & sanguinis sui in Eucharistia præsentiam, & veram realemque manducationem, atque potationem, potuisset Dominus adhibere verba magis perspicua, magis expressa, magis perceptioni hominum accommodata? Minime, nequaquam. Hoc itaque in loco vera, propria, realisque præsentia, & vera propria, realisque sumptio corporis, & sanguinis Domini declaratur. Et quoniam hoc pertinaciissime negant hostes veritatis; imo Albertinus in prægrandi suo de Euch. opere lib. I. cap. 30. etiam nostræ communionis Theologos, & quosdam Patres, qui caput illud sextum sensu exponunt mystico, advocat in patrocinium hæreseos; complura sunt argumenta, quibus evincitur, non posse ulla ratione illinc excludi sensum proprium & literalem. Ac primum sit, quod iidem hæretici, ut adversum nos adstruant communionem sub utraque specie, utuntur præcitato versu 54. *Nisi manducaveritis, &c.* ideoque velint, nolint, fateantur necessum est agi ibidem de sacramento Eucharistiæ, quod tamen Albertinus præ cæteris audacter negat, & pernegat. Deinde cum Judæi percipere nequaquam possent, quomodo manducanda foret humana caro, & sanguis potandus, & quidam inter se dicerent, *Durus est hic sermo*, intelligentes manducandam carnem, quemadmodum *in cadavere dilaniatur, aut venditur in macello*, ut inquit magnus Augustinus Tract. XXVII. in Joannem; minime ad scandalum avertendum respondit Dominus locutum se de comestione mystica & metaphorica; sed semel iterumque idem asseruit, afferens in veritatis confirmationem futurum sui ipsius in cœlos ascensum. Et tamen Dominus ubi animadvertit sermonibus suis ob æquivocationem verborum in discipulorum mente gigni aliquam dubitationem, hanc studuit statim evellere; prout fecit Joan. III. 5. dum Nicodemus non percipiebat spiritalem hominis renascentiam; Joan. IV. 34. dum hæsitabant discipuli circa ea verba, *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*; Matth. XIII. 37. dum explanavit discipulis parabolam zizaniorum. Joannes ipse cæteris accuratior, si quid tropice à Domino dictum est, adjecta explicatione notavit. Cap. enim 3. ait Dominus, *Solvite templum hoc, &c.* & Joannes vers. 21. *Ille autem dicebat de templo corporis sui:* cap. 7. Christus, *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, Joannes vero vers. 39. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum:* cap. 12. Jesus, *Si exaltatus fuero à terra, omnia trahem ad me ipsum;* Joan. autem vers. 23. *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.* Cur ergo de manducando corpore, & bibendo sanguine suo sermonem instituens, quibusdam murmurantibus, & scandalum patientibus, Salvator lux mundi, & veritatis magister mentem suam non aperuit, nisi quod prius dixerat confirmando; neque accuratissimus Evangelista hæc consignans literis, ne pariter nos deciperemur, notulam appposuit aliquam; cur id, inquam, nisi quia illa verba, *Caro mea vere est cibus,*

&,

&, *Nisi manducaveritis carnem meam, &c.* accipi debent in proprio, literali, obvio, expresso, planissimoque sensu? Præterea inquit eo loci Christus, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, eundemque panem longe *manna* præstantiorem esse demonstrat, subjiciens, *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna & mortui sunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* His autem verbis non de Incarnatione jam peracta, sed de beneficio futuro loquitur Dominus; ac de beneficio tali, quo non *figura* corporis sui, quemadmodum fuit manna, sed ipsum corpus traderetur in cibum. Ad hæc Christus priusquam talia de pane isto proferret, insigne præmisit miraculum in quinque panibus hordeaceis parratum, non utique alia ratione, nisi, *ut re docti fidem minime iis negarent, quæ postea dicturus erat*, prout scribit in hunc locum Chrysostomus, ἵνα διδαχθέντες μηκέτι διαπίστωσι τοῖς μετὰ ταῦτα λεγομένοις. His itaque argumentis facile hæretici verba Joannis detorquentes revincuntur, & refutantur.

6. Roboratur ex verbis Christi instituentis.

Accedunt verba Christi Eucharistiam instituentis: ipse enim, ut legitur Matth. XXVI. 26. Marci XIV. 22. Lucæ XXII. 19. & 1. ad Corinth. XI. 24. discipulis panem vinumque porrigens ait: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Hæc autem verba sensum proprium tantummodo patiuntur; quod proximis adnotationibus ostendo. I. Oratio ista, *Hoc est corpus meum*, enuntiativa est, & operatrix, vera est enim, ac pronuntiata ab ipsamet Veritate panem in manibus tenente: non esset autem vera, si tunc panis in priori permansisset substantia, veluti si in Cana Galilææ accipiens in manus suas hydriam aquæ dixisset, *Hoc est vinum*, nec aquam in vinum vertisset, mentitus esset, & illusisset convivis: quare sermonem hunc Christi esse operatorium, haud secus, ac sermo, quo Deus ab initio condidit omnia, scribunt Ambrosius, Damascenus, aliique Patres paulo post laudandi. II. Hæc verba à Sacramentariis explicantur per *metonymiam*, quasi hunc reddant sensum, *Hic panis est signum corporis mei*, propterea quod circumstantia temporis, proximæ scilicet passionis, ostendebat fore, ut quamprimum Christi corpus adinstar panis contrectaretur ac frangeretur. Sed eædem circumstantiæ ora perfidorum obtundunt. Etenim Christus hoc Sacramentum loco *testamenti* reliquit: in testamentis autem condendis verba plana, & apertissima debent esse, ne inter hæredes oriatur contentio. Loquebatur etiam Dominus cum discipulis suis, non coram Judæorum multitudine; nec petebat audientium conditio, ut tropis ac parabolis uteretur. Apostoli saltem orationis illius sensum scrutati fuissent, si tropice existimassent prolatam: aut si hæsitavissent animo, ipse Jesus rem explanasset, ne postea Ecclesia in fœdissimum, horrendissimumque crimen idololatriæ laberetur. Ardentissimum præterea peragendi mysterii desiderium, separata benedictio utriusque elementi, necnon diligentissima Evangelistarum, & Pauli narratio satis ostendunt, Christum rem fecisse maximi quidem momenti, nec ulla sermonis ambiguitate tegendam. Demum non ait Dominus, *Hic panis est corpus meum*, sed *Hoc est corpus meum*, ita, ut pronomen *hoc* non sit referendum ad panem, sed ad Christi corpus, nec sensus sit, *Hic panis est figura corporis mei*, sed: *Hoc*, quod modo prolatione verborum meorum fit ex pane, *est corpus meum.* Vide Estium dist. VIII. §. 13. & 14. & in caput XI. primæ ad Corinthios. III. Insuper undenam sensum horum verborum, *Hoc est corpus meum*, eruere debemus, & expiscari? Utique ex definitione judicis vivi, cum hæretici constituentes fidei normam in privato spiritu, in his explicandis nunquam convenire potuerint: unde illos exagitavimus lib. XXIII. cap. 3. Atque si huc accederent; finita esset causa. Sed quoniam solam Scripturam in dirimendis controversiis expendendam esse reponunt; confodiam nunc suismet jaculis pervicaces. Horum quidam dicunt verba divina accipienda esse juxta nudam Grammaticæ intelligentiam, ne adversariis eludendi scripturas præbeatur occasio: alii tradunt, ubi aliquis textus videatur obscurus, atque de vera interpretatione disceptatio contingat, consulendam esse Scripturam iis in locis, in quibus eadem res perspicue tractatur; docent permulti antecedentia, & consequentia verba esse attente inspicienda, quæ ut plurimum verum nobis sensum commonstrant: in his autem regulis aliquid utilitatis esse fatemur, negamus præcipuum, aut unicum veritatis inveniri præsidium. Principio igitur si verum est, quod ajunt, non esse à nuda litera discedendum, ubi sensus Grammaticalis perspicuus est, nec vox aliqua afficitur *tropo*; petimus quodnam translatitii sensus vestigium insit huic propositioni, *Hoc est corpus meum?*

meum? Nonne tam clara est, ac una ex sequentibus, *Deus erat Verbum, Verbum caro factum est, Christus est filius Dei*, aliisque *subjecto*, ut inquiunt, & *prædicato* constantibus? Si ergo irridemus Ebionitas, & Arianos postremas enuntiationes improprio sensu exponentes; irrisione pariter digni sunt Sacramentarii translate accipientes enuntiationem præcedentem, *Hoc est corpus meum.* Hinc Lutherus, ut dixi, rogatus ut Oecolampadii amplecteretur sententiam, ait libenter se hoc pacto incommodaturum *Papatui*, *sed nimis urgent*, inquit, & *nimis clara sunt illa verba, Hoc est corpus meum.* Calvinus quoque lib. IV. Institut. cap. 17. num. 32. ait: *In sacra sua cœna jubet me sub symbolis panis & vini corpus, & sanguinem suum sumere. Nihil dubito quin & ipse vere porrigat, & ego recipiam.* Salomon autem Glassius, qui Grammaticis observationibus, plusquam fecerint Novatores alii, labore improbo dedit operam, sic lib. 2. tract. 2. sect. 1. art. 2. vellicat Sacramentarios: *Sensus literalis proprius est, qui oritur ex verbis in propria & nativa significatione acceptis. Sic in verbis cœnæ, Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum, sensus literalis proprius est, quia nulla hic occurrit vox modificata, seu tropo affecta.* Accipere *acceptionem proprie dictam, quæ ore vel manu fit:* Comedere *comestionem propriam, quæ fit ore:* Hoc *proprie istud, quod à Christo Apostolis manducandum præbebatur:* Est *proprie prædicati cum subjecto connexionem, & substantiæ sacramenti Eucharistici expressionem:* Corpus *proprie ipsum Dominicum corpus in hypostasi τοῦ λόγου gloriosissima subsistens:* Meum *proprie, & pronominaliter significat.* Similia scribit Hornejus in Compendio Theologiæ, pag. 408. ubi addit nomine Corporis duo tantum in sacris literis denotari, corpus Christi naturale, & mysticum, id est, Ecclesiam. *Hic autem sermo*, inquit, *non est de corpore Ecclesiæ: Ergo de vero, & naturali corpore ejus.* Quæ argumentatio tenet, etiamsi dixeris falli Hornejum, & nomine *corporis* ulterius significari *antitypa* veterum, & Evangelium, ad Colos. 2. 17. Siquidem nec hæretici interpretantur ea verba, *Hoc est corpus meum*, ac si dictum foret, *Hoc est Evangelium meum.* IV. Si velint hæretici hujus loci, quem translate accipiendum putant, sumendam interpretationem ex aliis de eadem re pertractantibus, causâ pariter excidant necessum est. Enimvero si ad caput Joannis sextum convertamur, ibi legimus Dominicam carnem *vere*, non *tropice* cibum esse, & sanguinem Domini *vere*, non *tropice* esse potum: si Evangelistæ conferantur invicem, eandem exprimunt enuntiationem, nec quocunque legantur idiomate, metaphoram sonant, vel tropum: si consulamus Apostolum, is in priori ad Corinthios, x. 16. *Calix benedictionis*, inquit, *cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Non figuram audio, aut typi communionem, sed corporis, sanguinisque κοινωνίαν, *unionem quamdam*, ut Chrysostomus, & Theophylactus exponunt, *præstantissimam.* Ac proximo capite de indigne communicante, *Reus erit*, ait Paulus versu 27. *corporis, & sanguinis Domini;* scilicet, non de male tractata imagine pœnam luet, sed supplicium feret ipsius corporis & sanguinis indigne accepti, sive, ut scribit Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum cap. 8. *violati;* propterea quod ad mensam Domini accesserit, *non dijudicans*, id est, non discernens *corpus Domini;* ac latenti sub velamine *specierum* parem irrogaverit injuriam, ac Judas illius sanguinem tradens, & proditorium osculum infigens ori, seu Judæi, qui in ejus faciem expuerunt, & cumulatum contumeliis tradiderunt Pilato morte occidendum turpissima: his enim comparationibus Theodoretus, Oecumenius, aliique sacrilegam communionem redarguunt. Sane Paulus his in locis signi aut figuræ non meminit, imo exprobrans injuriam Dominico corpori illatam, præcipiens probationem quamdam peculiarem, commonensque, ut corpus Domini *dijudicetur*, & discernatur à communi quocunque cibo, demonstrat se non agere de nudo signo. Illa itaque verba, *Hoc est corpus meum*, nequeunt ob collationem aliorum locorum de Eucharistia pertractantium, à literali ad aliam significationem transferri. V. Nec aliud consequitur, si ex adjunctis ac proximioribus eruere velimus sensum eorundem verborum legitimum. Eatenus quippe, ut eadem exempla, quæ objiciuntur nobis, arripiam, quod legitur Joannis 1. 29. *Ecce agnus Dei*, accipiendum est *tropice*, quatenus subjicitur, *Qui tollit peccatum mundi*; quod non convenit ovillo fœtui. Ita versus 1. cap. xv. *Ego sum vitis vera*, & versus 5. *Ego sum vitis, vos palmites*, habent tropicam locutionem, quoniam comparationem

parationem solam innuit quod confestim additur, *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes:* imo quod latine legitur, *vitis vera*, est in Græcis cum articulo, ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινος, hoc est, *illa vitis vera*, singularis scilicet, & generis præstantioris. Quod pariter scribit Apostolus in 1. ad Corinth. x. 4. *Petra autem erat Christus*, significat petram illam, unde fluxerunt aquæ, figuram fuisse Christi; quoniam eodem versu Christus dicitur petra spiritalis, & uberrimas gratiarum aquas exundans, *Bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra.* Verum in istis enuntiationibus, *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei*, nihil invenitur adjunctum, quod literalem evertat sensum; sed tantum priori additur in præcitata Epistola ad Corinthios, *Quod pro vobis tradetur*; alteri autem apud Matthæum, & Marcum, *Qui pro multis effundetur*: quæ sunt veri corporis, & veri sanguinis attributa. Ex quibus omnibus sequitur, quod etiamsi attenderentur solæ regulæ interpretandi Scripturas probatæ ab hæreticis, adhuc revincerentur aperte qui in Dominicis verbis, *Hoc est corpus meum*, præfracte, temere, & audacter affirmant nudum adesse tropum.

Momentum II.

Ex sacris Ecclesiæ Conciliis.

7. Ex Ecclesiæ Conciliis.

Cæterum Scripturarum sanctarum interpretatio requirenda est ab Ecclesia, quæ non semel nobis veritatem proposuit in sacrosanctis Conciliis. Etenim Nicænum primum canone XIV. & in versione Dionysii XVIII. mandat ut iis, qui non offerunt, sacerdotes διδόναι τὸ σῶμα τῦ Χριςῦ, *dent corpus Christi.* Ephesinum, ut diximus in prænotatis, in Epistola ad Nestorium definit, *accedentes ad mysticas benedictiones participes fieri sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi*, neque *communem carnem* percipere, *sed vere vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam.* Nicænum II. art. VI. *Nullus*, inquit, *tubarum spiritus, sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri, ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus*, εἶπεν εἰκόνα τὰ σώματος αὐτῦ, & paucis interjectis, sic de pane vinoque loquitur: *Post sanctificationem corpus proprie, & sanguis Christi appellantur, sunt, & creduntur:* μετὰ τὸν ἁγιασμὸν σῶμα κυρίως ϗ αἷμα Χριςῦ λέγονται, καὶ εἰσι, ϗ πιςεύονται. Sunt quidem aliqui reprehendentes hoc in loco Epiphanium Diaconum, cujus ista sunt verba, quod negarit *symbola* post sanctificationem dici ἀντίτυπα: sed dictum supra cap. 7. Græcos in hujus vocis explicatione non consentire; & expedietur paulo infra quidquid in ea voce offenditur difficultatis. Exorta autem Berengariana hæresi, plura ad hanc extirpandam Concilia coacta sunt, in quibus emissas à Berengario Confessiones fidei exprimentes dogma istud catholicum, paulo antea produximus. Addimus subsecuta Concilia Oecumenica, Lateranense sub Innoc. III. cap. 1. Constantiense sess. VIII. Florentinum in decreto unionis, ac Tridentinum sess. XIII. quorum definitiones tam obviæ sunt, & apertæ, ut necesse non sit illas exscribere, aut recitare.

Momentum III.

Ex perpetua traditione SS. Patrum.

8. Ex Perpetua traditione SS. Patrum.

Neque enim sacrosancta Concilia, ut ajunt qui illorum spernunt auctoritatem, doctrinam novam, Patribusque incognitam tradiderunt; sed viguit illa quovis Ecclesiæ sæculo, prout constat monumenta veterum pervolutanti. Ignatius Martyr ad Smyrnæos scribens, & de Simonianis verba faciens, ait pag. 37. edit. Cotel. Εὐχαριςίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογειν τὴν εὐχαριςίαν σάρκα εἶναι τὲ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησῦ χριςὲ, τὴν ὑπερ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθῦσαν, ἣν τῇ χρηςότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν. *Ab Eucharistia, & oratione abstinent, quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam benignitate sua Pater suscitavit.* Cujus loci meminit Dialogo 3. Theodoretus. Vide & Ignatii Epistolam ad Romanos pag. 77. & ad Philadelph. pag. 79. S. Justinus Apologia ad Antonium pag. 98. scribit in Eucharistia veram manducari Christi carnem eo modo Evangelicis verbis inductam, quo per verbum peracta fuit Incarnatio, dicens: *Non enim ut communem panem, neque communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ actæ sunt, Alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur*, ἐκεινε τὲ σαρκοποιηθέντος Ἰησῦ ϗ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι, *ejusdem Incarnati Jesu*

carnem, & sanguinem esse, edocti fuimus. Sanctus Irenæus lib. 1. cap. 13. pag. 60. edit. Massuet, Marcosios refellens, narrat præstigiis suis vinum album in purpureum transmutasse, ut suaderent Eucharistiam à se magicis deliriis confectam verum sanguinem continere: quo solemni portento nunquam studuissent fucum facere, nisi ex præconcepta in Christianorum animis præsentiæ realis, ac *transsubstantiationis* doctrina. Libro autem IV. cap. 17. pag. 249. de Christo Jesu ait Irenæus, *Calicem suum sanguinem confessus est:* ac proximo cap. pag. 251. de Judæis instituendo sermonem, *Quomodo;* inquit, *constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis ejus, si non ipsum Fabricatoris mundi Filium dicant?* Quibus verbis docet eos, qui Verbi negant incarnationem, denegaturos quoque Eucharistiæ veritatem, & *transsubstantiationis* mysterium. Probat deinde eo loci Irenæus ex hoc eodem mysterio futuram corporum resurrectionem: eodemque argumentationis genere lib. v. cap. 2. revincit Marcionitas & Valentinianos; adversus quorum deliramenta perperam, ut infra ostendam, acueret stilum, si in Eucharistia adesset imago Dominici corporis, non substantia. Quamobrem Grabius Claudio, Albertino, cæterisque Calvinianis candidior adnot. in præcit. cap. 2. pag. edit. Oxon. 399. fatetur Irenæum, & permultos veterum sententiæ Catholicorum præcinuisse.

9. Ex Doctoribus ante ætatem S. Augustini.

Id cum ego testimoniis eorum, qui ante sæculum tertium floruerunt, hactenus demonstraverim, ostendam modo sententiis apertissimis cæterorum, qui scripsere ante ætatem Augustini parentis nostri. Quorum agmen ducens Tertullianus in lib. adv. Judæos cap. 10. demonstrat propheticum Hieremiæ vaticinium, *Mittamus lignum in panem ejus,* spectare ad Jesum suffixum cruci, quia ipsemet Christus panem esse corpus suum pronuntiavit. Id vero de figura corporis nequit accipi; non enim corpus umbraticum, sed verum affixum est ligno: unde Tertullianus eodem vaticinio perstringit Marcionem veram Christi carnem non confitentem, libro 3. contra eundem hæreticum cap. 19. In eodem Opere lib. IV. cap. 40. affirmat Tertullianus Dominum acceptum panem in corpus vertisse suum scribens: *Corpus suum illud fecit;* ac de percipiente Eucharistiam libro de Resurrect. carnis cap. 8. ait: *Corpore, & sanguine Christi vescitur.* Plura de Tertulliano Carolus noster Moreau tom. 2. verbo, *Eucharistia.* Cyprianus lib. de lapsis pag. 378. edit. novissimæ de impiis non purgata conscientia communicantibus, *Vis,* inquit, *infertur corpori ejus, & sanguini:* & epist. 63. pag. 231. contra offerentes in matutinis sacrificiis puram aquam, *Quomodo autem,* ait, *possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere?* Econtra instante Galli & Volusiani persecutione concedendam censuit communionem lapsis sub Decio, erroremque suum confitentibus, hanc rationem epist. 54. pag. 172. proferens, *Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus?* Adisis præfationem memoratæ editionis num. XIII. ubi hæc, aliaque plura invenies notatu dignissima. Gregorius Nyssenus in magna Orat. Catech. cap. 37. pag. 536. ita loquitur: Καλῶς καὶ νῦν τὸν τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ ἁγιαζόμενον ἄρτον εἰς σῶμα τοῦ θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι πιστεύομαι, *Recte & nunc verbo Dei sanctificatum panem in corpus Dei Verbi transmutari credo:* ac paulo post, εὐθὺς ὥρας τὸ σῶμα τοῦ λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται ὑπὸ τοῦ λόγου, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα μου, *statim in corpus Verbi transmutatur* (Panis) *sicut dictum est à Verbo, Etenim hoc est corpus meum.* Ex scriptis Cyrilli Jerosolymitani satis est proferre quæ habet Catech. Mystag. IV. pag. 528. edit. Morel. Αὐτοῦ οὖν ἀποφηναμένου, καὶ εἰπόντος περὶ τοῦ ἄρτου, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, τίς τολμήσει ἀμφιβάλλειν λοιπόν; καὶ αὐτοῦ βεβαιωσαμένου καὶ εἰρηκότος, τοῦτό μού ἐστι τὸ αἷμα, τίς ἐνδοιάσει ποτὲ, λέγων μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸ αἷμα; *Cum igitur ipse Christus sic affirmet, atque dicat de pane, Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante, & dicente, Hic est sanguis meus, quis, inquam, addubitet, & dicat non esse ejus sanguinem?* S. Ambrosius de Mysteriis cap. 8. num. 47. probat Eucharistiam mannâ esse præstantiorem, quoniam hæc est *Panis vivus qui descendit de cœlo, & est corpus Christi;* corpus utique re, non figura; nam Christi typum etiam manna gerebat; & num. proximo 48. sic prosequitur: *Considera nunc, utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud de cœlo, hoc supra cœlum; illud cœli, hoc Domini cœlorum.* Tum subjicit: *Illis aqua de Petra fluxit, tibi sanguis è Christo;* & post pauca, *Illud in umbra, hoc*

in

in veritate. In hujus autem rei confirmationem affert proximo capite exempla plurium miraculorum, quibus aut res de novo fuerunt productæ, aut mutatæ species elementorum. Recte tom. 2. pag. 337. editores Benedictini: *Porro ab hoc ipso loco ad finem usque operis tot, tamque efficacia probandæ Christi in sacramento reali, ut vocant, præsentiæ suppetunt argumenta, ut ea depromere, atque adversus temerariam Berengarii novitatem opponere strenuissimi ejusdem Eucharisticæ veritatis propugnatores Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, Petrus Cluniacensis, aliique certatim contenderint. Neque vero ut easdem elevarent aut eluderent probationes, segniorem operam navaverunt heterodoxi. Verumtamen inanes, ne dicamus ineptas, eorum argutias, atque cavillationes esse prudens lector facile deprehendit.* Mitto interim alia plura, quæ ex libris de Sacramentis, Ambrosii sub nomine commendatis, possunt depromi. Mentem vero Joannis Chrysostomi præ cæteris manifestant, quæ scribit Hom. 83. in Matth. pag. 699. affirmans novum testamentum eodem modo Dominicum possidere sanguinem, ὥσπερ ἡ παλαιὰ πρόβατα καὶ μόχες εἶχεν, *quemadmodum vetus pecudes, & vitulos habebat*, de Eucharistia utique verba faciens: eademque Hom. pag. 703. ἐπεὶ οὖν ὁ λόγος φησὶ, τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μου, καὶ πειθώμεθα καὶ πιστεύωμεν, καὶ νοητοῖς αὐτὸ βλέπωμεν ὀφθαλμοῖς. *Quoniam igitur Verbum dixit, Hoc est corpus meum; nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus.* Docet subinde invidendum non esse iis, qui formam, speciem, ac vestimenta Domini videre; quia licet sub rebus sensibilibus, id est, sub elementorum imagine, revera tamen ipsum videmus, tangimus, & comedimus: quæ inepta forent dicta, si in Eucharistia nudus adesset typus, inanisque figura. Præterea Hom. 24. in Epist. 1. ad Corinth. pag. 532. ait: ὅτι τοῦτο τὸ ἐν ποτηρίῳ ὄν, ἐκεῖνο ἐστὶ τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν, καὶ ἐκείνου μετέχομεν. *Id enim, quod est in calice, est illud idem, quod è latere fluxit, & illius sumus participes.* Paulo post Christi charitatem inde commendat, quod amatores reliqui suam in vestibus, cæterisque donariis ostendant magnificentiam, ut fecit autem Christus, *in sanguine nullus unquam*: quod adverte dicit à Chrysostomo *de calice benedictionis.* S. Hieronymus in caput 1. Epist. ad Titum p. 1. Tom. 4. pag. 418. ita de Eucharistia loquitur: *Tantum interest inter propositionis panes & corpus Christi, quantum inter umbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur:* in Epistola 44. p. altera ejusdem Volum. pag. 547. hoc pariter discrimen statuit inter sacrificium Melchisedech, & Christianum Mysterium, quod illud oblatum fuerit *in typo*, istud vero *in Salvatoris sanguine, & corpore.* Sed de Hieronymo plura in Confessione Hieronymiana Schultingus.

10. Ex S. Augustino.

Augustinus, ut ad hunc tandem deveniamus, lib. IX. Confessionum cap. 13. num. 36. scribit beatissimam matrem Monicam ei mandasse, ut sui memoria fieret ad altare, quod sciret in eo dispensari *victimam sanctam, qua deletum est chirographum, qui erat contrarium nobis.* Enarratione 1. in Psalmum 33. num. 10. demonstrat quod in LXX. legitur 1. Regum 21. *Et ferebatur manibus suis*, in Davide secundum literam non esse adimpletum, imo nec in alio nudo homine: *Quis enim*, inquit, *portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur.* Impletum deinde hoc ait in Christo, *Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Insaniat autem necessum est, qui putat hæc de figura, & imagine posse expiari: quisque enim propriis manibus suam imaginem ferre potest, neque de hac ullus dixerit, *Quis portatur manibus suis? manibus suis nemo portatur.* Libro 2. contra lit. Petil. cap. 37. num. 87. scribit Pascha Judaicum passionis Domini fuisse typum, sed aliud esse quod illi *de ove* celebrabant, *aliud autem quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* De peccat. meritis & remis. lib. 2. cap. 26. num. 42. affirmat eulogias catechumenis distributas esse cibis alis sanctiores, & sui generis sacramentum; *quamvis non sit corpus Christi*, Eucharistia scilicet, qua non vescitur cathecumenus. Vide in hunc locum Hieronymum Torrensem lib. 3. Confess. Augustin. cap. 6. §. 1. Tractatu 62. in Joannem num. 3. docet, Judam accepisse *corpus Christi* cum aliis Apostolis, priusquam ei porrexerit Dominus buccelam intinctam, Sacramentum à communi pane, tametsi in cœna fracto, & *typico*, aperte secernens. Et denique, ne sim infinitus, libro XII. contra Faustum cap. 10. hæc scribit: *Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur, Amen. Hoc*

est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum. Hos interim è fontibus hausisse sat est, quippe veterum sententiam loculentissime ostendunt, & mox quosdam alios commemorabo. Qui tamen optat copiam testimoniorum uberiorem, perlegat Cardinalem Perronium de Euch. Jodocum lib. VI. Thes. art. 1. Crespetium Summa Eccles. pag. 356. Bellarminum de Euch. lib. 2. Opus de Perpetuitate fidei, & ex Theologis ætati nostræ proximioribus Carolum Witassium Tract. Theolog. tom. IV.

Momentum IV.

Ex confutatione veterum hæreticorum.

11. Ex confutatione veterum hæreticorum.

Horum, aliorumque Patrum scripta perlegens animadverti in refutandis hæresibus, quas damnant quoque Novantes, urgere argumenta, fidei receptæ, exploratissimæque dogmatis hujus superinnixa. Nam Irenæus lib. IV. cap. 17. pag. 249. probat abrogandam fuisse legem veterem, & eliminanda holocaustomata, ut umbris veritas ipsa succederet, & ubique terrarum offerretur prænuntiatum à Malachia sacrificium, in quo Dominus creaturam panis *fecit corpus suum*, & vinum item *sanguinem suum confessus est.* Sequenti cap. XVIII. pag. 251. demonstrat corporum resurrectionem, futuramque carnis incorruptionem, ex quo *sicut panis per invocationem Dei, jam non est panis, sed Eucharistia*, sic corpora nostra Eucharistiam percipientia spem resurrectionis habeant: quod argumentum repetens lib. V. cap. 2. pag. 294. *Sicut*, inquit, *granum tritici, & vinum percipientia verbum Dei Eucharistia fiunt, quod est corpus & sanguis Christi; sic & nostra corpora ex ea nutrita, & in terram resoluta resurgent in suo tempore.* Eodem pacto Marcionitas & Valentinianos asserentes mundum hunc aspectabilem non fuisse conditum à Deo veteris Tastamenti auctore, Irenæus lib. IV. pag. 270. cap. 33. sic refellit: *Quomodo autem juste Dominus, si alterius Patris existit, hujus conditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem suum corpus esse confitebatur, & temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit?* Eosdem, aliosque hæreticos negantes Verbum assumpsisse veram carnem è Maria Virgine procreatam, ita urget lib. V. cap. 2. pag. 293. *Si autem non salvetur hæc, videlicet nec Dominus sanguine suo redemit nos; neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis ejus est, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus.* Quæ omnia futilia nimium essent, & inepta, si in Eucharistia adesset sola Dominici corporis figura. II. Tertullianus pariter lib. IV. contra Marcionem cap. 40. eodem argumenti genere usus est scribens: *Confistit probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis*, ibique verum, non phantasticum Christi corpus ostendit ex verbis consecrationis, *Hoc est corpus meum*, & verum pariter sanguinem ex consecratione calicis. Etsi autem ibi appellat panem *figuram corporis*; non loquitur de figura quæ veritatem excludat, alioqui firmasset potius dogma Marcionis, quam confutasset; siquidem is reposuisset corpus dici, quod corporis solam refert imaginem. III. S. Epiphanius in Anchorato num. 57. pag. 70. demonstrat revera hominem conditum esse ad imaginem Dei, quamvis homo comprehendi possit, ac tactu percipi, Deus vero omni spiritu sit præstantior, omnique luce superior, quemadmodum panis post consecrationem vere ac proprie est Christi corpus, tametsi rotundum sit, sensus expers, & membrorum careat lineamentis, & notis: quod adeo, inquit, certum est, ut nemo sit, qui ei sermoni, *Hoc est corpus meum*, fidem non adhibeat: *nam qui verum illum esse non credit, à gratia & salute prorsus excidit*, ὁ γὰρ μὴ πιστεύων εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν, ὡς εἶπεν, ἐκπίπτει τῆς χάριτος, καὶ τῆς σωτηρίας. His autem verbis in editione Petaviana hæc notula apponitur, *Insignis locus, quo Dominici corporis in Eucharistia præsentia comprobatur.* IV. S. Hilarius lib. VIII. de Trinit. num 13. pag. 954. probat divinum Verbum *naturaliter* esse in Patre petita ex Incarnationis mysterio, & ex Eucharistiæ sacramento comparatione, scribens, *Si enim vere Verbum caro factum est, & vere nos Verbum carnem cibo Dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus, quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse, quia in Christo Pater, & Christum in nobis, unum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & vere homo,*

homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus; & per hoc unum erimus, quia Pater in illo est, & ille in nobis: quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas, perfectæ sacramentum sit unitatis? Vide quæ & nos annotavimus Tom. 2. pag. 57. solventes objectiones Arianorum. V. Cyrillus demum Alexandrinus lib. IV. contra Nestorium cap. 4. & 5. demonstrat in Christo unitatem personæ, ex quo in Eucharistia non communem carnem accipiamus, neque carnem cujusdam hominis sanctificati, divinamque inhabitationem sortiti, sed carnem vere vivificam, & ipsius Verbi propriam. *Cum enim*, inquit tom. VI. pag. 109. *ab illa cum corpore mystica, veraque unione vivificum Dei Verbum segregaris, & omnino disjunxeris, quomodo ipsum corpus adhuc vivificum ostendes?* Dictum supra, eodem telo pugnasse Synodum Ephesinam; eademque ratione confutaverat Paulum Samosatenum Dionysius Episcopus Alexandrinus. Legi potest Scholion Lupi ad XI. Nestorii Capitulum, tom. I. pag. 352. Frequentissime igitur in confutandis hæresibus Patres ex communi, certissimoque præsentiæ realis dogmate argumenta, probationesque sumpserunt.

Momentum V.

Ab exemplis, quibus Veteres fidem huic Mysterio conciliarunt.

52. Ab Exemplis Veterum.

Talia Majores nostri de Eucharistia prædicantes, ne res admiranda & arcana in audientium animis gigneret hæsitationem, revocabant in ipsorum memoriam patrata à Deo mirabilia. Justinus non semel laudata ad Antoninum Apologia pag. 98. eo pacto docet mutari panem in Christi corpus, quemadmodum, διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, *per verbum Dei caro factus est Jesus Christus Salvator noster*, eandemque comparationem affert præcitata Orat. Catechetica Gregorius Nyssenus pag. 537. & Hilarius, cujus verba recitata sunt nuper. S. Irenæus lib. IV. cap. 18. pag. 251. ea ratione Eucharistiæ fidem adstruit, quoniam conficitur per Filium Fabricatoris mundi, id est, *per Verbum, per quod lignum fructificat, & defluunt fontes, & terra dat quidem primum fœnum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica.* Aequiparat etiam eo loci, ut annotatum supra, Eucharistiam resurrectioni, unum ex alio comprobans; & lib. V. cap. 2. pag. 294. ait elementa percipientia Dei verbum fieri Eucharistiam, *quod est corpus, & sanguis Christi, quemadmodum lignum vitis dispositum in terram suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum, multiplex surgit per spiritum Dei, qui continet omnia.* Cyrillus Jerosolymitanus Orat. mystag. IV. pag. 528. urget exemplum conversionis aquæ in vinum, dicens: τὸ ὕδωρ ποτὲ εἰς οἶνον μεταβέβληκεν ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, οἰκείῳ νεύματι, καὶ οὐκ ἀξιοπίστως ἐστὶν οἶνον μεταβαλλὼν εἰς αἷμα; *Aquam aliquando mutavit in vinum in Chana Galilææ sola voluntate; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem trasmutarit?* Ambrosius de Mysteriis cap. IX. num. 10. probat consecrationis & benedictionis majorem esse vim, quam naturæ, eoquod benedictione ipsa quoque natura mutetur, allatis exemplis virgæ Moysis in colubrum versæ, aliorumque signorum in Aegypto patratorum, Jordanis contra naturam revertentis ad suæ fontis exordium, aquæ de petra fluentis, suamque contactu ligni deponentis amaritudinem: aliisque id genus recensitis num. 51. prosequitur: *Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret: non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt: sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? non enim minus est, novas rebus dare, quam mutare naturas.* Sequenti autem num. 52. confirmat hujus mysterii veritatem Incarnationis exemplo, atque in hæc verba prorumpit: *Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo carnis illius sacramentum est.* Uditur quoque exemplo sermonis Christi, quo creata sunt omnia lib. IV. de Sacramentis cap. 4. num. 15. pag. 368. novæ editionis Parisiensis. Insistit iisdem vestigiis, profertque ad fidem hanc adstruendam exemplum creationis rerum universarum, divinique Verbi Incarnationis, S. Joannes Damascenus lib. IV. de Fide cap. 14. cujus testimonium exscripsimus libro XXX. cap. 11. His permoti cum D. Thoma q. 88. art. 4. omnes è schola Theologi tribuunt verbis consecrationis vim effectricem, eamque

nos citato cap. undecimo propugnavimus. Nunc vero ab hæreticis petitus, cui bono Patres tam præclara exempla produxerint, si in Eucharistia panis, & vinum in sua persistant substantia, nullam subeant mutationem, neque ipsa re, sed *figura* duntaxat, sint Domini nostri corpus, & sanguis?

Momentum VI.

Ex miraculis in veritatis confirmationem patratis.

23. Ex Miraculis. Sed quæ Patres doctrinis, exemplisque tradiderunt, non semel Deus omnipotens confirmavit mirabili rerum eventu. Non omnia referendi est animus, quæ mandarunt literis Guitmundus, Viguerius, Clithovæus, Genebrardus, aliique apud Joannem Baptistam Scortiam de Sacrificio Missæ lib. IV. cap. 14. Nec repetam quæ de Tarsicio Christi Sacramenta portante extra viam Appiam scripsi hoc ipso volumine. Optatus ergo, ut referantur perpauca, libro 2. de schism. Donatist. num 19. narrat canes rabie accensos dente vindice laniasse dominos suos, qui Eucharistiam projecerunt, *quasi latrones, sancti corporis reos.* Amphilochius in Vita S. Basilii scribit, Hebræum mysteria nostra irridentem, cum adesset ipsi Basilio facienti rem sacram, vidisse illius manibus infantem partiri, cumque accederet ad altare communicationem percepturus, hostiam in veram carnem fuisse conversam; quod Theodorus Prodromus in Tetrasticho in laudem Basilii ita complexus est carmine:

Intuitus panem, & nigrum in cratere lyæum
Riserat Hebræus sacra mystica Christicolarum:
Hoc ubi Basilius perstrinxerat, utraque edenda
Porrigit, illa statim cruor, & caro versa resultant.

Idem contigit, narrante Joanne Diacono, dum Matrona quædam Gregorio Magno sacram distribuente synaxim, ac dicente, *Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam*, irridens reposuit, *Panem hunc manibus egomet meis pinxi.* Vide Joan. Diaconum in Vita Gregorii libro 2. num. 41. necnon Paulum Diaconum n. 23. initio tomi IV. novæ Gregorianorum Operum editionis. Chrysostomi tempore, dum mulier Macedoniano imbuta errore simulate accederet ad communionem Dominici corporis, isto clam ancillæ porrecto, communem panem accipiens & ori admovens, sensit hunc versum in durissimum lapidem, qui diu inter donaria Templi Constantinopolitani ad fidem miraculi fuit asservatus, uti Nicephorus lib. XIII. H. E. cap. 7. & Sozomenus lib. VIII. cap. 5. literis consignarunt. Exorta insuper Berengarii hæresi, sacram hostiam à malefica muliere palliolo involutam, fuisse dimidia ex parte in carnem divinitus conversam, retenta ex alia parte *specie* panis, scripsit in Epistola ad Desiderium Abbatem Cassinensem S. Petrus Damiani: qui eadem Epistola refert quoque præsentem se fuisse, dum Episcopus Amalphitanus interposito jurejurando narravit Stephano Romano Pontifici, *quia cum aliquando ad mensam Domini sanctificaturus accederet, sed super sacramento Dominici corporis incredulus hæsitaret, in ipsa confractione salutaris hostiæ rubra prorsus ac perfecta caro inter ejus manus apparuit, ita ut digitos illius cruentaret, sicque sacerdoti scrupulum dubietatis auferret.* Sed vide Ecclesiasticorum Annalium Scriptorem eximium ad an. MLIX. num. 21. & seq. Hujus autem generis miracula evenerunt complura: inter quæ illud, quod sacerdoti celebranti accidisse anno 1264. Vulsinii, tradunt in Urbano IV. Panvinus, Sigonius lib. XIX. de Regno Italiæ, Raynaldus tom. XIV. ad eundem annum, num. 26. aliique Historici, scribentes, profluxisse è sacro calice sanguinem, quo pertinctum *Corporale* etiamnum religiose custoditur in Cathedrali Ecclesia Urbis veteris. Atque occasione hujus miraculi fertur institutum festum Corporis Christi: de qua re dicam infra. Idem, quod apud Vulsinios, accidisse Doracæ in regno Aragonensi anno 1239. testantur Ludovicus Granatensis p. 2. Introduct. Symboli, Henriquez lib. IX. cap. 38. omnesque rerum Hispanicarum Scriptores. Sed quid, in his enarrandis insumo tempus? Vel sola familiæ nostræ domestica historia continet hujusmodi exemplorum innumera. Jesum enim in sacra Hostia perspicue contemplati sunt Nicolaus Tolentinas, Joannes à sancto Facundo, aliique viri sanctitate conspicui: vinum in aquam, ut huic mysterio adstrueret fidem, vertit Joannes Bonus; atque Hostiam in carnem ac sanguinem mirabiliter conversam religiose servant fratres nostri in Piceni oppido Offidano, & aliam consimilem Lovanienses, cujus pars altera custoditur in

cœnobio Coloniæ Agrippinæ. De hac orationem habuit Christianus Lupus, inter Opuscula posthuma pag. 97.

Momentum VII.

Petitum ex ipsis catholicæ fidei adversariis.

14. Ex ipsis Catholicæ fidei adversariis.

Gentes quoque, tametsi eis sacramenta nostra, & Eucharistiam maxime occultare studuerint Ecclesiæ Patres, aliquid de illa è simpliciorum colloquiis excipientes, causati sunt celebrari à nobis Atreas, Thyestea sque epulas, in quibus scilicet trucidati infantis vescamur carnibus, ad eum modum, quo Atreus Thyesti fratri filios epulandos apposuit, ut Servius scribit in priorem librum Aeneidum, ac norunt omnes haud ignari veterum fabularum. Hujus rei causa Christianæ Religionis Apologistæ vindicant ab infanticidii crimine nostratium cœnas, quas *ut sceleris infames suggillari* conqueritur adversus Gentes Tertullianus. Ac Justinum, ut hujus calumniæ depelleret atrocitatem, manifestius, quam disciplina postularet arcani, de Eucharistia pertractasse diximus præcedenti Volum. pag. 49. Raptos ad supplicium plures martyres, atque hos inter glorioſissimum Attalum, ob ementitum Thyesteæ cœnæ flagitium, narrat lib. v. Hist. Eccl. cap. 1. Eusebius. Jam vero tam probrosa accusatio non videtur aliunde arripuisse occasionem, nisi ex aliquo sparso rumore, quod in convivio Eucharistico veram *Filii hominis* carnem initiatis Antistites dispertirent. Quamobrem imperator Numerianus, ut suismet oculis de rei veritate sumeret experimentum, ingressus Antiochenam Basilicam adesse voluit, dum sacrum peragentes Eucharistiam conficerent, ac distribuerent. Falsa itaque Ethnicorum calumnia veritati hujus mysterii, ipsos latenti, fuit superstructa. II. Non alia ratione ducti Christiani nominis hostes existimarunt à nobis cŏli tanquam numina Bacchum & Cererem, quoniam causam ignorarunt nostræ erga Eucharistiam venerationis. Si enim ad illorum aures hoc unum perveniſſet, uti nos in sacrificio pane, & vino, nec intellexissent ulterius Eucharistiam à nobis adorari, atque in ea præsentiam Numinis cŏli; nequaquam habuissent nos tanquam idololatras, Cereriſque cultores. Nam & Sacramentarii dogma catholicum execrantes traducunt nos quasi adoratores Dei cujusdam *Panicei*. III. Manichæi etiam, qui adeo delirabant, ut crederent Christum esse in spicis, & sarmentis ligatum, apponi in escis omnibus, & refici homines *quadam Dei defectione*, arbitrabantur *parem nobis esse religionem circa panem & calicem:* hoc autem deliramentum refellitur ab Augustino libro xx. contra Faustum cap. 13. non quod in Eucharistico pane Christus non sit; sed quia *certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur*, neque est *alimentum refectionis*, sed *sacramentum religionis.* Certe Faustus, aut Manichæorum alius ausus non fuisset dogmati suo comparare panem & calicem nostrum, & parem dicere religionem, pe us iis desipiens, qui existimarunt nos Cererem ac Liberum colere; nisi nosset credi à nobis in pane, & calice realem Christi præsentiam. At hæretici alii studuerunt hanc suis deceptionibus accommodare. Diximus Marcum præstigiatorem eandem præsentiam inducendi vim tribuisse magicis incantationibus; Nestorium vero in ea opinatum unionem moralem excogitatam in Christo. Eutychiani Dominicum corpus in Eucharistia profitebantur, sed quod in divinitatem transiisset, ad eum modum, quo impie de Incarnatione dogmatizabant: unde ab Anastasio Sinaita in ὁδηγῷ cap. 13. revincitur Timotheus Eutychianus, ex quo *teneri, frangi, dividi, & in partes distribui, & effundi, & exhauriri, & transmutari, & dentibus conteri à divinitate prorsus adhorret*, ἀπρεπὲς δὲ θείας φύσεως τὸ κρατεῖσθαι, καὶ κλᾶσθαι, καὶ μερίζεσθαι, καὶ θρύπτεσθαι, καὶ ἐκχεῖσθαι, καὶ κενοῦσθαι, καὶ μεταβάλλεσθαι, καὶ ὑπὸ ὀδόντων κατατέμνεσθαι. Vide editionem Gretserianam Ingolstadii pag. 233. De Arianis dictum supra mom. 5. Valdenses dum affirmarunt corpus Christi ab indigno Sacerdote non confici, circa ministri conditionem, non circa sacramenti substantiam deprehenduntur errasse. Joannes Hus in Apologia à se conscripta anno MCCCCXI. amovit à se omnem hæresis, quam profligamus, suspicionem. Protestantium capita Lutherum, & Calvinum non ausos veritatem penitus oppugnare, ostendimus in hujus capitis prænotationibus. V. Græci Schismatici (nam Orthodoxos nobiscum consentire manifestissimum est) adesse Christi corpus in Eucharistia unanimi ore fatentur. De Gabrielis Philadelphiensis Metropolitæ libro, inscripto, *Fides Ecclesiæ Orientalis*, plura post Perronium Novetus, Simonius, Arnaldus: nos exscribemus tantum se-

quentia

quentia pag. 9. edit. Parisiens. πᾶς μετεσιωμένος ἄρτος καὶ οἶνος ἐστὶν ἅγιος ἢ τέλειος, καὶ σάρξ Χριστοῦ. διὰ ὃν προσκυνεῖται μόνον, ἀλλὰ καὶ λατρεύεται, *Omnis transsubstantiatus panis cum vino, sanctus, ac perfectus est, & CARO Christi; quare non colitur tantum, verum etiam adoratur latriæ cultu.* VI. Gajanita, (genus quoddam hæreticorum, qui ab initio unionis unam in Christo proprietatem adstruebant, divinam atque impassibilem) in disceptatione habita Alexandriæ cum Orthodoxo, pag. 349. Operum Anastasii Sinaitæ, ita à Catholico interrogatur: *Dic mihi, obsecro, si ut divinitas, ita & corpus Christi, & ab ipso unionis exordio immortalitatem habet, num communio sacratissimi corporis & sanguinis Christi, quam offers & participas, vere est verum corpus, & sanguis Christi filii Dei, vel nudus panis, qualis ostiatim venditur; vel vicem duntaxat, & figuram gerit corporis Christi, ut sacrificium hirci, quod Judæi offerunt?* Cui interrogationi Gajanita respondet: μὴ γένοιτο, ἡμᾶς εἰπεῖν ἀντίτυπον τοῦ σώματος Χριστοῦ, τὴν ἁγίαν κοινωνίαν, ἢ ψιλὸν ἄρτον. ἀλλ' αὐτὸ τὸ σῶμα, καὶ αἷμα ἀληθῶς Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ μεταλαμβάνομεν, τοῦ σαρκωθέντος, καὶ γεννηθέντος ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. *Absit, ut dicamus sacram communionem esse tantum figuram corporis Christi, aut nudum panem, sed ipsum corpus & sanguinem Christi Dei incarnati, & nati ex sancta Deipara, & semper Virgine Maria, vere accipimus.* Egregium sane monimentum, quo constat quid senserint de Eucharistia sexto sæculo, quo floruit Sinaita, Orthodoxi, quid hæretici, non Gajanitarum sectæ tantum, sed & Severiani, Jacobitæ, aliique idem cum Gajanitis sentientes, ut legitur eo loci. VII. Demum quænam sit Orientalis Ecclesiæ sententia, perspicue liquet ex Censura, quam ad Germanos conscripsit Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus; in qua cap. x. legitur: Δοξάζει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, ὅτι μετὰ τὸν ἁγιασμὸν, ὁ μὲν ἄρτος μεταβάλλεται εἰς αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, ὁ δὲ οἶνος εἰς αὐτὸ τὸ αἷμα, διὰ πνεύματος ἁγίου: *Judicium est Catholicæ Ecclesiæ, panem quidem post consecrationem mutari in ipsum Christi corpus, vinum autem in ipsum sanguinem, virtute Spiritus sancti:* ac subinde declarans quid Christus Apostolis porrexerit, dum ait, *Hoc est corpus meum*, subjungit: οὐ τοῦτο εἰπὼν ἐστὶν ἄζυμον, ἢ τύπος τοῦ σώματος, ἀλλὰ τοῦτό ἐστὶ τὸ σῶμά μου, καὶ τὸ αἷμά μου, *Non dixit, Hoc est panis azymus, aut figura corporis, sed, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus:* quæ verba Græce, & Latine producta sunt, quoniam Claudius Carentonensis minister doctissimum Cardinalem Perronium audacter criminis insimulavit quasi Hieremiæ textus torserit, & mutilaverit. Eadem cum Hieremia scribit Nicolaus Cabasila in Expositione Liturgiæ cap. 27. & sequentibus. Verum hæc pro confirmatione catholici dogmatis abunde sufficiunt; quamquam momenta alia suppeditabunt Regulæ capite proximo subjiciendæ.

CAPUT IX.

Solvuntur præcipua hæreticorum argumenta, & traduntur decem regulæ, quibus dubitatio omnis eliditur, & veritas confirmatur.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. & 4. Afferuntur objectiones ex S. Scriptura.
5. Objicitur ex SS. Patribus, qui floruerunt temporibus Apostolorum.
6. Ulteriùs objicitur ex ratione.
7. usque ad 17. Ponuntur regulæ ad solvendas objectiones hæreticorum perutiles.
17. Respondetur ad objectionem primam.
18. Satisfit objectioni secundæ.
19. Erodatur objectio tertia.
20. Solvitur objectio quarta.
21. Respondetur ad objectionem ex auctoritate Patrum.
22. Satisfit argumentis philosophicis.

1. Objectiones hæreticorum. 1ma. PRÆCIPUA vero argumenta hæreticorum ista sunt. Nil ex sacris literis produci potest ad Eucharistiam spectans, quod *tropice* non sit accipiendum, sive regulæ metaphoricæ locutionis attendantur, sive singillatim revocentur ad trutinam quæ leguntur cap. VI. Joannis, sive pensitentur verba Domini Jesu Eucharistiam instituentis. Quantum ad primum attinet: sacramentis

mentis singulis inest hæc ratio, ut in iis *signo* rei signatæ tribuatur *nomen:* ideoque unica regula *sacramentalis locutionis* litem dirimit, demonstratque in oratione cœnæ tropum esse retinendum, ut inquiunt in ultima admonitione Westpal. Calvinus, & lib. 2. de Re Sacrament. Theodorus Beza. Hac ratione Gen. XVII. 10. circumcisio dicitur *pactum*, & fœdus, & Paschalis agnus Exodi XII. 11. appellatur *Phase*, attributis sensibili signo ipsarum rerum vocabulis. Deinde S. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 16. num. 24. docet in Scriptura figuratam esse locutionem, si præceptiva est, & *flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare:* ex qua regula infert S. Pater figuratam esse locutionem illam, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, propterea quod *facinus, vel flagitium videtur jubere:* quo testimonio nimium gestiens Phereponus Append. Augustinianæ pag 516. scribit hoc loco Augustinum non male verba Domini interpretatum, & ex hac regula, licet non accurata, colligi non posse homines Dominici corporis fieri participes: atque ante Phereponum id observatum à Zuvinglio, Petro Martyre, cæterisque Sacramentariis, apud virum doctissimum Claudium de Sainctes Repetit. 3. cap. 1 pag. 60. Tertio insolitum non est, dum Scriptura de Christo loquitur, metaphoris orationem contexere: constat enim illum appellari *ostium, vitem, pastorem, petram, leonem, agnum*, Joan. X. 7. XV. 5. XI. 14. 1. 29. &c.

2. Objectio 2da ex capite 6to Joan.

Ex his descendentes ad caput Joannis sextum, non uno in loco inveniemus ibidem *tropicam* locutionem. Primum hortatus jam Christus fuerat Apostolos ad fidem, & hanc appellaverat vers. 27. cibum, *qui permanet in vitam æternam*, & consequenter *Panis vitæ*, de quo prolixe agit à versu 28 ad 60. qui tribuit *vitam æternam*, est fides. Ait præterea de hoc pane v. 52. non futurum morti obnoxium, qui *ex ipso manducaverit;* cum bene multi sacramentum Eucharistiæ suscipiant, qui tamen spiritaliter pereunt: cum econtra promittatur paulo supra credenti æterna vita, vers. 48. *Qui credit in me habet vitam æternam.* Insuper murmurantibus Capharnaitis, declaravit Dominus non literali sensu, sed spiritali accipienda esse quæ dixerat: *Verba* (ait versu 64.) *quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Imo commendat eo loci *spiritalem* manducationem, comestionem vero carnis, quam excogitaverant auditorum quidam, damnat tanquam prorsus inutilem, subjiciens: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Ulterius Patres caput illud sextum mystico sensu exposuere, Origenes hom. 7. in Levit. Clem. Alex. lib. 1. Pedag. Basilius ep. 141. Hieronymus in Ps. 147. Augustinus lib. III. de Doctrina Christ. cap. 16. in Ps. 98. Tract. 26. in Joannem, &c. Cum denique Wiclefus, & Joannes Hus capite 6 Joannis abuterentur ad probandam necessitatem communionis *sub utraque specie*, urgentes versum 59. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, &c.* negarunt Theologi præstantissimi agi eo in capite de Eucharistia: ita nimirum affirmavere Petrus Cardinalis de Alliaco, Joannes de Raguso, Gabriel Biel, Hesselius, Tapperus, & alii, prout fatentur Tournely pag. 17. Carolus Vitasse pag. 251. & Auctor Op. de Re Sacram. pag. 406.

3. Objectio 3tia ex verbis consecratoriis.

Multa sunt pariter, quæ in verbis institutionis *tropicam* locutionem demonstrant. Ac primo eam innuit contextus ipse verborum. In hac enim enunciatione, *Hoc est corpus meum*, pronomen demonstrativum refertur ad *panem*, & sensus est, *Hic panis est corpus meum*, ideoque remanet in Eucharistia substantia panis, ipsaque est, quæ *corpus* nuncupatur. Neque enim idem pronomen refertur ad *corpus;* foret quippe cacoethes quædam orationis, & propositio, ut Scholæ loquuntur, *identica*, veluti si diceres, *Corpus est corpus.* Istud quoque vocabulum, *Corpus*, apponitur *metaphorice:* nam dicitur 1. ad Corinth. XI. 24. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *Quod pro vobis frangitur.* At *frangi* non vero Christi corpor, sed pani tantum competit: und Apostolus ait præced. cap. X. v. 16. *Panis, quem frangimus.* Verbum quoque *est* non raro idem valet, ac *significat*, ut liquet in his locutionibus, Gen. XLI. 26. *Septem boves, septem anni sunt*, Dan. II. 38. *Tu es caput aureum*, Matth. XIII. 37. *Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem filii sunt nequam.* Mitto exempla id genus innumera. Enimvero unum valde affine est, quod supra attulimus, & legitur Exodi XII. 11. ubi de agno dicitur, *Est enim Phase, id est, transitus Domini*, & ubi *est* valet proculdubio idem, ac, *significat.* Atque hoc exemplum divinitus insinuatum est Zuvinglio, postquam biduo apud Tigurinos

gurinos de Eucharistia disputaverat, prout ipsemet refert in libro, quem inscripsit, *De subsidio Eucharistiæ*. Præter hanc verborum vim & proprietatem, confirmare videntur Sacramentariorum hæresim rei circumstantiæ. Christus enim priusquam ea verba, *Hoc est corpus meum*, pronuntiaret, accepit panem, benedixit, ac fregit, & post eadem verba mandavit, ut idem discipuli facerent in sui commemorationem: quemadmodum ergo quod Christus accepit, & fregit, panis erat; ita panis est, quem frangunt sacerdotes, & laicis communicant. Quod etiam Eucharistia conficiatur *in Christi memoriam*, illius commonstrat absentiam: siquidem non rerum præsentium, sed præteritarum dicitur fieri commemoratio. Fractio insuper panis, ac distributio, nec non utriusque *speciei* separatio, cum corporis Christi immolationem, effusionem sanguinis, hujusque applicationem indigitent, satis *tropicam* locutionem demonstrant: nam quando aliqua enuntiatio istiusmodi actionibus conjungitur, non propria & literalis est, sed symbolica. Ita, inquiunt Sociniani, Ezechiel detonsis capillis, & dispergens tertiam horum partem, ac dicens cap. v. 5. *Ista est Jerusalem*, ea capillorum dispersione monstravit urbem Jerosolymam dispersum iri, non autem, quod insanientis foret excogitare, conversam Jerusalem in capillos. Hæc præterea *tropica* locutio magis apparet in verbis, quibus calicem consecramus. Illa Apostolus citato cap. xi. vers. 25. ad hunc refert modum, *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*. Neminem porro negaturum fore arbitramur, quin *calix*, sive vas vino plenum, dicatur *testamentum* tranlatitio sermone. Quod si *calicem* accipiamus pro vino; & hæc est metaphora, qua continens ponitur pro re contenta. Ipse Christi *sanguis* nequit appellari *testamentum*, nisi per synecdochen, ac parte pro toto usurpata: nam sanguis non est quidquid testamentum novum complectitur, sed testamenti arrhabo, sigillum, ac munimentum. Vide Epistolam ad Hebræos cap. 10. 20. Postremo etiam consecratione peracta vinum dicitur *genimen vitis*, Matth. xxvi. 29. & consequenter in sua permanet qualitate, ac substantia.

4. Objectio 4ta ex S. Scriptura.

Uberrimis hisce argumentis accedunt alia pariter ex sacris Scripturis deprompta, quæ nos compellunt ad figurate accipienda quotquot leguntur de corpore Christi in sacris symbolis permanente. Ac primo Jesus ut compesceret loquacitatem Judæ detrahentis mulieri, quæ ad pedes Domini libram unguenti nardi pistici effudit, ac submurmurantis, *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis?* respondit Joannis xii. 7. *Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. Pauperes enim semper habetis vobiscum; me autem non semper habetis:* quibus verbis ostendit se apud homines non diu moram esse facturum. Resurgens deinde à mortuis, ut omnem à discipulis amoveret dubitationem, ait Lucæ xxiv. 39. *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum: palpate, & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* His autem verbis probatur veritas carnis, ex quo possit palpari, & videri; ideoque non est *caro* quidquid videri & palpari non potest. Ascendens posthac ad cœlos alium *Paraclitum* misit, ut sponderat Joan. xvi. 7. solatium præbens discipulis discessu sui contristatis. Sedere Christum in cœlis ad Patris dexteram, neque inde unquam descensurum ad extremam usque diem, nullus ambigit; nam de illo ajebat Petrus Act. iii. 21. *Quem oportet quidem suscipere usque in tempora restitutionis omnium.* Id vero, si ad nos quotidie in Eucharistia descendat, penitus erit falsum. Frustra etiam Apostolus ad Colossenses iii. 1. nos ad cœlestia hac exhortatione inflammasset, *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens;* si apud nos Jesus latitaret sub Eucharisticis *speciebus*. Quid plura? Testatur idem Apostolus 1. ad Corinth. x. 3. & 4. nobiscum antiquos Patres fide, quæ una semper extitit, potitos hoc munere, quod nos Eucharistiam appellamus: ut ergo illi, ita nos *in figura* nutrimur corpore, & sanguine Redemptoris: *Omnes*, inquit Apostolus, *eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt.* His itaque Scripturæ locis adversum nos belligerant Sacramentarii.

5. Objectio 5ta ex SS. Patribus.

Majorem hæc testimonia vim habent, si adjiciantur sententiæ Patrum. Horum qui floruerunt temporibus Apostolicis ac proxime subsecuti sunt, nihil expresse & perspicue tradiderunt de corpore Christi *sub speciebus sacramentalibus* existente. Nam si id ore, vel scripto prodidissent, Gentiles philosophi ea ratione oppugnassent, qua exagitarunt Trinitatem, Incarnationem, & cætera Christianæ religionis mysteria. Aliquis saltem martyrum tentatus crudelissimis, atrocissimisque suppliciis, reddi-

reddidisset sacrificii, conviviique sacri rationem aliquam. Sed quæ silentio veterum subnixa sunt, omittamus. Complures Patres non corpus Christi, sed *figuram* corporis Christi appellaverunt Eucharistiam. Ac principio Græci, ut ex illorum constat Liturgiis, de quibus præcedenti capite, divina munera, etiam post consecrationem vocant *antitypa*, quo sane vocabulo commonstratur aliquid rebus oppositum, seu *typicum*, aut symbolicum. Etiam Cyrillus Jerosolymitanus, cujus auctoritate plurimum Sacramentarii exagitantur, catechesi IV. Mystag. Eucharistiam appellat *panem*, & *antitypum*, adeo, ut valide Albertinus & Claudius adversus Cyrilli auctoritatem clypeo ipsius Cyrilli se protegant. Ex Latinis perspicue *figuram* agnoscunt in Eucharistia Tertullianus, Ambrosius, & Augustinus. Tertullianus quippe lib. I. contra Marcionem cap. 14. Eucharistiam appellat panem, *quo* Christus *ipsum corpus suum repræsentat:* & lib. IV. cap. 40. ait, *Acceptum panem & distributum discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei.* Ambrosius lib. IV. de Sacram. cap. 4. n. 20. illum, qui sacram percepit communionem, ita alloquitur: *Sicut mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis;* & cap. proximo num. 21. de sacra oblatione, *Quod figura est* (inquit) *corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi.* S. P. Augustinus lib. contra Adimantum Manich. cap. XII. num. 3. affirmat Christum dixisse, *Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*, & Enarrat. in Psalmum III. num. 1. supremam cœnam appellat *convivium, in quo* Dominus *corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendavit & tradidit.* His accedunt testimonia Patrum, qui diserte negant alia ratione Christi carnem à nobis manducari, quam *spiritaliter*, & per fidem. Ita Origenes Hom. 7. in Leviticum, S. P. Augustinus lib. III. de Doctr. Christ. cap. 16. in Ps. 98. & Tract. 85. in Joan. ubi num. 12. habentur apertissima illa verba, relata in cap. *Ut quid*, de Consecrat. dist. 2. *Ut quid paras dentes, & ventrem? Crede, & manducasti.* Enervatur denique Catholicæ Ecclesiæ traditio ex eo, quod primus omnium apud Orientales præsentiam Christi in Eucharistia tradiderit circa Annum 630. Anastasius Sinaita; apud Occidentales vero non ante annum 818. Paschasius Monachus Corbejensis: hunc autem non ausi fuissent impugnare Amalarius, Rabanus, Bertramus, Joannes Erigena, aliique viri docti, & conspicui, si Paschasius dogma promulgasset in Ecclesia receptum, atque pervetusta traditione suffultum.

6. Objectio 6ta ex rationibus.

Deferentes postremo Patrum auctoritatem, quam fluxam ac labilem Novatores omnes existimant, urgent vero tantummodo ubi putant illa nos magnopere perturbandos, hæreseos suæ quærunt à ratione præsidium. Primum ad ideam corporis confugientes, negant posse illud propria dimensione exspoliari, ita, ut nequeat corpus Christi illic esse, ubi caret membrorum suorum quantitate, figura, delineamentis, contactu. Docent præterea philosophi, & si Peripateticos excipias, fere omnes, corpoream substantiam constitui certa partium tenuissimarum combinatione, quæ determinatam habeat speciem, ubi sit certa particularum congeries, ac dispositio: ideoque *hostia* consecrata constans suis adhuc partibus, eademque dispositione permixtis, retinet priorem panis substantiam. Si illud autem Aristotelicis concedatur, quantitatem, figuram, saporem, & hujus generis reliqua, nomine *accidentium* distincta, aliam à substantia rem esse; superat nihilominus humanum captum, quod hæc omnia in Eucharistia permaneant, re ipsa sublata, quæ juxta Aristotelis præceptiones eorundem accidentium est fulcrum, & substentaculum. Illud præterea imperceptibile est, idem corpus in cœlo, ac in terris, istic vero in locis propemodum infinitis simul existere, cum omne corpus circumscriptum sit, suisque finibus limitatum. Sed & istud est valde portentosum ac perabsurdum, corpus totum & integrum in *hostiola* contineri; & cum sit unum, in qualibet parte ejusdem hostiæ, necnon sub utraque *specie*, panis scilicet & vini, reperiri absque multiplicatione indivisum. Physicis autem rationibus addunt heterodoxi morales. Indecorum est, inquiunt, manducari Christi corpus ab impiis; ac Domini nostri dedecet majestatem, quod sub elementis lateat, ut nos propriis enutriat carnibus, necnon corpus immaculatum, immortale, & summa gloria circumdatum manibus frangatur, teratur dentibus, ac sit, quod nefastissimum & turpissimum est, obnoxium secessui. Quid postremo realis hæc præsentia confert emolumenti? Nihil prorsus Nam si credas, eadem esca spiritali nutriris, tibique hoc præstat

figura, quod antitypus; *eandem* quippe *escam spiritalem* manducarunt olim Patres in Christum credentes, ac edant modo cum fide suscipientes Eucharistiam: at nisi credas, mortifera profecto tibi erit esca Sacramentalis. Spiritus propterea, animusque tam signis, quam rebus alitur, adhæret Deo, suoque modo augescit. Mitto haud eximii erga nos amoris esse argumentum, quod Christus ad tempus, & quoadusque perseverent *species*, brevi tempore perituræ, nobiscum permaneat; cum nobis promiserit præsentiam suam perpetuam ac diuturnam, non corpoream proinde, sed spiritalem. Pluribus itaque argumentis hoc fidei caput impetitur, sive Scripturarum attendantur oracula, sive dogmata Patrum, sive philosophiæ rudimenta, sive denique præjudiciorum expers humana ratio.

Talia, ac tanta Sacramentariorum cavilla, quæ ex innumeris eorum commentationibus conatus sum methodice breviterque complecti, exercuerunt summorum Theologorum ingenia, hosque impulerunt, ut amplissimas disputationes conscriberent, quibus solis pervolutandis nec studiis nostris præstituta tempora satis forent. Sed dabo operam, &, ni fallor, nec minimam, nec inutilem, ut certis præmissis regulis quidquid ex hæreticis objectum est, vel objici potest, si momentis Catholicorum æquiparetur, insulsum appareat, putidum, & commentitium. Sunt autem hæ regulæ, quæ sequuntur.

Regula I.

7. Ad solvendas objectiones Regula prima de fractione panis.

Quamvis *substantia* panis in Eucharistia transmutata sit in Christi corpus, & possit jure negari, quod consecratione peracta sit *panis*, sicut negat Ambrosius lib. v. de Sacram. cap. 4. num. 24. & Auctor sermonis inter Augustinianos de verbis Dom. 191. nunc Append. 48. merito tamen Eucharistia appellatur *fractio panis*, Lucæ 24. 35. *Sacramentum panis*, ab Augustino lib. 3. de cons. Evangelist. cap. 25. num. 72. *panis*, à Cyrillo catech. IV. mystag. pag. 532. Atque id sine ulla prorsus contradictione. Principio quippe negatur quod *sit panis*, si spectetur rei subjectæ substantia; & affirmatur quod *panis* sit, si consideretur spiritalis vitæ alimentum. Hinc Auctor serm. de Cœna Dom. inter Opera Cypriani pag. 97. edit. novissimæ ait: *Hoc Sacramentum aliquando carnem, & sanguinem, aliquando panem, aliquando corpus suum Christus appellat; panis dicitur propter nutrimentum vitæ, caro & sanguis propter veritatem naturæ, corpus propter unitatem substantiæ.* Deinde Eucharistia non *panis* appellatur duntaxat, sed panis superveniens, cœlestis, supersubstantialis, sive, ut Græci dicunt, ἐπιούσιος, propterea quod Deum ipsum nobis copulet, qui animæ substantiam regit, perficit, ac donat æterna vita; idque docent citatis in locis Ambrosius, Augustinus, Cyrillus. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 113. vocat *panem angelorum, panem vitæ, panem divinum, panem sanctum*; & Auctor Vitæ S. Antonii apud Metaphrasten, θεοσώματον ἄρτον *panem Deo incorporatum.* Panis præterea Eucharistia dicitur, quoniam retinet panis accidentia: quoniam præfigurata est in pane, & vino oblatis à Melchisedech, in panibus propositionis, & in manna, quod scriptura appellat *panem Angelorum*, & *panem cæli*; & quoniam ipse Christus natus in viculo Bethlehem (quæ interpretatur *domus panis*) nominat sese Joan. 6. 51. *panem vivum*, uti observarunt Hieronymus proloquio libri v. in Hierem. & Gregorius Hom. 8. in Evangelia. Retinet demum Eucharistia nomen *panis* & ratione conversionis, ad commonstrandam materiam, quæ in corpus Christi convertitur, quemadmodum virga Aaron in colubrum versa adhuc appellatur *virga*, Exodi VII. 12. ubi legitur, *Devoravit virga Aaron virgas eorum*; & ratione *speciei*, qua sensibus subjicitur, sicuti Angeli, qui sub specie hominum apparuerunt, nunc homines, nunc Angeli sunt appellati. Vide Bulengeri Diatribem III. cap. 39. & Bossuetium in Hist. variat. lib. II. num. XXXIX. necnon Estium in IV. dist. XI. & in cap. 26. Matth. Idem, quod de pane, de vino est dicendum: nam & in vino sanguis Christi præfiguratus est, dum Noe inebriatus, & *patentibus femoribus recumbens* extitit Dominicæ passionis figura; & dum Gen. 49. de Juda, ex cujus tribu ortus est Dominus, fuit prænuntiatum, *Lavabit in vino stolam suam*: quæ, & alia plura profert epist. ad Cæcilium pag. 225. sanctus Cyprianus. Nec sanguis tantum nobis sub specie vini propinatus, verum etiam cœleste convivium, in quo beati torrente voluptatis potantur, dicitur *vinum*, & *genimen vitis*, Matth. XXVI. 29. quem locum alii de Eucharistia, alii forte melius de gloria Sanctorum, Lucæ XXII. 29. comparata convivio, interpretantur.

Regu-

Regula II.

8. Regula 2da de signo & figura.

Dicitur Eucharistia *signum & figura corporis Christi*, tametsi contineat ejusdem corporis veritatem. Ac principio nullum dubium est, quin recte dicatur sacramentum, & signum comparate ad gratiam; id enim proprium est omnium sacramentorum: unde sicuti veteres, ubi commemorant signa, & sacramenta *aquæ, & olei*, internam ablutionem & unctionem demonstrant; ita commemorantes signum, & sacramentum panis, aut corporis Christi, innuunt spiritale gratiæ cœlestis effectum, sive animæ nutrimentum. II. Non repugnat deinde Eucharistiam appellari *figuram* ratione specierum, ac *veritatem* spectata rei substantia: quamobrem legitur de Consecrat. dist. 2. cap. 89. *Corpus Christi quod sumitur de altari figura est, dum panis & vinum extra videtur; veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate interius creditur.* Ita conciliantur Patres, qui Eucharistiam *figuram* dicunt, cum iis, qui id negant. Videsis dissertationem Christiani Lupi de quibusdam PP. locis, tom. v. pag. 329. Illustrat hæc omnia Hugo Victorinus 2. lib. in caput 1. Dionysii de Cœlesti Hierarchia, scribens: *Quare ergo sacramentum altaris similitudo esse non potest & veritas, alio quidem modo similitudo, & alio veritas? Nam cum unum sit sacramentum, tria ibi discreta proponuntur, species scilicet visibilis, & veritas corporis, & virtus gratiæ spiritualis. Aliud est enim visibilis species, quæ visibiliter cernitur: aliud est veritas corporis & sanguinis, quæ sub visibili specie invisibiliter creditur; atque aliud spiritualis gratia, quæ cum corpore & sanguine invisibiliter, & spiritualiter percipitur.* Hinc infert Hugo, *speciem visibilem esse sacramentum veri corporis & veri sanguinis:* atque id explicat exemplo mortis & resurrectionis Christi, quæ simul fuerunt *veritas & imago*, nam mors Christi exemplum fuit, *ut moriamur peccato*, & resurrectio exemplum *ut justitiæ vivamus.* Hæc ille tom. 1. pag. 243. Venetæ edit. III. In Sacramentariorum, Lutheranorumque conflictu, hi nunquam negarunt, auctore Meldensium Episcopo lib. IV. Variat. num. XI. Eucharistiam esse *signum*, utpote qui bene noverant, non semper signo rei præsentiam excludi: non enim ægrotus mortuus est, dum exhibet signa vitæ; neque externa religionis officia, quæ interioris indicia sunt, arguunt animum ipsius religionis expertem. Hæc autem exempla producta à Bucero disputante adversus Oecolampadium, adhibentur etiam à nostratibus, præsertim vero à Francisco Panicarola in disceptationibus Calvinicis, discept. XV. pag. edit. Mediol. 1591. Quarto, corpus Domini occultatum in Eucharistia est vere *signum, & figura* sui ipsius, quatenus Christus inter nos versabatur, & quatenus pro nobis obtulit semetipsum in cruce: quod profecto sentit Tertullianus, dum lib. contra Judæos cap. 10., & lib. III. contra Marcionem cap. 19. de Christo interpretatur vaticinium Jeremiæ, *Venite mittamus lignum in panem ejus:* nam revera *lignum in corpus missum est*, inquit ibidem Tertullianus. Quare dum interdum scribit *corporis figuram datam pani*, accipiendus est de figura corporis ligno crucis suffixi. Nec aliter Augustinus Enarrat. in Psalmum 3. ubi totus est in demonstrando, quomodo in proditione Judæ evenerint quæ contigerunt Davidi fugienti à facie Absalon, & quomodo Christus dederit proditori *signum* repræsentativum mortis suæ. Cum enim proferimus consecrationis verba, signum est Dominum obtulisse corpus suum in sacrificium; dum extollitur *hostia*, signum est fuisse elatum in cruce; dum consecratur calix, sanguinem profudisse; dum panis frangitur, lanceâ fuisse vulneratum; dum in os ingeritur, reclusum sepulchro. Ita ergo Christus sub *speciebus* panis, & vini, sui ipsius pro nobis truci, & cruento sacrificio immolati figura est. V. Eadem de Incarnatione, & de Eucharistia sunt dicenda, quandoquidem nemo, exceptis Phantasiastis, veram Christi carnem negabit, ex quo dicatur hæc aliquando *forma*, ac *similitudo*. Hinc Tertullianus lib. v. contra Marcionem cap. 20. inquit: *Plane de substantia Christi putant & hic Marcionitæ suffragari Apostolum sibi, quod phantasma carnis fuerit in Christo, cum dicit, quod* in effigie Dei constitutus non rapinam existimavit pariari Deo, sed exhausit semetipsum accepta effigie servi, *non veritate*: & in similitudine hominis, *non in homine;* & figura inventus homo, *non substantia, id est, non carne; quasi non & figura, & similitudo, & effigies substantiæ quoque accedant. Bene autem, quod & alibi Christum* imaginem Dei invisibilis *appellat. Nunquid ergo & hic qua in effigie eum Dei collocat, æque non erit Deus Christus vere, si nec homo vere fuit in effigie hominis constitutus?* Quo in loco Tertullianus demonstrat Paulum scribentem ad Philippenses 2. 7. de Christo,

sto, *In similitudinem hominum factus*, veritatem assumptæ carnis adstruere, sicuti ad Colos. I. 15. dum ait, *Qui est imago Dei invisibilis*, nequaquam ei detrahit divinitatem. Ergo apud Patres, ac Tertullianum maxime, hæc vocabula *forma*, *imago*, *similitudo*, *effigies*, & his consimilia haud negant substantiam rerum, prout in Omniloquio Rationali tom. 2. pag. 171. erudite animadvertit Augustinianus Tertulliani Scholiastes. Ex Tertulliano deprompta est ingeniosa illatio Guilelmi Estii inter Scholasticos præstantissimi, dist. VIII. §. 15. *Qui ergo dicunt: Eucharistia est signum corporis Domini, ergo non est corpus Domini, argumentantur more veterum hæreticorum dicentium, Christus in similitudinem hominum factus est, & habitu, seu figura inventus ut homo, ergo non erat verus homo.* Addendum & istud, à Calvino damnatum igni Servetum, quod negasset Christum esse vere ac naturaliter filium Dei, quia dicitur ab Apostolo, *imago*, & *figura* divinitatis. Itaque multiplici titulo falsa est illa ratiocinatio, Est figura, igitur non habet rei figuratæ substantiam.

Regula III.

9. Regula 3tia de græco vocabulo *Antitypo.*

Consimili ratione loquendum de Græco vocabulo *Antitypo:* nonnulli quippe post consecrationem divina dona appellant *antitypa*, permulti vero negant ita esse appellanda. Dixi de hac re cap. VII. prop. 3. pertractans de verbis, quibus symbola consecrantur. Addam nunc aliqua. Primo cum particula Ἀντὶ aliquando sit idem ac *Pro*, & aliquando idem, ac *Contra*, compositum inde *Antitypum*, modo accipitur pro *figura*, & imagine, modo pro eo, quod figuræ contraponitur, & substituitur *loco typi.* Priori sensu Paulus Epist. ad Hebræos IX. 24. appellavit Sancta veteris Testamenti ἀντίτυπα ἀληθινῶν, *exemplaria verorum:* & secundo sensu Petrus epistola I. cap. III. 21. Sacramentum Baptismi ἀντίτυπον arcæ Noe, quod reddidit Interpres Latinus, *similis formæ.* Plura Nicolaus Du-Mortier Etymol. sacræ pag. 58. Eucharistia ergo non est *antitypa*, quatenus panis infert corporis Christi figuram; sed *antitypa* est, quatenus veteribus symbolis prænuntiata, aut quatenus corpus Christi *sub sacramentalibus speciebus* repræsentat idem corpus immolatum in Ara crucis. Ita ergo Stephanus Auxentianus, Damascenus, Theophylactus, & posteriores Græci negantes dona jam sanctificata *dici antitypa*, conciliantur facillime cum Basilio, Gregorio Nazianzeno, & Cyrillo Jerosolymitano de Eucharistia idem vocabulum usurpantibus. II. Adhæc particula Ἀντὶ sæpenumero in compositione idem est, ac Ἴσον, æqualitatemque significat, ut in Lexicis tradunt Henricus Stephanus, Robertus Constantinus, & Scapula, necnon Richardus Simon in notis ad Apologiam Severi pag. 232. Hinc Elias Cretensis in Orationem primam Apologeticam Nazianzeni pag. edit. Morel. 201. scribit: *Per Antitypum autem isotitypum intelliges, siquidem de magnis illis mysteriis, hoc est, de sanctissimo Christi corpore, & pretioso sanguine istud accipias (sic enim magnus quoque Basilius hoc appellavit) propositio enim hæc ἀντὶ nonnunquam æqualitatem etiam significat.* Vidit hæc eruditissimus Lupus tom. V. pag. 439. vet. edit. Eadem vero Elias repetit pag. 623. in orationem XI. scribens: *Sciendum est, quod per antitypa hoc loco isotitypa intelligat: id quod frequens est tum apud externos, tum apud divinos nostros magistros:* ibi autem appositi scholion dignum lectu Jacobus Billius. III. Possunt quoque sacra munera post consecrationem vocari *antitypa*, in quantum ad futura referuntur mysteria, in quibus sempiternæ felicitatis futuri sumus participes, & fruituri manifesta Christi præsentia, qua modo donamur corporibus commixti, & contemperati. Id tradit priori in loco laudatus Elias Cretensis: nec dissentit Joannes Damascenus, qui lib. IV. Orthodoxæ fidei, postquam ait Basilium in Liturgia appellasse panem & vinum, corporis & sanguinis Domini figuram ante, non post consecrationem, scribit tamen in fine capitis: *Figuræ porro rerum futurarum idcirco dicuntur, non quod non vere corpus ac sanguis Christi sint; sed quod nunc quidem divinitatis Christi per ea participes efficiamur, tunc autem intellectuali modo, ac per solum aspectum.* Atque hac ratione petitas ex voce *Antitypi* objectiones diluerunt Roffensis principio libri 2. adversus Oecolampadium, Stephanus Vintonienſis in respons. ad object. 185. Claudius Sanctesius Repet. 3. cap. 4. ne recenseam posteriores, qui fere eadem suppressis auctorum nominibus conscripsere. Hæc si dictis prop. 3. cap. VII. adjiciantur, nulla remanebit circa vocabulum *Antitypi* dubitatio.

Regula IV.

10. Regula 4ta de perversis hæreticorum locutionibus.

Mirum est hæreticos quærere perversi dogmatis præsidia in his, aut consimilibus locutionibus, *Caro non prodest* quid-

quidquam, *Verba*, *quæ locutus sum vobis*, *spiritus & vita sunt*, *Littera occidit*, *&c.* Ista porro non ita sunt intelligenda, quasi nullam nobis afferant utilitatem panis vinique Eucharistici sacramenta, aut verba Christi accipienda sint *tropice*, aut fallax sit scriptura literis exarata. Nam si id nobis in mentem veniat; oportet universam Evangelii doctrinam subvertamus, amandantes ad *tropum* quæ de Christo filio Dei facto homine, crucifixo, & redivivo leguntur, sacris voluminibus igni traditis; nec Sacramentarii simus, sed Ebionitæ, Phantasiastæ, Judæi, athei. Commonemur itaque istiusmodi locutionibus, ne, quæ dicuntur, *carnaliter* accipiamus, atque, ut faciunt qui fide sunt destituti, nil concipiamus communi, humanaque narratione sublimius. Ita quod legimus, *Verbum caro factum est*, prohibemur *carnaliter* intelligere, non ut negemus verbi incarnationem, aut confusionem suspicemur naturarum, quorum unum Judaicum foret, alterum Eutychianum; sed ne opinemur Filium Dei factum hominem, quomodo alii homines generantur, virili semine, & carnali complexu. Atque hac ratione non sunt *carnaliter* accipienda, quæ leguntur cap. 6. Joannis, quia non debemus existimare manducandam nobis Christi carnem aut sectam membratim, aut assam, aut elixam, adinstar carnium, quæ in macello venduntur, ita, ut simus, quemadmodum affirmarunt quidam paganorum, carnivori & anthropophagi. Audiamus Augustinum Tract. xxvi. in Joan. n. 5. *O Domine magister bone*, *quomodo caro non prodest quidquam*, *cum tu dixeris*, *Nisi quis manducaverit carnem meam*, *& biberit sanguinem meum*, *non habebit in se vitam? An vita non prodest quidquam? & propter quid sumus quod sumus*, *nisi habeamus vitam æternam*, *quam tua carne promittis? Quid est ergo*, *non prodest quidquam caro? Non prodest quidquam*, *sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt*, *quomodo in cadavere dilaniatur*, *aut in macello venditur*, *non quomodo spiritu vegetatur. Perinde sic dictum est*, *Caro non prodest quidquam: quomodo dictum est*, *Scientia inflat. Jam ergo debemus odisse scientiam? absit. Et quid est*, *scientia inflat? sola*, *sine charitate. Ideo adjunxit*, *Charitas vero ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem*, *& utilis erit scientia: non per se*, *sed per charitatem. Sic etiam nunc caro non prodest quidquam*, *sed sola caro: accedat spiritus ad carnem*, *quomodo accedit charitas ad scientiam*, *& prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset*, *Verbum caro non fieret*, *ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Christus*, *quomodo caro nihil prodest?* Similia Tertullianus lib. de Resurrect. carnis cap. xxxvii. Chrysostomus Hom. 46. in Joannem pag. edit. Commel. 241. Theophylactus in cap. 6. Joan. pag. 655. edit. Morel. & alii passim.

Regula V.

Reg. 11. la 5ta e Patribus antiquis.

Quod Patres priorum sæculorum aperte non scripserint contineri in Eucharistia Christi corpus ac sanguinem, minime hæreticis suffragatur, imo hi ex eo capite à Theologis clarissimis refelluntur *ob disciplinam arcani*, de qua tom. VI. cap. 5. aliisque in locis diserui. Nunc vero huc spectantia contingam. S. Basilius de Spiritu sancto cap. 27. inter Arcana, ἃ οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις, *quæ fas non est intueri nondum initiatis*, comprehendit, fa ente Albertino, Eucharistiam. Chrysostomus Hom. de Prodit. Judæ recitatis illis verbis, *Hoc est corpus meum*, *Norunt*, inquit, *initiati quæ dicuntur* ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὰ λεγόμενα, & rursus, *Norunt initiati calicem istum; scietis vos* (catechumeni) *infra paucos dies.* ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τοῦ ποτηρίου τούτου. εἴσεσθε καὶ ὑμεῖς μικρὸν ὕστερον. Homilia item xxx. in 2. Epist. ad Corinth. *Scitis*, inquit, *quid dicatur vos*, *qui participatis mysteriis*, ἴστε οἱ τῶν μυστηρίων μετέχοντες τὸ λεγόμενον. Epiphanius hær. 42. Marcionitis vertit vitio, quod perficerent mysteria videntibus catechumenis: quod & in Arianis dammat apud Athanasium Apol. 2. synodus Alexandrina. Theodoretus quoque in priori Dialogo inducit Orthodoxum ita loquentem ad Eranistem de hoc mysterio pertractaturum: *Oro te*, *ut obscurius respondeas*, *adsunt enim fortassis aliqui mysteriis non initiati*, Ἀξιῶ σε μυστικώτερον ὑποκρίνασθαι. τινες γὰρ ἴσως παρεσήκασιν ἀμύητοι: atque Eranistes infra, *Mystice mystica dicta sunt*, *& perspicue declarata quæ non sunt omnibus nota*, μυστικῶς ἐρρήθη τὰ μύστικα, καὶ σαφῶς ἐδηλώθη τὰ πᾶσιν γνώριμα. Hos vero è Græcis sufficit produxisse. Inter Latinos pariter, cum Cæcilius apud Minutium Felicem sacrificium nostrum reprehenderet, quasi occisi infantis audeamus sanguinem lambere, ac membra discerpere, respondet ille in Octavio fieri non posse, *ut tam molle*, *tam parvulum corpus fata vulnerum capiat*, *ut quisquam illum rudem sanguinem novelli*

& vix

& vix dum hominis cædat, fundat, exhauriat, ac neminem hoc posse credere, *nisi qui possit audere*, nulla aut Eucharistiæ, aut panis & vini mentione facta. Atque idem præstitisse Apologistas alios, Justino excepto, dictum supra. Memoravimus etiam hoc in libro Tarsicium, qui maluit occidi, quam prodere sacramenta, necnon Tertullianum hortantem, ut uxor caute custodiret ac sumeret Eucharistiam. Idem lib. 1. ad Nationes cap. 7. crimen epularum Thyestis hoc argumento retundit: *Oro vos, extraneis unde notitia? cum etiam justa & licita mysteria omnem arbitrii extranei caveant.* Meminit Ambrosius hujus arcani lib. 1. Offic. cap. 50. & lib. 1. de Abraham cap. 5. ut ostendit in dissert. Apolog. pag. 72. Em. à Schelstrate. Idem Ambrosius de Mysteriis scripturus cap. 1. num. 2. ait: *Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius, quam edidisse æstimaremur.* S. P. Augustinus agens de catechumenis, frequenter ait nescire illos, *quid accipiant Christiani*, Vide Tract. XI. in Joan. num. 3. & 4. scribens item ad Honoratum catechumenum epist. 120. nunc 140. num. 48. de sacrificio novi Testamenti ait: *Quod ubi & quando & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, invenies.* Huc spectat & illud, *Norunt fideles quid accipiunt*, ejusdem Augustini habentis ad populum conciones, ut serm. 5. de Lucta Jacob num. 7. & serm. 132. num. 1. At de his plura citata dissert. Schelstratius, Bulengerus in Exercit. 17. Casauboni, & Lupus in dissert. de quibusdam Patrum locis: nonnulla quoque ex Scholasticis Juenin quæst. IV. cap. 1. art. 6. Tournelius q. 2. art. 4. &c. In hoc autem omnes consentiunt, Patres aliquando de Eucharistia obscure locutos, quod nollent infidelibus prodere arcana Sacramentorum mysteria. Cur hæc Justinus patefecerit, dixi Volumine VI. pag. 49.

Regula VI.

12. Regula 6ta contra Ratramnum.

Fuerunt nonnulli, præsertim post exortam hæresim Berengarii, novam quamdam Christi carnem, quam benedictio recens consecrarit, in Eucharistia adstruentes, non illam, quam assumpsit ex Virgine, & in qua mortem subiit, resurrexit, & ascendit ad cœlos. Venerunt propterea, ut dixi hujus disceptationis initio, in suspicionem hæreseos. Principio itaque indubitatum est, contineri in Eucharistia idem corpus de Virgine conceptum ac natum, prout clamat universa Patrum traditio, & Berengarius ipse in professionibus fidei coactus est confiteri. Ratramnus tamen monachus Corbejensis negat in Eucharistia corpus Christi reperiri, *quod de Virgine natum est*: ob quem loquendi modum ad suas partes illum trahunt adversarii. At ita exponendus est, ut idem corpus neget quantum ad affectiones, & idem fateatur quoad substantiam. Negat enim adesse in Eucharistia corpus Christi *nervis ossibusque compactum, membrorum varietate distinctum, proprioque motus exercens*; quæ omnia ab aliis catholicis traduntur, eo quidem sensu, quod nec membra Dominici corporis in Eucharistia naturali statu consistant, nec exerat anima vitales motus. Ea ratione Ratramnus affirmat, *quæ fidelium ore percipiuntur figuram esse secundum speciem visibilem, at vero secundum invisibilem substantiam verum corpus & sanguinem Christi.* Eadem ratione Rupertus Abbas in Epistola ad Cunonem, præfixa ipsius in Joannem Commentariis, scribit corpus Christi *differre specie*, at esse unum idemque *tribus essentiæ modis*, nimirum *nomine, re, & effectu.* Perperam ergo garriunt Mornæus, Albertinus, & Claudius, Doctores Catholicos propter istiusmodi loquendi formulas vellicando. At lege Gabrielem Gerberum in Apolog. pro Ruperto, Mabillonium Præf. 2. in VI. sæculum Benedict. & Lupum dissert. paulo ante laudato cap. 1. Hac eadem regula explicantur testimonia illorum Patrum, qui aliquando affirmant manducari à nobis *corpus crucifixum*, & bibi sanguinem *pro nobis effusum*; aliquando scribunt id intelligendum *invisibiliter*, ac *spiritaliter*: cujus generis locutiones sunt apud Augustinum frequentissimæ. Sed quælibet antilogiæ & oppositionis umbra evanescit, si visibilis species panis ab invisibili substantia corporis distinguatur. Verum id proximis regulis, octava, atque nona.

Regula VII.

13. Regula 7ma.

Disputatum aliquando, an Eucharistia dici possit *Imago corporis Christi.* Negaverunt id Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus Antirrhetico 2. contra Iconomachos, Epiphanius Diaconus in VII. Synodo Actione VI. & alii subsecuti hæresim Iconoclastarum: alii tamen vetustiores id affirmaverunt. Istorum judicia ad concordiam revocantur ex dictis Regula 2. & 3. Nil

nostra

nostra refert, si Nicephorus, & Epiphanius decepti fuerint vitiato codice, aut falsa interpretatione Liturgiæ Basilianæ. Satis de hac ego disserui septimo capite; adeatque lector, si fluctuet adhuc, Arcudium, Allatium, Goarium eo loci laudatos. Duo tantummodo hic animadvertam: unum, quod Iconomachi corpus Christi in Eucharistia fatebantur, ut cultum aliarum imaginum excluderent; quoniam (ajebant) Eucharistia non est falsa imago, cui non subest substantia carnis, uncta Spiritu sancto, & divinitati conjuncta, sed *est divinum corpus ad sanctificationem pertingens:* cum aliæ imagines careant subsistente persona, & idololatriæ viam sternant. Vide tom. VII. Concil. Lab. pag. 447. Patres itaque, dum Iconomachos oppugnarunt, negarunt Eucharistiam dici *imaginem*, ut facilius exsufflarent hujusmodi cavillationem; reponentes frustra ab Eucharistia peti exemplum, utpote quæ non est *imago* corporis Christi, sed substantia, atque *ipsum corpus.* Nulla ergo lis vertebatur inter Iconoclastas, & defensores Imaginum circa Christi corpus in Eucharistia existens; sed quærebatur id unum, an post consecrationem retinendum foret nomen *figuræ & imaginis.* Id recte advertit Simonius in Apologiam Severi pag 229. Alterum dignum annotatione est, quod recentiores Græci utuntur hisce momentis ad probandum, quod consecratio non perficiatur verbis Dominicis, absque subjectis precibus, propterea quod etiam post illa verba panis & vinum dicantur *imagines, & antitypa*, corpus autem & sanguis post preces; ideoque Græci omnes nobiscum conveniunt in hoc de reali præsentia dogmate, quamvis nonnulli dissideant circa *formam* consecrationis. Hac autem regula deteguntur hæreticorum fallaciloquentiæ, ac præstigiæ, dum objectant acta VII. Synodi, Græcorumque dissidia.

Regula VIII.

14. Regula 8va. Non semel affirmant Patres manducari à nobis Christi carnem *spiritaliter*, ac per fidem, quod assertum recte, sapienterque; primum quia Eucharistia pascit animam *spirituali gratia*, & continens Christum est cibus *spiritualis, & vivificus*, ut ait Chrysostomus hom. 87. in Matth. Deinde quia non videtur *oculis corporalibus, sed mentis, ac spiritus*; ut inquit Cyrillus Hierosolymitanus catech. v. ex mystagogicis. Rursus quia non *simplex* caro hominis est, sed Dei, ut in cap. 26. Matth. explicat Theophylactus. Insuper, quia præbet nobis poculum sanguinis, qui ἀπὸ τῆς πέτρας ἔρρευσε πνευματικῆς, *à petra fluxit spiritali*, ut lib. IV. in Joan. scribit Cyrillus Alexandrinus: tandem, quia nisi accedas cum fide, & gratia sanctificante, quamvis recipias sacramentum visibile, nullum tamen percipis fructum, sed animæ detrimentum; ut docet S. Pater Tract. XXVI. in Joan. num. 18. Hujus, cui alii consonant, verba sunt: *Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei sacramentum ad judicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumit ad Christi accedere sacramenta.* Ille ergo *spiritaliter* manducat, qui credit, invisibilia dijudicat, & dignus accedit: ac spiritualis communio, si non excludit sensibile sacramentum, excludet multo minus corpus Dominicum, invisibile, immortale, vivificum.

Regula IX.

15. Regula nona contra Hieremiam Patriarcham constant. Affirmarunt quidam, ac inter hos Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in sæpe laudata Censura, nequaquam à nobis comedi *carnem*, *quam Christus gestabat.* Οὔτε μὴν (inquit Hieremias) πότε δεδώθησης τῆς σαρκὸς τοῦ κυρίου, ἣν ἐφορεῖ εἰς βρῶσιν τοῖς Ἀποστόλοις; ἢ τοῦ αἵματος εἰς πόσιν; ἢ νῦν ἐν τῇ θείᾳ μυσταγωγίᾳ καταβαίνοντος τοῦ κυριακοῦ σώματος ἐξ οὐρανοῦ. βλασφήμου γάρ. *Neque tunc data est caro Domini, quam gestabat, Apostolis in cibum, nec sanguis in potum: neque nunc in divina Liturgia, aut sacro ritu, descendit Dominicum corpus de cælo. Id enim blasphemum est.* Hæc verba prætermisit Cardinalis Perronius, idcirco à Claudio in violatæ fidei crimen adductus, ut prænonui ad calcem superioris capitis. Inde quoque colligit Albertinus, à Latinis alienos esse Hieremiam, cæterosque Græcorum; quod hi negent à nobis manducari Christi *carnem*, ac bibi *sanguinem.* Sed proh quanta hæretici comminiscuntur! Audire ab his vellem, quomodo hæc Hieremiæ verba cohæreant cum aliis tam aperte confirmantibus fidem Latinæ Ecclesiæ, ac superius exscriptis; & cur ipsis Withembergensibus Theologis persuasum fuerit Hieremiam nobiscum sentire, cum Censuram illam evulgantes, apposuerunt è regione Græci textus vocabulum Μετουσίωσις, *Transsubstantia-*

substantiatio. Ubi ergo Hieremias, & si qui sunt alii, negant manducari à nobis, *eam, quam Christus gerebat, carnem*; de carne accipiendi sunt, ut manducandam putarunt Capharnaitæ, scilicet sub *specie carnis*, ut dixi regula IV. & VI. at non de carne, aut de sanguine sub panis, vinique *speciebus.* Hoc docens ipsemet Hieremias, immediate prosequitur: ἀλλὰ καὶ τοτὲ, καὶ νῦν μεταποιεμένε καὶ μεταβαλλομένε τῇ ἐπικλήσει καὶ χάριτι τοῦ παντοδυνάμε καὶ τελεταρχικοῦ πνεύματος, διὰ τῶν θείων καὶ ἱερῶν εὐχῶν καὶ λογίων, τοῦ μὲν ἄρτε εἰς αὐτὸ τὸ κυρίε σῶμα, τοῦ δὲ οἴνε εἰς αὐτὸ τὸ κυρίε αἷμα, scilicet, *Sed tunc, & nunc convertitur & transmutatur, invocatione & gratia omnipotentis illius, & sacrorum rituum antistitis Spiritus, interventu divinarum & sacrarum precum, atque oraculorum, panis quidem in ipsum Domini corpus, vinum autem in ipsum Domini sanguinem.* Apparet hinc, quam ineptæ, & fucatæ sint Claudii, & Albertini argutiolæ.

Regula X.

16. Regula decima de argumentis philosophicis.

Quid vero, agendum est, dum hæretici nos impetunt philosophicis argumentis? Sunt hæc moderata disquisitione expendenda; nec vacillandum in fide, etiamsi humanum superent captum. Non enim hoc unum in suo corpore exhibuit nobis miraculum Christus Dei virtus ac sapientia. Exiit ille virginalia claustra, cum minime disrupisset: surrexit è tumulo clauso, & januis occlusis constitit coram discipulis; substravit se carneis pedibus fluens elementum: *Mirum*, inquit Ambrosius in caput 22. Lucæ num. 168. *Quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, invisibili aditu, visibili conspectu, tangi facilis, difficilis æstimari.* Si credimus, hæc curiose minime investigabimus, memoria repetentes monitum Augustini lib. XXI. de Civitate Dei cap. 5. plura esse, *de quibus ratio reddi ab homine non potest, & tamen sunt, & ipsi rationi naturæ videntur esse contraria.* Humiliter autem credentes ipsa spiritalis esca confirmabit in fide, implebitque lætitia; nam & hoc memoravit Propheta Psalm. CIII. 15. dicens, *Panis cor hominis confirmet:* quem locum de Eucharistia in fine libri de Mysteriis interpretatur Ambrosius. Sed nobis, inquis, cum incredulis agendum est. Respondeo hos vel paganos esse, vel hæreticos. Pagani primum ad notitiam Christianæ religionis pertrahendi, deinde mysteriis initiandi sunt; quippe si Christum Deum, hominemque susceperint, non erunt in ejus sacramenta injurii. Christum utique agnoscunt Sacramentarii (si agnoscunt tamen,) sed in hoc sunt imprudentissimi, quod ei credunt dicenti, *Ego sum Dei filius*; non credunt asserenti, *Hoc est corpus meum.* Si semel statuatur in humana ratiocinatione fidei norma, utrumque negandum foret, ut faciunt Sociniani, siquidem non minus Verbi Incarnatio, & divinarum Trinitas Personarum supergrediuntur humanæ mentis acumen, quam Eucharistiæ divinum, altissimumque Mysterium. Sociniani autem semel admissis divinis literis facile refelluntur, scribente Apostolo in priori ad Corinthios II. 4. sitam esse Evangelicam prædicationem, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis*, & fidem nostram *non in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Frustra nos itaque homines hujus furfuris aggrediuntur ratiocinationibus philosophicis. De Lutheranis non loquar modo: quamquam enim de *transsubstantiatione* sentiant pessime; dum tamen Christi corpus in Eucharistia fatentur adesse, premuntur iisdem difficultatibus, petitis maxime ex replicatione corporum, horumque extensione. Hinc horum unus Erasmus Schmidius in cap. 26. Matth. pag. 349. hæc conscripsit: *Jubet Christus, ut accipiamus, edamus, & bibamus. Hoc ergo faciamus. Dicit idem, hoc quod in sacramento edimus & bibimus, esse suum corpus, esse suum sanguinem. Hoc ergo pie credamus, etiamsi modum ignoremus: quia, ut beatus* (sunt Schmidii verba) *Lutherus Marpurgi anno 1529. ad Oecolampadium dixit, Dominus meus Jesus Christus hoc facile præstare potest cum vult, & velle se ipse suis verbis testatur: quibus ego constanter nitor, donec ipse per suum verbum mihi diversum dixerit.* Jam vero traditæ à nobis regulæ finem habeant.

Objecta hæreticorum diluuntur.

17. Respondetur ad objectionem hæreticorum primam.

His præmissis regulis, facile solvuntur argumenta ab initio proposita. Quod enim petitur ex *locutione sacramentali*, infirmissimum est, cum ratio *Sacramenti* sit in hoc sita, quod aliud significet, & efficiat, quam exterius appareat. Sufficit ergo, ut in Eucharistia *Sacramenti* ratio persistat, si corpus Christi, & spiritalis gratia, quorum signum est, exterius non sentiantur.

Imo

Imo ex *Sacramenti* ratione refelluntur heterodoxi; non enim metonymicis locutionibus, sed propriis Sacramenta instituuntur, & promulgantur; ut constat de baptismo, in quo, cum sit sacramentum regenerationis *ex aqua*, & *Spiritu sancto*, vere abluimur *aqua*, & vere, nisi pravæ voluntatis ponamus obicem, *Spiritus sancti* gratia renascimur. Etsi enim eo dementiæ Calvinus, & Sociniani progressi sunt, ut ille *aquam* solum Spiritum, hi vero solam doctrinam interpretentur; demonstrat tamen Evangelica historia, Samaritas, familiam Cornelii, Eunuchum Reginæ Candacis, domum Stephanæ, aliosque permultos *aqua* naturali fuisse tinctos. Sacramentalis itaque institutio, addita præsertim circumstantiis aliis, postremæ cœnæ, novi Testamenti, & significationis amoris præcipui, quo Christus *in finem dilexit suos*, atque, ut ajebat Juvencus presbyter,

Discipulos docuit proprium se tradere corpus;

institutio, inquam, sacramentalis propriam infert, non *tropicam* locutionem. Neque ad rem faciunt exempla duo, quorum unum ex *circumcisione* petitur, alterum ex *agno Paschali*. Quid enim, si negemus circumcisionem solam dici *pactum?* At id negari potest: nam legimus Gen. XVII. 10. *Hoc est pactum, quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculum, &c.* Non ergo circumcisio, sed præceptum circumcisionis dicitur *pactum:* & quoniam consuetum fuit inire fœdera nota aliqua, & charactere, quemadmodum arcus cœli est signum fœderis initi cum Noe, & tumulus erectus ad ripam Jordanis nota fœderis Israelitarum; idcirco circumcisio, & stigma impressum carni sunt monumentum & signum pacti & fœderis, non pactum ac fœdus. Sed detur circumcisionem dici fœdus & pactum, quandoquidem legitur versu 13. *Eritque pactum meum in carne vestra:* non solum ratio fœderis ineundi, quam modo attuli, verum etiam contextus ipse commonstrat circumcisionem esse fœderis notam, & characterem; nam versu 11. legitur, *Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos.* Est ergo circumcisio *signum* duntaxat, sive attendatur fœderis conditio, sive textus ipse Scripturæ. At Christus Eucharistiam instituens, nec illam dixit *signum corporis sui;* nec, si dixisset, corpus suum esse negasset; nam & Apostolus circumcisionem ipsam appellat ad Rom. IV. 11. *signum circumcisionis.* Sicut enim circumcisio pacti initi cum Abraham, ita Eucharistia *signum* est novi fœderis ac Testamenti. His, ni fallor, & argumentum solutum est, & illo revincuntur adversarii. Ad hunc enim modum illud retorqueo: Ut Deus feriens pactum cum Abraham ait: *Circumcidetis carnem præputii vestri, eritque pactum meum in carne vestra;* ita condens vetus testamentum inquit de vitulorum & hircorum sanguine, Exodi XXIV. 8. & ad Hebræos IX. 20. *Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus:* ac postremo instituens testamentum novum, Matth. XXVI. 28. *Hic est sanguis meus novi testamenti*, aut Lucæ XXII. 20. *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo.* Sicut ergo pactum, aut signum pacti cum Abraham est vera, & propria circumcisio carnis; & vetus testamentum, sive signum veteris testamenti est verus ac proprius sanguis hircinus; ita testamentum æternum ac novum, seu hujus testamenti signum, & memoriale est verus & proprius sanguis Domini JEsu, qui continetur in calice. Ad alterum nunc exemplum progrediamur. Hebraicum vocabulum *Phase* non significat solum transitum Angeli, sed etiam ipsam Paschatis solemnitatem, illius ritum, mactatum agnum, ejusdemque immolationem & sacrificium. Id enim ostendunt hæ Scripturæ locutiones, *celebrare Phase, facere Phase, immolare Phase, comedere Phase, assare Phase*, hisque consimiles eodem cap. XII. Exodi, & XXX. ac XXXV. 2. Paralippomenon. Itaque ea verba versu 11. *Est enim Phase, id est, transitus Domini* (quamvis à Lyrano, aliisque tribuantur interpreti) nulla vi illata textui, pro sacrificio & victima possunt, ac debent accipi, ut sensus sit, *Est enim sacrificium pro transitu*, usurpata voce פֶּסַח *Pesach*, pro זֶבַח פֶּסַח *Zevach Pesach*. Nam & Rabbini atque Interpretes omnes hic accipiunt *Pesach* pro agni oblatione, & eodem cap. XII. Exod. 27. legitur: *Victima transitus Domini est.* Exemplum ergo istud, quod Zuvinglius à dæmone didicit, & à spiritu, de quo scribit ipse, *Ater, an albus fuerit, nihil memini*, ab iis, qui delitescunt in tenebris, frustra opponitur. Debebat autem Zuvinglius reponere patri erroris, atque mendacii: Phase de quo legitur, *Est enim Phase*, vere est *Phase*, sive, *victima transitus:* id igitur, de quo ait Dominus, *Hoc est corpus meum*, est vere corpus, & veri corporis immola-

tio. Quare hoc exemplum infligit vulnus, non clypeum præbet Zuvinglianis. Sed demus etiam idem esse *Phase*, ac, *signum transitus*. Certe non alia ratione agnus mactatus dicitur, *signum transitus*, nisi quatenus illius sanguis illitus postibus signum erat angelo transeunti, & Ægyptios percutienti, ut parceret domibus Judæorum. Ostendunt id ea verba בסח הוא ליהוה, *Pesach istud Domino*, & in LXX. πάσχα ἐστὶ κυρίῳ, *Pascha est Domino*, & quæ in singulis Versionibus subjiciuntur, *Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis: & videbo sanguinem & transibo vos; nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti.* Quid ergo mirum, si fateamur *signum*, ubi tam aperte divina Scriptura *signum* declarat? Sed nec *signum* illud in Ægypto fuit vacuum, & sine re: siquidem revera pertransiit angelus, revera percussit primogenitos Ægyptiorum, revera domibus in superliminari, & in utroque poste sanguine illitis pepercit. Veniam ad regulam Augustini. Principio ab hæreticis petimus, cur ad regulam illam confugiant, non autem ad alteram communem, planissimam, & ab eodem Augustino sæpè numero inculcatam, qua præscribitur deserendum non esse *literalem sensum*, ubi perspicua est narratio, nec addendum sensum nostrum divinæ Scripturæ sensui? *Non enim hoc fit*, inquit Doctor eximius lib. v. contra Julian. cap. 2. *humana ignorantia, sed præsumptione perversa.* Aut cur non teneamus regulam alteram S. Patris eodem libro III. de Doctrina Christiana cap. IV. n. 8. commonentis, rarissime & difficillime in propriis verbis divinorum librorum inveniri ambiguitatem, *Quam non aut circumstantia ipsa sermonis, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ solvat inspectio?* Has quidem regulas silentio prætereunt, ne teneantur inferre hanc sibi peremptoriam consecutionem: Protulisse Dominum JEsum ea verba, *Hoc est corpus meum*, narrant libri Evangelicæ historiæ; continent illa perspicuam enuntiationem; quidquid præcedit, exponitur secundum literam, atque ita ea verba accipienda consentiunt interpretes: audacter itaque, imperite, *nec ignorantia humana, sed intentionæ perversa*, intelliguntur *tropice* tantum, & figurate. Sed quoniam coarctant nos hæretici ad solam regulam *præceptivæ locutionis*, quæ sonat flagitium; age, de ea paululum differamus. Ait egregius doctor, *Si Scriptura flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, & beneficentiam vetare, figurata locutio est.* Non figurata omnino; sed figurata, quatenus videtur jubere flagitium aut facinus, aut vetare beneficentiam. Videtur flagitium, ut exemplis rem explicem, si pater occidat filium, si propheta accedat ad fornicariam mulierem, si captivi dominorum suorum eripiant spolia: id tamen Dominus præcepit Abrahamo, Hoseæ, filiis Israel. Num historiæ id narrantes accipiendæ sunt *figurate?* Ita est, prout *videntur jubere facinus*, id est, homicidium, furtum, fornicationem. At si ea præcepta attendantur, non secundum id quod *videtur*, sed secundum id, quod est revera; quoniam nec homicidium, nec furtum, nec fornicatio, nec flagitium, nec facinus est mandante supremo Domino facere, quæ Abrahamo, Hoseæ, & filiis Israel fuerunt præcepta; idcirco *præceptivæ locutiones* ad hæc spectantes, si attendantur in se, non secundum id, quod videtur, *propriam* habent significationem, non *metaphoricam.* Ita, inquit Augustinus, præceptiva locutio, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, facta præsertim nondum instituto Eucharistiæ Sacramento, *facinus & flagitium videtur jubere:* visum quippe Capharnaitis manducandam Christi carnem, *quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur*, ut idem Augustinus ait Tract. in Joan. XXVI. Hoc pacto *figurata est, præcipiens passioni Domini esse communicandum.* Verum quatenus non videtur jubere flagitium, præcepitque corporis Christi sacramentalem communionem, absque horrore cruoris, & absque laniatione membrorum; non figurata locutio est, sed literalis, ac propria. Hinc colliges Augustinum loqui de figurata locutione, quæ propriam minime excludit; ut constat ex libro 2. contra Adversarium legis cap. IX. num. 33. ubi ait Christi carnem à nobis suscipi & manducari *corde, & ore*; tametsi possint Manichæi horrere, male intelligentes quod Dominus ait, *Si quis non manducaverit carnem meam*, &c. atque horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare, quam fundere. Quo in loco *figuratam* locutionem ita tradit, ut etiam propriam defendat. Habet similia quæst. LVII. in Levit. num. 4. Enarrat. 1. in Psalmum XXXIII. n. 8. & Enarrat. 2. num. 12. serm. 131. alias 2. de Verbis Apost. n. 1. Cum vero his in locis ad Eucharistiam referantur ea verba Joan. VI. *Nisi manducaveritis*, &c. consequens & illud

illud est, minime Augustinum putasse, quod præcit. capite 6. non agatur de hoc Sacramento; tametsi aliquando explicaverit eadem verba de mystica manducatione, seu incorporatione in Ecclesiam. Atque id confirmatur ex quo S. Pater lib. 3. de Cons. Evangelist. n. 2. sermonem instituturus de cœna postrema, & de institutione Eucharistiæ, recitatis aliorum Evangelistarum verbis, *Joannes* (inquit) *de corpore & sanguine Domini hoc loco nihil dixit, sed plane alibi multo uberius hinc Dominum locutum esse testatur.* Ubi autem, quæso, nisi sexto, de quo disserimus, capite? Plura dicta sunt, (utinam absque lectorum fastidio) de verbis Augustini in III. de Doctr. Christ. cap. XVI. ad castigandam etiam temeritatem Phereponi; quem pluribus in locis ostendi iniquum & malevolum detractorem. Compensabo autem in solutione objectionis tertiæ multiloquium brevitate; ac tropos in Scriptura plurimos esse fatebor. At nego ubique, & pro libidine hominum intrudendos, commemorans adversariis aureum Augustini proloquium in III. de Doct. Christ. cap. X. num. 15. *Si animum occupavit alicujus erroris opinio, quidquid aliter asseruit Scriptura, figuratum homines arbitrantur.* Argumentis verò primo ordine collocatis hactenus responsum est.

18. Respondetur secundò ad Joan. c. 6.

Ad ea, quæ ponuntur secundo loco, primum occurrimus generali responsione, non esse consequens, ut si verba aliqua in cap. 6. Joannis nequeunt literaliter accipi, idem sit de omnibus asserendum. Semel enim recepta hac, qua hæretici utuntur, argumentandi ratione, *tropice* quoque exponi poterunt quæ refellunt hæreses perniciosissimas; cujus generis sunt, *Verbum caro factum est*, *Ego & Pater unum sumus*, *Hic est filius meus dilectus*; quibus Nestoriana, Ariana, & Feliciana hæresis refutantur; nec Novantes ipsi suos poterunt retinere, quin ad novos Ebionæos, Socinianos scilicet, transeant, sensu hoc metaphorico Reformatæ quoque religionis scita irridentes: quod feciisse complures probat ipsorum Protestantium testimonio in suo *Examine* art. 13. pag. 227. Taddæus Caluschius, Augustiniani instituti orator, & Theologus celeberrimus. Deinde solvit argumenta omnia præmissa Regula IV. ubi explicavimus quo sensu litera occidat, & caro nil prosit; nimirum si adinstar Capharnaitarum nil iis, quæ communi sensu apprehenduntur, excogitemus sublimius, & sacramenta corporis & sanguinis Domini absque fide, animique expiatione premantur dentibus, & ore deglutiantur. Brevi tamen singula discutientes, dicimus Christum longam de fide in se ipsum præmisisse orationem, ac præterea quæ dicturus erat, confirmasse miraculis; quoniam tunc exponendum Sacramentum rationem carnalium hominum superabat. Nam si sermonem instituisset aut de signo corporis sui, aut de hujus perceptione per solam fidem; quo jure, quæso, dixisset Eucharistiam præstantiorem manná, & cum audientes censerent rem narrari novam, atque absurdissimam, passus foret à se non Judæos tantum, sed & quosdam discipulorum abalienari? Jam vero quod additur solam fidem impertiri vitam æternam, commentum est aliud hæreticorum, à nobis refutatum lib. XIX. cap. 5. Neque juvat hæreticos versus ille vicesimus septimus, nam ea verba: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*, non fidem sterilem commendant, sed conjunctam operibus: quo sensu ait Christus Joan. IV. 34. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Utitur autem ea phrasi, quoniam ideo turba ad eum venerat, quia ex panibus manducaverat, expectabatque fortassis *iterum manducare, iterum discumbere, iterum saginari*; ut ait Tract. XXV. num. 10. Augustinus. At nota, quomodo hinc arripiat Dominus occasionem de Eucharistia pertractandi. Reponentibus Judæis credere se Moysi, quoniam patribus *panem de cœlo dedit manducare*, ac præferentibus manna, quod scriptura *panem* appellat *cœli* panibus nuper multiplicatis, respondit Jesus daturum se ad manducandum semetipsum, quod profecto signum est mirabilius, quam pluere de cœlo manna. Non ergo manducare Christi carnem est solùm *credere*, sed est signum quoque, & sacramentum credentium. Quod cum nollent Judæi humiliter assentiri, pravoque acciperent sensu, vere carnem suam cibum esse Dominus affirmavit, quemadmodum vere manna patres manducaverunt, cum hoc discrimine, quod manna non conferebat vitam spiritalem, & gratiam, quam Panis iste vivus largitur credentibus: quibus ostendit esse se verum cibum, qui animam vivificet; & eos certiores reddidit, ὥστε μὴ νομίζειν αἴνιγμα εἶναι τὸ εἰρημένον καὶ παραβολήν, ἀλλ' εἰδέναι, ὅτι δεῖ πάντως φαγεῖν τὸ σῶμα αὐτοῦ, *Ne ænigma, & parabolam esse crederent, quod dicebatur, sed scirent omnino comedendum esse corpus ejus*, inquit Chrysostomus,

stomus, cui subscribunt Ammonius, Severus, & Cyrillus, Catenæ Patrum in Joannem pag. 195. Quo autem sensu manducetur caro Christi per fidem ac spiritaliter, supra Regula VIII. explicatum est. Theologos, qui ea verba, *Nisi manducaveritis, &c.* negarunt de Eucharistia accipienda esse, ne communionem sub utraque *specie* cogerentur admittere, id bona fide negasse, ac terrore, ut ajunt, panico, censent utique plurimi recentiorum; notatque illos Tournelius boni ac simplicis animi, Vitassius vero nimiæ imprudentiæ atque temeritatis. Vide citatas in argumento paginas. Præcinuerant iis Maldonatus in caput VI. Joan. num. 53. Ego vero non is sum, qui Cardinali de Alliaco, Joanni de Ragusio, Tappero, aliisque viris doctissimis dicam istam impingam. De capite VI. Joannis etiam inter Tridentinos Patres acerrime disputatum est, ac Seripandus noster optime advertit de hoc testimonio, *Nisi manducaveritis &c.*, duo esse litigia: *alterum cum hæreticis, an ibi ex divino præcepto, & ex necessitate salutis cunctis fidelibus præscribatur Eucharistiæ sumptio sub utraque specie: alterum inter Catholicos, an ibi sermo sit de communione sacramentali, an de sola spirituali.* Hæc Pallavicinus lib. XXII. Hist. Conc. cap. 11. num. 4. Ac de litigio, quod nobis est cum hæreticis, postea. Nunc autem Catholicorum dissidium, quod nobis opponit Dallæus, facile componitur; si dicamus illis verbis contineri præceptum *de communione sacramentali*, & vera manducatione corporis Christi, si referatur ad quosdam fidelium, aut ad unam duntaxat *speciem*: præceptum vero *de manducatione mystica*, sive adhæsione corpori Ecclesiæ, quæ est mysticum corpus Christi, si referatur ad omnes omnino, sive parvulos, sive adultos. Nam hoc postremo sensu illa verba spectare ad parvulos docuit frequentissime S. Pater disputans cum Pelagianis; errantque, me judice, qui Augustinum interpretantur de perceptione Eucharistiæ, quamquam & parvulis collatum aliquando fuerit hoc Sacramentum. Nil ergo mirum, si disputantes de communione *sub utraque specie*, adversus autumantes illam esse singulis necessariam, negaverint agi versu 54. cap. VI. Joannis *de communione sacramentali*; tametsi de hac etiam agatur, si loquamur de præcepto, prout aliquos tantum obstringit, aut præscribit unam, vel alteram *speciem* disjunctivè. Sed de hoc infra. Videas interim Estium accurate explicantem, quot modis intelligatur manducari corpus Christi, in IV. dist. 9. §. 1.

19. Respondetur ad 3tium.

Nunc ad argumenta, quæ impetunt probationem nostram verbis institutionis innixam. Ac ad primum dico errare Lutheranos & Calvinistas, qui ajunt ex communi sententia pronomen *Hoc* referendum ad *panem*. S. Thomas enim q. 88. art. 1. docet eo vocabulo designari substantiam *absque determinatione propriæ naturæ*. Major, Gabriel, Sylvius, Estius, id, quod præsens est, aut fit, si oratio sit efficax, & operatrix: & si quidam Catholici putant eo pronomine demonstrari *panem*, censent quoque ampliandam propositionem, ita, ut sensus sit, *Hic panis, qui loquente me panis est, in termino prolationis est corpus meum.* Nullam proinde cum hæreticis movebo quæstionem, an verborum consecrationis panis sensus sit, *Hic qui modo est panis fit corpus meum*, aut, *Hoc, scilicet hæc res, est corpus meum*, & in consecratione calicis, *Hic est sanguis meus*, an vero *Hoc, id est, hæc res est sanguis meus:* ac modo intelligatur sensu exposito, admittam utrumque. Neque opponas, nondum esse corpus, dum pronuntiatur pronomen *Hoc:* ad enuntiationes enim *effectrices* satis est, si verificentur in fine orationis. Ita salva rei veritate Deus hominem creans, limumque contrectans, & inspirans animam potuisset dicere, *Hoc est corpus hominis, Hæc est anima*; sicuti producendo res, nominat quæ non sunt, quasi essent, ut, *Fiat lux, fiat firmamentum, fiant luminaria*: ac mortuos suscitaturus, eos perinde, ac viverent, sic alloquitur, *Adolescens, surge; Lazare, veni foras.* Quod si persistant hæretici cavillis suis; dico, quod in prima propositione; *Hoc est corpus meum*, pronomen refertur ad *corpus*, non *ad panem*, quoniam in Græcis legitur, τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μου, non οὗτος masculini generis, qualis est ἄρτος; ideoque τοῦτο ad τὸ σῶμα, non ad ἄρτος, referendum est. Idem dico de verbis aliis, *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, quæ Græce leguntur, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, ubi οὗτος dicendum erat, non τοῦτο, si referretur ad οἶνος, *vinum*, masculini generis. Quæ etsi perspicua sint ex sola verborum syntaxi, probantur tamen non tantum à Catholicis, verum etiam à nonnullis hæreticorum; inter quos Conradus Horneius hostis *transsubstantiationis* acerrimus in Compendio Theologiæ lib. 2. cap. 3. num. 68. hæc scribit: *At Christus,*

stus, etsi cum accepisset panem & vinum, & gratias egisset, ait, Accipite, edite: item, Bibite ex hoc omnes, tamen non dicit, Hic panis est corpus meum, sed τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μου, *Hoc est corpus meum, cum alias non* τοῦτο, *Hoc, sed,* οὗτος, *Hic, scilicet* ἄρτος, *panis, dici oporteret.* Non ex Maldonato, aut ex Jansenio hæc exscribimus, sed ex homine Lutherano. Si cum Schmidio ac hæreticis aliis reponas, τοῦτο pro οὗτος poni propter synecdochem; subinferam, Igitur si τοῦτο refertur ad *panem*, panis non secundum se totum accipiendus est, sed secundum aliquam tantum partem, id est accidentia, ac sensus erit, *Hoc, quod continetur sub speciebus panis, est corpus Christi.* Si dicas cum Ludovico de Dieu, in textu Syriaco ambiguam esse locutionem, maxime in verbis, *Hic est sanguis meus*, & pronomen posse referri tam ad *poculum*, quam ad *sanguinem*, cum ambo apud Syros sint generis masculini; dicam contra, Syriacæ linguæ ambiguitatem sublatam ab Evangelistis qui Græce scripserunt; neque apud Matthæum, neque apud Marcum haberi poculum, aut ποτήριον, sed, *Hic est enim sanguis meus*; atque non solam Vulgatam, sed & Tremellium, & Erasmum & alios à Novatoribus plurimum celebratos, eandem præferre lectionem. Si demum opponas, non solum Theodorum Bezam & hæreticos alios, verum & Cyprianum in Epistola ad Cæcilium legisse, *Hoc est sanguis meus*, ut affirmat Lucas Brugensis, & Nicolaus Faber in margine exemplaris sui editionis Pamelianæ; respondeo cum erudito Baluzio, ita quidem in tribus antiquis Cypriani editionibus legi, sed contra auctoritatem omnium fere veterum exemplarium. Hæc autem omnia dicta sunt, ut juniores advertant quam inepte hæretici una Græca, aut Syriaca vocula obstrepant, nugasque garriant. Atque ex his etiam liquet, hanc enuntiationem, *Hoc est corpus meum*, non esse ταυτολογίαν, sive, ut ajunt, propositionem *identicam*; cum *identica* sit ea propositio, in qua eadem res, eodem vocabulo, aut synonimo de se ipsa enuntiatur, ut si dicas, *Homo est homo, Gladius est ensis.* Verum si pronomen, aut commune attributum enuntientur de re aliqua singulari ac determinata, sit in exemplo, *Hic fluvius est Tiberis, Hic est liber, Hic est homo*; nemo unus, qui nolit dialecticorum ferulis vapulare, appellabit *tautologiam.* Quod ajunt panem frangi, non corpus Christi, est argutatio inepta supra quam dici possit, frangitur enim ratione *specierum*: ac præterea apud Lucam legitur, *Quod pro vobis datur*, & apud Paulum 1. ad Corinth. xi. *Quod pro vobis tradetur*: quibus verbis demonstratur, datum in cibum Apostolis ipsum corpus jamjam tradendum in mortem, atque in cruce immolandum. Præterea sicut Christus porrigens consecratum panem ait, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; ita præbens calicem inquit, *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* At hæc verba, *Qui pro multis effundetur*, ad sanguinem, non ad vinum sunt referenda. Ergo & verba illa, *Quod pro vobis datur*, ad corpus, non ad panem referri debent. Sequitur objectio, qua productis multis exemplis demonstrare conantur verbum, *Est*, idem valere, ac *significat*: quod in primis absolute negatur; nam & in metaphoris, tropisque nunquam translatio invenitur in verbo *Est*, sed vel in subjecto, vel in attributo; si enim de picta imagine dixeris, *Hic est Hercules*, tropus non reperitur in *Est*, sed in *Hercules*, qui non hominem significat, sed figuram hominis. Legi potest Maldonatus in caput xxvi. Matthæi, & Estius in caput xi. Epist. 1. ad Corinth. Et revera si *est*, idem valeret, ac *significat*; non dicendum erat, *Hic est sanguis meus*, sed *Hic est sanguinem meum*, insolitum porro ineptumque dicendi genus. Deinde quænam est inter ea quæ apparent in somniis, ut boves ac spicæ Pharaonis, aut statua Nabuchodonosor, & quæ narrantur in libris historicis, comparatio? quænam inter parabolas prophetantium, & documenta Apostolorum, quibus datum est nosse regni cælestis mysteria? Exempla denique ab hæreticis objecta diluuntur præcedenti capite ex ipsis regulis Protestantium, ubi docent quomodo Scripturæ tropos scriptura ipsa demonstret. Exemplum unum additum est ex cap. v. Ezechielis; at non meliori conatu. Illa enim verba, *Ista est Jerusalem*, non sunt pronuntiata ab eodem propheta, qui rasit, dispersitque capillos, neque supra partem horum; sed sunt verba Domini explicantis quæ Ezechieli mandaverat facienda: legitur enim, *Hæc dicit Dominus: Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam, &c.* Ipse ergo textus demonstrat tropum atque figuram, non minus in ea capillorum parte, ac in latere, in sartagine ferrea, in subcinericio hordeaceo, & in stercore, quibus ab Ezechiele prænuntiata est Jerosolymorum obsi-

dio

tio & vastatio. Do tamen libenter fractionem panis, atque separationem utriusque *speciei* figuram esse corporis Christi, quemadmodum quæ narrat Ezechiel figura erant civitatis Jerusalem; si accipiatur *corpus Christi*, ut vulneratum & crucifixum, juxta præcedentem regulam tertiam, & juxta ea, quæ diximus cap. 1. ubi ostendimus, quomodo in Eucharistia cum ratione Sacramenti consistat veritas. Recole autem præ cæteris caput, *Hoc est, quod dicimus*, de Consecr. dist. 2. n. 47. in quo hæc habentur: *Sicut ergo cœlestis panis, qui vere Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera sit sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale in cruce est suspensum, vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio: sic sacramentum fidei, quod baptismus intelligitur, fides est.* Habet consimilia S. P. Augustinus epist. 23. ad Bonifacium Comitem, nunc 99. num. 9. Proinde Eucharistia recte dicitur commemoratio, non corporis Christi, quod utique præsens est, sed immolationis, passionis, crucifixionis, ut innuit Apostolus 1. ad Corinth. XI. 26. Quod sequitur de consecratione calicis, retorquetur in adversarios; primum quia in his verbis Lucæ XXII. 20. *Hic est calix, novum testamentum in sanguine meo*, vocabulum *calix* in propria accipitur significatione: igitur idem dicendum est de vocabulo *sanguis*; ideoque *sanguis* in verbis Matth. XXVI. 28. *Hic est sanguis meus novi testamenti*, in significatione propria accipi debet. Præterea quæ leguntur Exodi 24. 8. & ad Hebræos IX. 20. *Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus*, de vero hirci sanguine dicta sunt: igitur de vero sanguine Domini dictum est, *Hic est sanguis meus novi testamenti.* Utuntur hoc argumento quidam Catholici, inter quos Estius dist. VIII. §. 14. demonstrans utriusque textus similitudinem, quam fatetur Daniel Heinsius Exercit. sacrarum pag. 81. scribens: *Cum dicitur*, τοῦτο γάρ ἐστὶ τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, *manifesta illius videtur parodia*, ἴδου τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς διέθετο κύριος πρὸς ὑμᾶς. Inquiunt hæretici, At sanguis non est *testamentum*, sed quo testamentum confirmatur. Respondeo, & ideo quod Lucas posuit in recto, *novum testamentum*, καινὴ διαθήκη, posuerunt Matthæus & Marcus in obliquo, τῆς καινῆς διαθήκης, *novi testamenti.* Deinde non ait Lucas *testamentum* tantum modo, sed, *testamentum in meo sanguine*: idem est autem διαθήκη ἐν αἵματι, *testamentum in sanguine*, & αἷμα διαθήκης, *sanguis testamenti*, inquit Grotius in Lucam; quod & probat ex constructione in recto, τὸ ὑπερ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *qui pro vobis effundetur*, quod casu concordat cum διαθήκης, genere cum αἵματι. Verum addunt hæretici, At sanguis non est *genimen vitis.* Id quoque Regula 1. explicatum est. Insuper illius loci, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, exposui multiplicem significationem Volum. 1. pag. 157. Posset præterea locus iste explicari de calice non consecrato, & post cœnulam exhauriendo, juxta Hebraicos ritus capite tertio explicatos. Eo denique sensu dictum est, *Non bibam amodo*, &c. quo de agno Paschali Lucæ XXII. 16. *Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*: nam sicuti hinc non sequitur, Christum post resurrectionem manducasse Pascha ejusdem generis, ita illinc non infertur bibisse ejusdem generis vinum; præsertim cum variationem sensus demonstrent in uno loco illa verba, *Donec impleatur in regno Dei*, in altero autem ista, *Cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Sed de argumentis hæreticorum adversus verba institutionis plura nimis: reliqua nunc prosequamur.

Quod ergo legitur Joan. XII. *Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis*, intelligendum est de ea præsentia, qua D. J. compatiens infirmitatibus nostris excepit corporalia officia, pollincturæ etiam, atque exequiarum; non de præsentia, qua nobiscum permanet usque ad sæculi consummationem, nos patrocinio fovens, gratia adjuvans, & in nobis sacramenti communione immanens, ac perseverans. Atque id constat ex ipsomet loco; sunt enim illa verba alloquentis Judam prætextu misericordiæ in pauperes ægre ferentem balsami profusionem. Hinc S. Pater tract. LI. in Joan. num. 13. ait, τὸ *Me autem non semper habetis*, Judæ, avarisque dictum esse, non omnibus: additque num. proximo, non semper nobiscum Jesum permanere *secundum id, quod à Judæis prehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis involutus, quod in sepulchro conditus*, &c. De ipsamet præsentia visibili & corporali accipienda sunt duo alia loca nobis objecta, Joan. XVI. & Act. III. Quartum ex iis verbis, *Palpate, & videte*, &c. fa-

22. Respondetur ad 4tum.

&c. facillimæ expeditionis est: *Affirmative* enim recte concluditur, tangitur ac palpatur, ergo non est spiritus, neque est phantasma; at non recte concluditur *negative*, Non palpatur, non tangitur, ergo non est corpus; præsertim si existat modo quodam peculiari, ac mirabili: alioqui sequeretur, non fuisse verum Christi corpus, quando ambulavit supra mare, aut ex oculis circumstantium evanuit. Sicut ergo potuit Dominus reddere corpus suum leve atque inaspectabile, ita potest facere illud impalpabile, & invisibile. In explicatione verborum Apostoli 1. ad Corinth. x. *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt*, vel τὸ *omnes* ad Judæos simul, & ad Christi fideles referre volumus cum Augustino; vel ad solos Judæos, qui manducarunt manna, & biberunt aquam de petra, cum Joanne Chrysostomo. Si primum teneas, non alia ratione dictum est, *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt*, nisi quia manna erat figura Eucharistiæ; quemadmodum ibidem legitur, *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari*, quoniam nubes, & transitus maris fuerunt typus baptismi. Idcirco Apostolus non ait absolute, *Eandem escam*, sed, *Eandem escam spiritalem*: unde Augustinus Tract. XXVI. in Joan. num. 12. inquit: *Spiritalem utique eandem; nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud.* Quod si velis cum Chrysostomo τὸ *omnes* referre ad solos Judæos, quod & mihi probatur quammaxime, non solum objectio hæreticorum nulla est, verum etiam ipsos impetit, & confodit. Est enim Apostoli scopus demonstrare, quod minime satis sit percepisse baptismum ac spiritualia mysteria, nisi ulterius agamus vitam homine Christiano dignam: atque ad id commonstrandum adducit figuras baptismi, & Eucharistiæ. Sicut, inquit, omnes patres sub nube fuerunt, ac transierunt mare, (quod nonnisi Judæis convenit,) omnesque manducarunt manna, nec tamen *in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto*; ita non omnes, qui sacræ mensæ, ac baptismatis sunt participes, censendi sunt Deo accepti: idem quippe Dominus, qui illis manna & aquam, tibi corpus præbuit, & sanguinem, non enim petra emittebat aquam, sed alia petra spiritualis, nempe Christus, totum operabatur: & *quemadmodum tu comedis corpus Domini, sic illi manna, & sicut tu bibis sanguinem, sic illi aquam de petra*: καθάπερ γὰρ σὺ τὸ σῶμα ἐσθίεις τὸ δεσποτικὸν, οὕτως ἐκεῖνοι τὸ μάννα: καὶ ὥσπερ σὺ τὸ αἷμα πίνεις, οὕτως ἐκεῖνοι ὕδωρ ἐκ πέτρας. Ita Chrysostomus Hom XXII. in primam ad Corinthios pag. 523. De Scripturis igitur, quibus hæretici abutuntur, hactenus.

21. Respondetur ad 5rum.

Ad ea vero, quæ objiciuntur ex Patribus, facillima est responsio; omnia quippe in præmissis decem regulis præoccupata sunt, ac soluta. Infirmiora sunt etiam, si conferantur cum iis eorundem Patrum testimoniis, quæ absolute & sine ambiguitate sententiam confirmant nostram: quare de Oecolampadio scribit in Hist. Sacrament. Levatherus, *Sæpe antiquorum Doctorum lectione i firmitatem suam vincere conabatur, sed principio non occurrebat, quo juvaretur: crebro erat obvium Corpus Domini & sanguis Domini*: adeoque non potuisse Sacramentariis accedere, nisi *semota hominum auctoritate*. Scaliger etiam, *Miror*, inquit, *qui fieri potuerit, ut Patres omnes crediderint panem in verum Christi corpus converti*: & Socinus Epist. ad Radecium, *Legantur modo Pontificiorum scripta, & satis intelligetur, si præter sacras literas Patrum auctoritati sit standum, vobis omnibus causa cadendum esse.* Nullo itaque jure possunt adversarii pugnare nobiscum Patrum auctoritate, ut fatentur illorum plerique. Cum tamen id nitantur, ita nos jacula vitrea confringimus. Ad objectionem petitam ex aliquorum silentio, dicimus ipsam arcani disciplinam veritatis Catholicæ invictum esse argumentum; prout Regula v. prolixè explicavimus: quamquam non solum Patres priorum sæculorum Eucharistiæ, & corporis ac sanguinis Domini aliquando meminerint, ut Ignatius, Justinus, Irenæus, verum etiam sincera Martyrum acta, Perpetuæ, quæ *buccellam comedit acclamantibus Amen circumstantibus*, quod de Eucharistiæ perceptione recte interpretatur Ruinartius pag. 92. Hermetis, qui martyrium subiturus dicitur gustasse *oblatas à columba escas gratissimi cibi*, apud eundem scriptorem pag. 372. Luciani, qui destitutus altari paulo ante mortem refecit se Dominico corpore *supra pectus suum* consecrato, ut narrant genuina Acta, & Philostorgius lib. 2 H Eccl. num. 14. Agnetis, quæ commonstrans ritum quemdam communionis, quo olim sacrabantur Christi sanguine organa sensuum, inquit, *Sanguis ejus ornavit genas meas*, ut animadvertit Tom. v. pag. 412. eruditissimus Lupus: omnium postremo Martyrum, quos an-

te agonem muniendos *protectione corporis & sanguinis Christi*, scribit epist. 57. sanctus Cyprianus. Ex quibus constat, hæreticos ex objectis quoque Martyrum Actis revinci. At objectio, quæ sequitur ex vocabulo *Antitypi*, habet ex Regula III. plenissimam solutionem. Mirandum vero summopere, Albertinum in ea objectione Cyrilli quoque catechesim IV. producere: in qua Cyrillus sacra dona appellat utique *Antitypa:* sed ait paulo post pag. 531. *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis*, ἐν τύπῳ ἄρτε δίδοται σοὶ τὸ σῶμα, καὶ ἐν τύπῳ οἴνε δίδοται σοὶ τὸ αἷμα: ac prope finem ejusdem catecheseos, *Hoc sciens & pro certo habens panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat; & vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi:* ταῦτα μαθὼν καὶ πληροφορηθεὶς, ὡς φαινόμενος ἄρτος, οὐκ ἄρτος ἐστὶν εἰ καὶ τῇ γεύσει αἰσθητὸς, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ. καὶ φαινόμενος οἶνος, οὐκ οἶνος ἐστὶν, εἰ καὶ ἡ γεῦσις τοῦτο βούλεται, ἀλλὰ αἷμα Χριστοῦ. Consequens oppositio petita ex Latinis, qui Eucharistiam vocant *corporis Christi figuram*, solvitur ex 2. Regula: in qua diximus de Tertulliano scribente adversus Marcionem idem sonare, *Hoc est corpus meum*, ac si dictum foret, *Hoc est figura mei corporis*, accipienda ejus verba, quatenus corpus Christi existens sub sacramento est figura ejusdem corporis pro nobis in crucem acti. Nam ibi Tertullianus agit adversus Phantasiastas negantes verum Christi corpus affixum cruci, eosque perstringit vaticinio illo, *Mittamus lignum in panem ejus.* Id cum observaret Calvinus lib. IV. Inst. cap. 17. num. 15. maluit Tertullianum insciticæ redarguere, quam veritatem negare: scribit enim, *Conqueritur Propheta lignum positum in pane suo, significans hostium sævitiâ panem suum infectum amaritudine: quemadmodum David simili figura cibum suum fuisse felle corruptum, & potum aceto deplorat. Isti allegorice corpus Christi ligno crucis fuisse affixum volunt. Ac ita senserunt nonnulli veteres. Quasi vero non magis ignoscendum sit eorum insciticæ, & sepeliendum dedecus, quam addenda impudentia, ut cogantur cum genuino Prophetæ sensu hostiliter confligere.* In his vero potius Calvinus demonstrat se insanum atque impudentem, calcatque vestigia Theodori Mopsuesteni damnati à V. Synodo, quod inter cæteros errores asseruerit locum illum Psalm. *Dederunt in escam meam fel, & in sitì mea potaverunt me aceto, non esse intelligendum de Christo.* Vide Collationem IV. laudatæ Synodi, Tom. V. Concil. Lab. pag. 443. Ut ad Tertullianum revertatur oratio, potest ulterius responderi, illius ratiocinationis hanc vim esse, Inane & vacuum phantasma nequit permanentem aliquam figuram suscipere. At corpus Christi in Eucharisticis elementis habet solidam figuram panis. Igitur corpus Christi non est vacuum & inane phantasma. Etenim hunc sensum commonstrant verba, quæ libro IV. contra Marcionem proxime consequuntur: *Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset.* Stupenda deinceps res est, Albertinum obstrepere mutilatis verbis Ambrosii, qui, ut vidimus, realem præsentiam tradit luculentissime, ejusque fidem compluribus miraculis adstruit, moveri autem Albertinum illis verbis, *Similitudinem pretiosi sanguinis bibis;* quibus Ambrosius dumtaxat ait, non esse in calice æternam sanguinis formam ac speciem, quæ sensum afficiat & commoveat, subjiciens illico, *Ut nullus horror cruoris sit.* Ubi vero Ambrosius oblationem sacram appellat *corporis Christi figuram*, non de oblatione consecrata, sed tantum de præparata loquitur, ut recte observarunt Benedictini Tom. 2. pag. 371. quamvis & consecrata dona non una ratione typus & figura dicantur: quod necessum non est iterum explicare. Diluimus eadem regula 2. quæ objiciuntur ex Augustino. Hæc libris sancti Patris adsuta ab aliquo Witclefista, evistimavit cap. 57. Joannes Hesselius, quod recedant, inquit, *ab Augustini exacta locutione, & limato sermone.* Verum ne subscribamus Hesselio, faciunt exemplaria universa, codices vetustissimi, accuratissimæ editiones, & ipsa Hesseliana conjecturæ nimia levitas. Ergo S. Pater in libro contra Adimantum Eucharistiam appellat *signum*, quod minime excludit veritatem, proferens exemplum sanguinis, qui est *signum animæ*, signum scilicet rei in brutis, qui agunt vitam, præsentis. Ubicunque vero docet corpus Christi manducari à nobis *spiritaliter*, exponendus est juxta Regulas IV. & VIII. Augustinianis documentis illustratas: nam & manducari Christi corpus in Eucharistia docet apertissime serm. 2. de verbis Apost. cap. 1. lib. 2. contra adversarium legis

cap. 9.

cap. 9. & quæst. 57. in Leviticum, ut constat ex dictis. Nullius denique ponderis est argumentum ex iis ultimum, quæ auctoritati nituntur. Innumeros quippe ante Anastasium Sinaitam ex Græcis, & innumeros ante Paschasium ex Latinis stetisse pro Catholica veritate, perspicuum est. Quis insuper Anastasium, quis Paschasium tanquam novæ hæresis auctores damnavit? Nulla profecto adversus istos legimus celebrata concilia, nullaque emanata decreta. Exorto econtra Berengario, hunc insectati sunt universi Ecclesiarum præfecti, nec unus Episcoporum ad eum accessit; quo nomine illius hæresis fuit Arianâ, cæterisque, in quas multi consenserunt Episcopi, execrabilior atque deterior. Ipse denique Berengarius palinodiam tertio recantavit, & in catholicæ fidei confessione decessit. Berengarius itaque, non Anastasius Sinaita, non Paschasius, auctor fuit exitiosi dogmatis, ac Novator. De his, qui juxta loquendi modum à Paschasio discrepaverunt, satis dixi in prænotatis ad magnam hanc controversiam, & in VI. ex regulis à me constitutis. Itaque argumenta hæreticorum aut scripturæ, aut Patrum auctoritati subnixa, non sunt pluribus refutanda.

22. Respondetur ctò ad rationes Philosophicas,

Venio tandem ad argumentationes Philosophicas, præmissa declaratione Regulæ X. non humanam rationem, sed auctoritatem Ecclesiæ esse mihi normam credendi: nam neque tres in Deo reperiri *hypostases*, neque Dei Verbum hominem factum ac mortuum, non asseverante Ecclesia, didicissem, & utrumque ea tradente profiteor. Illud etiam ab hæreticis peto, cur in Scriptura constituant fidei libellam, provocentque nos modo ad castra Philosophorum? Cur Protestantes Angli, atque hos inter Forbesius, censeant temerariam opinionem eorum, qui negant posse Deum efficere, ut corpus careat locali extensione, ac pluribus sit in locis, ajentes neque Zuvinglium, neque Oecolampadium, neque Hospinianum affirmasse, quod hæc fieri nequeant, & facta tantum negasse; succenseant autem nobis hæretici, quod credamus impossibilia? Cur Petrus Molinæus, Blondello teste, noluerit, ut Synodo damnaretur *realis Christi præsentia* in Eucharistia, cur Zuvinglius cum sociis in congressu Marpurgi anno 1529. Lutheranis exhibuerit communionem, cur anno 1631. in Pseudosynodo Carentonii decreverint Sacramentarii Lutheranos recipi posse, nulla facta hæresis abjuratione, si dogma realis præsentiæ fidei, rationique adversatur? Sane longe difficilior intellectu est hæresis Lutherana, quàm sit veritas Orthodoxa: nam hæresim illam Pontificiorum dogmate abstrusiorem judicarunt Zacharias Ursinus, Wolfangus Musculus, Theodorus Beza, Scultetus, aliique plurimi ex Novatoribus, ut ostendam proximo capite; ideoque Sacramentarii à crimine idololatriæ ac superstitionis, & à nota singularis dementiæ absolventes Lutheri grogarios, damnantes vero iisdem nominibus Pontificios, judices sunt impudentissimi atque iniquissimi. Atque ne Calvinianos præteream, quo jure horum ductor ac signifer in nos è philosophia debacchatur iisdem sese tricis incautus implicans? Ait enim Calvinus in *Dilucid. expos. fan. doctr.* pag. 839. ita esse in Eucharistia corpus Christi *vere, ac substantialiter*, ut Deus in arca, & Spiritus sanctus sub specie columbæ: ait eo loci non tantum fide ac merito, verum etiam *substantialiter & reipsa* manducari à nobis Christi corpus: ait lib. IV. Instit. cap. 17. in Eucharistia Christum ipsam, in qua residet, carnem vivificam nobis tradere, ut ejus participatione ad immortalitatem pascamur: in cœnæ mysterio per symbola panis & vini Christum vere nobis exhiberi, adeoque corpus & sanguinem ejus: veram esse, substantialemque corporis ac sanguinis Domini communicationem, ita, ut non imaginatione duntaxat, aut mentis intelligentia, sed reipsa percipiantur: non aliter animas nostras carne & sanguine Christi pasci, quam panis & vinum corporalem vitam tuentur ac sustinent, & vere Christum nos reficere carnis suæ esu, & sanguinis potu. Hæc omnia iisdem Calvini verbis conscripta sunt. Si vero reponas incredibile videri, quod in tanta locorum distantia penetret ad nos Christi caro, ut sit nobis in cibum; respondet ille, supra sensum nostrum eminere arcanam Spiritus sancti virtutem, ut stultum sit ejus immensitatem velle metiri, in hanc sententiam concludens citato cap. XVII. num. 10. *Quod ergo meus noster non comprehendit, concipiat fides, Spiritum vere unire quæ locis disjuncta sint.* Age vero, quandoquidem philosophicis argumentis pugnandum est, quare in cœlis existens *vere ac substantialiter* manducari potest in terris, nec potest in cœlis, & in terra simul existere? Quare potest Spiritus sancti arcana virtus me cum hominibus commorantem *substantialiter* unire Christo re-

gnanti cum angelis, nec potest Christus *substantialiter* versari simul inter Angelos, & inter homines? Quare demum non idem nos cum Joanne Calvino respondeamus, *Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides?* Ne tamen hæc dicta videantur ad vim argumentorum vitandam; respondetur ad primum, docere Peripateticos, quod *essentia* corporis nequaquam in dimensione sit posita, cum in hoc sit constituenda, quod extensionem naturaliter tantum exigat; nam per hoc solum à spiritu sufficienter distinguitur res corporea. Recentiores quidem nonnulli contendunt, non posse corpus esse, aut cogitari, nisi extensum sit; sed fatentur tamen contineri idem corpus nunc arctiori loco, nunc ampliori, easdemque partes habere pullum in ovo, seu plantam in semine, ac habeat pullus explosus, & arbor patula; licet partes in ovo, aut in semine nondum ex involucris sint explicatæ, sed compressæ simul, atque contractæ. Sunt præterea, qui contendunt incompertam nobis esse rerum omnium *essentiam*, nec illam aliud censent, nisi quod sepositis omnibus proprietatibus reliquum manet. Prior itaque objectio nulla est, sive dicas extensionem esse corpori accidentariam, sive teneas Christi corpus in Eucharistia occupare locum angustiorem, sive ingenue fatearis nescire te quid sit corpus. Eligas autem ex his tribus eam, quæ arrideat magis, sententiam. Hoc tantum admoneo, si amplectaris secundam, ne mente excidat canon tertius sess. XIII. Tridentini Concilii, *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.* Saltem ergo *separatione facta*, in qualibet parte totum Christi corpus agnoscas, si vis ante separationem habuisse extensionem aliquam actualem. Id solum à Synodo definitum scribit recens Auctor, & quidem Thomista, tom. I. de Re Sacrament. pag. 428. Revera Tridentini Patres non fuerunt solliciti de Philosophicis altercationibus: & consulto addiderunt ea verba, *separatione facta*, commemorante Joanne Aemiliano varias Theologorum opiniones; ut narrat Pallavicinus lib. XII. Hist. cap. 2. num. 15. Poteris ergo sententiam illam tenere, eamque explicare exemplo, quod legitur apud Samonam Gazæ Episcopum. Est imago tua in speculo, pro chrystalli extensione angustior, aut amplior; si speculum frangas, in unoquoque fragmine eandem imaginem videbis expressam: *Ita*, inquit Samona, *& caro Christi integra est in unoquoque fragmento:* οὕτω καὶ σάρξ Χριστοῦ ὁ λόκληρος ἐν ἑκάστῳ κλάσματι. Vide tom. XVIII. Bibl. PP. pag. 579. Juxta diversa Philosophorum placita diluitur objectio altera: indubitatum quippe est permanere in Eucharistia panis & vini *accidentia*, ut cum universis Theologis scribit lib. IV. de Sacramento Altaris Innoc. III. Damnarunt quippe Guilelmus Archiepiscopus Cantuariensis, cujus judicium confirmavit Urbanus VI., & Synodus Constantiensis sess. VIII. propositionem Wicleti, *Accidentia panis non manent sine subjecto in Sacramento Altaris.* Hinc inferunt Theologi præstantissimi, inter quos noster Lupus in sextum Romanum Concilium S. Gregorii VII. tom. V. pag. 316. meras esse nugas, quæ de accidentibus à subjecto indistinctis tradit Cartesius. Multi tamen, à quibus alienus non est Vanroy cap. V. de Euch. q. 1. & 2. *accidentia*, & *species* panis ac vini remanere fatentur, sed negant esse *entitates* tenues à substantia distinctas. Hi nimirum ajunt *species* panis ac vini esse imaginem impressam materiæ subtili panem ambienti, quæ imago, seu materiæ subtilis pressio persistit etiam consecratione peracta, eandem in organo visus excitans affectionem, ac si panis adesset. Atque idem docent de *accidentibus*, quæ sensibus reliquis objiciuntur. Conantur id explicare exemplo Christi, qui *sub hortulani specie* Magdalenæ dicitur apparuisse, quod nempe hujus mulieris visus à materia cœlesti eodem modo fuerit affectus, quomodo fuisset hortulano præsente. Possunt his aliquam afferre lucem, quæ lib. X. cap. 14. scripsimus de apparitionibus Angelorum. Hæc verò nec refello, nec probo; siquidem non tantus est mihi *Renatus Cartesius*, quantus iis, qui hoc nomen transpositis literarum elementis conscribunt, *Tu scis res naturæ.* Alii præterea Philosophi hac responsione contenti sunt, Deum solutum esse naturæ legibus, utpote quas ipse pro suo arbitrio constituit, & esse mentis omnino non sanæ velle divinam potentiam modulo intelligentiæ nostræ metiri: quod confirmant exemplis productis ab Augustino Epist. 3. ad Volusianum, nunc 173. num. 8. ubi differens de Verbo in utero Virginis carne induto: *Hic*, inquit, *si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare.*

singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. Huc denique confugit etiam Petrus Gassendus, lib. VI. de qualitatibus rerum cap. 3. pag. edit. Lug. 385. Difficilius est argumentum tertium de Christi corpore in cœlo simul, & in pluribus consecratis hostiis existente. Verum non tale est, quod compulerit Chrysostomum, ne scriberet lib. 3. de Sacerd. *Qui sedet in dextera Patris, in dexteris peccatorum reperitur*, Nyssenum, ne in Hom. de Paschate ita loqueretur, *innumerabilibus locis consecratur, & tamen unum corpus est*, Augustinum, ne in Psalmum XXXIII. assereret Christum Dominum, cum ait, *Hoc est corpus meum*, se ipsum portasse *manibus suis*. At quæris quomodo id fieri possit. Fit, inquiunt Scotistæ, quemadmodum duo corpora, etsi juxta naturæ legem se se invicem de loco expellant, divinitus tamen compenetrantur, eodemque ambitu circumscribuntur. Quamvis enim Calvinus neget quoque corporum penetrationem; refutatur tamen ex quo Christus ad Apostolos ingressus sit, *Januis clausis*, atque, ut ait quodam in carmine Nazianzenus,

Ὡς κλεῖθρα παρθένια μηδαμῶς λύσας
ἐξῆλθεν,

Ut claustra Virginalia, cum minime solvisset, egressus est. Atque huc faciunt quæ diximus Hom. VI. & Reg. X. Alii tamen Philosophi etsi negent idem corpus posse in pluribus locis existere *circumscriptive*, negant fieri non posse, ut in locis multis existat *sacramentaliter*, & ratione extensionis panis: nam, inquiunt, *circumscriptio* fit extensione locali ac propria, quæ una est, nec multiplicari potest non multiplicata substantia corporis: existentia autem *sacramentalis* pendet à quantitate panis, aut vini, quæ non est una, sed quotuplex materia, quæ consecratur. Quod necessum non est prolixius exponere diu in scholis Peripateticorum versatis. Sunt etiam, qui propugnant actionem, qua conficitur Eucharistia, ex parte Dei esse ipsam conservationem corporis Christi, conservationem vero ipsammet creationem; ut censent Gabriel, Ochamus, aliique plures apud Vasquez disput. 181. num. 42. quibus & nos subscribimus, si actiones illas Dei *connotative* distinguant. Sicut ergo (inquit Emanuel Maignanus Philos. sacræ cap. 22. prop. 3.) sufficit in Deo una eademque actio, ut corpus producat, ut ei tribuat locum, ut ipsum conservet, ut ad plura loca successive transferat, quoniam hæc mutatio se tenet duntaxat ex parte termini; ita eadem Dei actio per se invariata potest corpori Christi tribuere locum in dextera Patris, alium verò sub his *speciebus*, alium sub aliis. Consimili ratione probant quidam Philosophorum, ejusdem corporis posse multiplicari vicinias. Qualemcumque igitur sectaris physiologiam, habes unde eludas hæreticorum sophismata: volo enim ego iterum gratificari Calvino, ingeniique mei imbecillitatem agnoscens illius verba repetere, *Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides.* Argumenta postremo loco à conjecturis petita, quandoquidem proximis disputationibus sunt iterum pertractanda, nunc prætermittam. Peto hoc unum, cur indecorum sit, Christum frangi ratione *specierum* sacramentalium, manducari ab impiis, nobiscum permanere, & pro nobis quotidie Sacerdotum manibus immolari; posteaquam dignatus est tradi manibus peccatorum, vulnerari, crucifigi, & reputari cum sceleratis: præsertim cum in Eucharistia non sit passionis acerbitas, horror cruoris, mortisque imago terrima; sed, ut ajebat Hildebertus Cenomanensis,

Fit cibus hic ex pane caro, Deus ex elemento,
Mysterio simplex, utilitate triplex:
Utque fides adsit, terrorque recedat, & horror,
Fit cibus ipse caro, panis imago manet.

CAPUT X.

Impugnatur asserta ab hæreticis *Consubstantiatio*, sive *Impanatio.*

SUMMARIUM.

1. Status controversiæ.
2. Catholica veritas firmatur I. ex Evangelio.
3. II. Ex Authoritate Ecclesiæ, tanquam in hoc puncto legitimi Judicis.
4. III. Ex Consensu PP. Græcorum, & Latinorum.
5. IV. Ex ipsa Novatorum Doctrina.
6. V. Ex aliorum hæreticorum sententia de hoc puncto.
7. VI. Ex propria Adversantium confessione.
8. Objectio prima ex Scriptura.
9. Nullius momenti esse ostenditur.
10. Altera ex Opinione antiquiorum Scholasticorum.
11. Nec tangit punctum controversiæ. Nec quadrat Doctrinæ. AA.
12. Tertia ex Novitate Vocabuli.
13. Non obest rei.
14. Quarta ea Doctrina PP.
15. In sensu debito explicatur.
16. Quinta ex discursu Philosophico.
17. Distinctione substantiæ *in genere*, & *in specie* salvatur.
18. Non conveniunt DD. Catholici:
19. In modo explicandi, benè vero in substantia.

1. Status Controversiæ.

QUamvis duo præcedentia capita ita in Eucharistia realem corporis Domini præsentiam commonstrent, ut inde excludant substantiam panis; tamen cum hanc ibi permanere contendant Lutherani, post quosdam obscuri nominis discipulos Berengarii: illud nunc peculiari disputatione disquiram, an revera cum Christi corpore ac sanguine non solum *accidentia* persistant, verum etiam *substantia* elementorum, sive, quod idem est, admittenda num sit asserta à Catholicis *Transubstantiatio*. In titulo autem quæstionis *Consubstantiationem;* & *Impanationem* commemoravi, propterea, quod non eodem tramite incedunt hostes: sed quidam cum Osiandro commenti sunt inter panem & corpus Christi ineffabilem quamdam, & *hypostaticam* unionem, qualis est inter naturam humanam & *hypostasim* divini Verbi, & quam solent appellare *Impanationem:* quidam tenent substantiam panis ita corpori Dominico sociari, ut conjungantur utique, sed absque vinculo substantialis & *hypostaticæ* unionis, quam sententiam sequitur Lutheranorum major numerus: atque horum dogma *Consubstantiationem* vocitamus. Nos ergo totam substantiam panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Domini transmutari defendimus: quod licet constet ex dictis, proximo nihilominus theoremate confirmamus.

2. Catholica veritas firmatur I. ex Evangelio.

PROP. In Eucharistia non manet panis vinique *substantia*, sed vi consecrationis in *substantiam* corporis, & sanguinis Christi convertitur.

Id enim sequentia momenta manifesto evincunt. I. Christus Eucharistiam consecrans ait: *Hoc est corpus meum*, corporis duntaxat, non panis mentionem faciens; non enim pronomen *Hoc* ad panem potest referri, cum illud sit neutrius generis. Qua ergo ratione persuadebunt nobis Lutherani, in illa enuntiatione panis substantiam comprehendi? Præterea propositio illa *effectrix* est, quandoquidem inducit, fatentibus Lutheranis, corporis Christi præsentiam: at non significat eadem propositio corpus Christi poni *cum pane*, aut *in*, aut *sub pane*; quippe non ait Salvator, *In hoc*, aut, *Cum hoc*, aut, *Sub hoc pane est corpus meum*, sed, *Hoc est corpus meum;* denotat ergo ita poni corpus Christi, ut desinat esse substantia panis. Rursus ex quo duo aut sint unita, aut simul existant, aut unum sit in altero, non sequitur, quod unum de alio queat enuntiari, præsertim si ambo substantia sint, atque in suo genere disparata. Neque enim dicimus, *Anima est corpus*, *Deus est mundus*, *Pictura est paries*; licet anima uniatur corpori, licet Deus in mundo sit, licet pictura adhæreat parieti. Igitur neque per unionem, neque per inhærentiam, neque per intimam penetrationem Dominici corporis potest de substantia panis verè enuntiari, *Hoc est corpus meum.* Deinde fatetur Lutherus *vere* ac *substantialiter* manducari à nobis Christi carnem, cum proprie accipienda sint ea Christi verba, *Caro mea verè est cibus;* per solam autem unionem substantiæ panis ad substantiam corporis & carnis Christi, nisi sit unio *hypostatica*, non consequitur eandem carnem vere manducari; quemadmodum, inquit Estius in dist. XI. §. 1. non sequeretur, Filium DEI passum, crucifixum, ac mortuum esse,

si

si homo ille, qui passus, crucifixus, ac mortuus est, fuisset filio Dei sola *morali*, ut ajebat Nestorius, unione conjunctus. Quod si unio admittatur inter panem & corpus Christi *hypostatica*, quanta non consequuntur absurda! Consequitur divinum Verbum assumere in unionem *personæ* irrationalem substantiam, &(quod neque in mysterio contigit Incarnationis) substantiam præditam præexistentia sua, idque non semel, sed unaquaque die sæpenumero; ut mittam consectaria omnia regularum communicationis idiomatum, de quibus lib. XXVII. cap. I. Demum à Luthero, qui sæpe monet verba institutionis Cœnæ accipienda esse *juxta nudam Grammaticæ intelligentiam*, ne adversariis tribuatur occasio eludendi Scripturas, illud peto, In hac propositione, *Hoc est corpus meum*, ubinam panis commemoratur? Si quando legimus, *Accepit Jesus panem*, intelligere debemus panem *solum*; cur quando dixit, *Hoc est corpus meum*, non debemus intelligere *solum* corpus? Quibus vocabulis potius, quam istis, absque fuco, & ambiguitate orationis explicare posset idem hæresiarcha *transsubstantiationem* à Catholicis propugnatam? Verum de priori momento hactenus. II. Quoniam inter nos ac Lutheranos convenire non potest; necessum est ad Judicem aliquem appellemus, atque ad Ecclesiam universam in Conciliis Oecumenicis congregatam, maxime quod adversarii nec patiuntur judicium aut Calvini, aut Zuvinglii, aut cujuspiam è Sacramentariorum factione; illi autem pars sunt litigantium, ac nullam in propria causa habent auctoritatem. In Concilio itaque Lateranensi IV. celebrato anno 1215. sub Innocentio III. capite *Firmiter*, definitur contineri in Eucharistia corpus, ac sanguinem Domini sub speciebus panis & vini *transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate divina.* Tridentinum vero sess. XIII. cap. IV. ad hunc loquitur modum: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus: quæ conversio convenienter & proprie à sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata.* Scio respondere hæreticos, inauditum *transsubstantiationis* dogma ante memoratam synodum Lateranensem: at præstat paucis responsionem istam excutere. Principio non tantum dogma, sed & *Transsubstantiationis* vocabulum expressum legitur apud Petrum Blesensem epist. 140. Floruit autem Petrus tempore Alexandri III. obiitque circa exitum sæculi duodecimi: adinvenitur eadem vox in Tract. de Sacram. Altaris circa idem tempus conscripto à Stephano Episcopo Eduensi, cap. 13. non non in Confessione Albigensium, cujus meminit in literis datis anno 1160. Petrus tituli S. Chrysogoni Cardinalis, apud Baronium eodem an num. 28. Atque hæc Tournelius pag. 125. aliique observarunt. Deinde XI. sæculo Berengarius fatebatur omnes fideles, quos *vulgi insanientis* nomine traducebat, transsubstantiationis dogma tenere, idemque ipse ad meliorem redactus frugem professus est: ex quo *conficitur*, inquit Præf. 2. in sæculum VI. Benedict. Cl. Mabillonius, *falli heterodoxos plerosque, qui novum in Ecclesia Transsubstantiationis dogma esse, nec ante Concilium Lateranense sub Innoc. III. inventum contendunt.* Præterea Philippus Mornæus in *Myst. iniquitatis* pag. 111. de temporibus Caroli Magni, & Adriani Pontificis scribit, *Transsubstantiatio jam exerebat caput:* quem locum exagitans Coquæus noster in Antimorn. 6 pag. 386. *Miror*, inquit, *qui scribat Transsubstantiationem jam tum exeruisse caput, cum ita scribat Calvinus lib. V. Instit. cap. 17. n. 15. Bernardi quidem ætate (nimirum quadringentos post annos) etsi durior invaluerat loquendi ratio, Transsubstantiatio tamen nondum agnita erat. Quomodo tantus discipulus discedit à tanto magistro? Si Satanas Satanam ejicit, ait Dominus Matth. XII. adversus se divisus est. Quomodo ergo stabit regnum ejus?* Qua ratione tandem fieri potuit, ut anno 1215. Episcopi circiter CCXII. Primates, ac Metropolitæ LXXI. Regum, ac Principum omnium Oratores, Religiosi viri in dignitate constituti supra DCCC. ac tantus Theologorum numerus, ut Synodus illa antonomastice appelletur *Magna*, nullo renitente probarit dogma, quod, si hæreticos audiamus, novum erat, ignotum majoribus, inducebatque idololatriam in universum Christianum orbem? III. Verum, ut mittamus disputationem de nomine, quæ prorsus vana est, cum quælibet hæresis compulerit Patres ad intrudenda nova vocabula, ut diximus præced. Volum. pag. 8. aliisque in locis; id, quod nos intelligimus *Transsubstantiationis* nomine, conversionem scilicet substantiæ panis in substantiam corporis Christi, illud idem unanimi consensu tradiderunt Latini;

8.
II. Ex Authoritate Ecclesiæ, tanquam hoc in puncto legitimi Judicis.

4.
III. Ex Consensu PP. Græcorum & Latinorum.

tini, Græcique Patres. Quid est enim acceptum panem *facere corpus Domini*, panem sanctificatum *in corpus Dei Verbi transsmutare*. id quod est in calice *converti in illud, quod fluxit de Christi latere*; quid, inquam, istud est, nisi quod nos *Transsubstantiationis* nomine designamus? Hæc vero tradidisse Patres superiori capite demonstravimus. Nec aliud sane evincunt rationes, quibus iidem Patres veritatem corporis Christi suadere conantur; veluti, dum inquiunt verbo Dei immutari naturas rerum, & quemadmodum Christus aquam convertit in vinum, ita vinum in sanguinem suum convertisse. Huc spectant hortationes illæ frequentissimæ, ut sine hæsitatione credamus panem post consecrationem non esse panem, sed mutari naturas elementorum, quid-

IV. Ex ipsa Novatorum Doctrina.

quid nobis sensus exhibeant. IV. At cum hæc ex testimoniis supra productis sint apertissima, tentant fucum facere Novatores Græcorum verborum proprietate, asserentes in Orientalium scriptis hæc tantum occurrere, μεταβάλλειν, μεταρρυθμίζειν, μεταποιεῖν, μεταβαίνειν, μεταστοιχειοῦν, quæ *mutationem* quidem denotant, non autem μετουσίωσιν, *transsubstantiationem*. Cæterum videant, quam imperite ratiocinentur. Concedunt reipsa mutationem & conversionem aliquam fieri. At hæc mutatio non fit, ut constat, *in accidentibus, ac speciebus*: fit igitur in *substantia*. Norunt deinde Grammatici μεταβάλλειν, non esse tantum, *transire*, aut *invertere*, sed etiam *contrariam qualitatem contrahere*, apud Aristot. 6. de Animal. *cibum concoquere*, & vertere in substantiam aliti, apud Alex. Aphrod. in præf. lib. 1. problemat. ac *degenerare de una specie in aliam;* apud Henricum Stephanum, & Budæum: quod de aliis præcitatis verbis docent universa Græcorum Lexica. Patres deinde Græci non scribunt solum, *panen converti*, sed εἰς σῶμα τὸ θεῖ λόγε μεταποιεῖσθαι, ita transmutari, *ut ex pane fiat corpus Verbi Dei*, quemadmodum ait Nyssenus cap. 37. orat. Catecheticæ, atque, ut addit proximo capite, *Transelementata in idem corpus eorum, quæ apparent, natura*, Πρὸς ἐκεῖνο μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν, tom. 2. pag. 537. Addit Cyrillus Catech. IV. pag. 532. ita mutationem hanc fieri, ut pro certo habendum sit, ὡς ὁ φαινόμενος ἄρτος οὐκ ἄρτος ἐστὶν, *panem, qui videtur, non esse panem*; quæ absque *transsubstantiatione* à nobis propugnata nequeunt consistere. Insuper Withembergenses donantes latinitate Censuram Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani, in qua legitur, ἄρτος μεταβάλλεται εἰς αὐτὸ σῶμα τὸ τῦ Χριστῦ, *Panis mutatur in ipsum corpus Christi*, hoc vocabulum è regione Græci textus apposuere, Μετουσίωσις, atque ex alia parte Latinum, *Transsubstantiatio:* ideoque nullum inter μεταβάλλομαι, ac *transsubstantiari*, agnoverunt ipsi Lutherani discrimen. Quid plura? Etiam vocabulum μετουσίωσις, frequentissime legitur in Apologia Gabrielis Philadelphiensis: in qua pag. 15. de symbolis legitur, πρὸ τε μετουσιωθῆναι, *priusquam transsubstantientur*, & pag 19. ἄλλο ἅγιος ἄρτος καὶ θεῖος, καὶ ἄλλο μετουσιώμενος ἄρτος καὶ θεῖος. Πᾶς μὲν γὰρ μετουσιώμενος ἄρτος καὶ θεῖος ἐστὶν ἅγιος, καὶ τέλειος, καὶ σάρξ Χριστῦ, *Aliud est panis sanctus, & vinum, & aliud panis transsubstantiatus, ac vinum; omnis panis cum vino transsubstantiatus est sanctus, perfectus, & caro Christi.* Habes ergo in scriptis Græcorum *Transsubstantiationis* dogma & vocabulum. Quamquam autem Gabriel est cæteris junior (quod forte reponent hæretici versutissimi) exposuisse tamen illum communem Orientalium fidem testati sunt Dionysius Protosyncellus, & Georgius Coresius Chius: neque unum invenies ex Græcis, qui huic adversetur, si excipias Cyrillum Lucarim, apostatam hominem, fideique patriæ desertorem, & quem damnatum à suis confugisse ad castra Calvinistarum, narrant Allatius lib. 3. de Eccles. Occident. & Oriental. Eccl. Arnaldus in sua ad Claudium Responsione, atque in notis ad Apologiam Gabrielis Riccardus Simon. Itaque refelluntur Lutherani Latinorum, Græcorumque perantiqua traditione, firmissimoque consensu.

V. Ex aliorum hæreticorum sententia de hoc puncto.

V. Tanta præterea est perversi dogmatis absurditas, ut nullum apud alterius factionis homines invenerit patrocinium. Etenim Johannes Hus apud Pezibramum inquit: *Christus verbi sui ineffabili virtute panem & vinum transsubstantiat in proprium carnem, & sanguinem*; & in Carmine de cœna Domini apud Jodocum Hockerium sic legitur:

Ave deitatis forma
Dei unionis norma;
In te quisque delectatur,
Qui de fide speculatur.
Non es panis, sed es Deus
Homo, Liberator meus,
Qui in cruce pependisti,
Et in carne defecisti.

Hiero-

Hieronymus quoque Pragensis interrogatus de pane post consecrationem, an maneat, teste Poggio Florentino in Epistola ad Leonem Arretinum. respondit *apud Pistorem remanere panem.* Ita ergo censent, qui ante Lutheri apostasiam vexarunt Ecclesiam, perditissimi Hussitæ. Quid vero hæretici post Lutherum exorti? Zacharias Ursinus Hidelbergensis in Miscell. catech. 7. *Lutherani*, inquit, *accusant Christum mendacii: negant enim panem esse ipsius corpus, sed dicunt corpus esse in pane: videant igitur, quomodo in extremo judicio de hac blasphemia & calumnia sint Christo responsuri. Papistæ magis retinent verba Christi.* Zuvinglius in epist. ad Joannem Bugenhagium querebatur, *non posse Antichristum profligari, nisi & errore consubstantiationis profligato* Consensus, ut dicitur, Orthodoxorum Sacram. § *Ut vero*, ta loquitur: *Quam multum consubstantiationis error transsubstantiationi præstet, nemo facile dixerit: absurdiorem certe esse, & à Christi verbis alieniorem Theologi Scholastici, homines acutissimi observarunt.* Scharpius in Cursu Theolog. art. de S. Cœna cap. de Consubstant. *Jam*, ait, *de consubstantiatione dicendum erit, quæ hæresis antiqua est, quam Lutherus secutus est, &c.* Plura vide in Conversione Joannis Georgii Rat. 36. cap. 5. & apud Lindanum in Apolog. Relig. Catholicæ.

VI. Ex propria Adversantium confessione.

VI. Talis denique est causa, pro qua pugnamus, ut nec ipsos Lutheranos judices formidemus. Idem namque Lutherus in libro de Abroganda missa fol. 253. scripsit, *Christum Dominum verbo virtutis suæ panem in corpus suum mutasse.* In Confessione magna de Cœna Domini commendat Nicolaum Papam, quod Berengarium adegerit ad palinodiam, ibique se cum Pontificiis sentire testatur: ac pariter in Confess. minori affirmat se tenere de Cœna sententiam, quam Ecclesia semper servavit sub ipso quoque Papatu; sunt quippe ejus verba: *Sic Papistæ docent, imo non Papistæ, sed sancta Christiana Ecclesia, & nos cum ipsis.* Damnarunt propterea Lutherum tanquam nobis consententientem præcitatus Consensus Orthodoxorum, Beza ad 1. partem libri Brentii, Wolfangus Musculus in Epist ad Martinum Bucerum, aliique apud Scultetum in 2 decade Annalium. Confessio Augustana, ut anno MDXXX. oblata fuit in Comitiis Augustæ Carolo V. articulum x. ad hunc modum exhibuit: *De cœna Domini docent, quod corpus & sanguis Christi vere adsint, & distribuantur vescentibus in cœna Domini, & improbant secus docentes.* Ubi, etsi aperte non tradatur *transsubstantiatio*, nulla tamen substantiæ panis fit mentio, quam fecissent utique Confessionis auctores, modo in re tanti momenti noluissent invictissimum Imperatorem, & Catholicos Principes latente perfidia decipere. Atque idcirco ad articulum illum decimum ita rescriptum est, *Decimus articulus in verbis nihil offendit:* quod Lutherani quidam audacissimi, cum obmutescere deberent, nobis objiciunt, pro genuino illo articulo obtrudentes Confessionem vitiatam anno MDXL. in qua legitur: *De cœna Domini docent, quod cum pane & vino vere exhibeantur corpus & sanguinis Christi vescentibus in cœna Domini.* Indignatur Catholicis Philippus Melanchthon in Apolog. art. 2. quod hunc articulum decimum ex Germanico exemplari exhibito Augustanis Comitiis non repetant. At exemplar Germanicum cohæret magis cum doctrina Catholica, utpote quod non commemorat *substantiam* panis & vini, sed tantummodo *species:* nam, ut recitatur à Valentino Erithræo Lutherano ad annum MDLXV. adversus Sacramentarios, idem articulus in autographo Germanico sic legitur: **Von dem abendmal des Herren wird also gheleret, das warer leib vnd blut Christi warhafftiglich vnder gheſtalt des brodts vnd Weins im abendmal gegenwertig sey, vnd da auſs geteylet und genomen wirdt.** Latine; *De cœna Domini docent, verum Christi corpus, & sanguinem vere sub specie panis & vini in cœna esse præsens, in eademque distribui & accipi.* Huic ad verbum respondet Confessio Augustana, versa in linguam Belgicam ac typis cusa Wesaliæ anno 1563. Ajebat proinde Marcus Tilmannus Heshusius inter Lutheranos percelebris, periculose Protestantes adstringi ad Confessionem Augustanam, quam cum sua Apologia appellabat *humanum scriptum*, corrigendum, & doctrinâ contaminatum. Vide Lindanum tom. 2. Apologetici pag. edit. Plantinianæ 95. Ipse demum Melanchthon Confessionis & Apologiæ auctor, ac signifer Lutheranorum, anno 1530. edidit librum adversus Oecolampadium, ubi accumulavit veterum Patrum testimonia, quibus expresse asseritur conversio substantiæ panis in corpus Christi. Profert hæc verba Chrysostomi, *Non est figura tantum & exemplar quoddam Dominici corporis panis, sed in illum convertitur corpus*

Christi: hæc alia Cypriani, *Panis iste non effigie, sed natura mutatus omnipotentia factus est caro*; multa denique Ambrosii, quibus productis ait: *Hæc tam longa recitatio exemplorum ostendit auctorem sensisse, panem non esse tantum signum, sed naturam panis mutari.* Talia Melanchthon. Nullus itaque error, hæresis nulla detestabilior est, simulque improbabilior hac *de Consubstantiatione*, sive *de Impanatione:* quam prædamnavit Christus Eucharistiam instituens, præfocarunt Ecclesiæ Patres, anathematizarunt plenariæ Synodi, refutarunt Occidentales & Orientales consensu unanimi, exosam habuerunt prædecessores Lutheri, oppugnarunt aliæ Novatorum sectæ, tradidit sibi ipsi repugnans Apostata Islebiensis, confixit, aut saltem probrose occuluit Augustana Confessio, hujusque apologista olim rejecit, ac profligavit: quæ omnia sunt à nobis evidentissime commonstrata.

Ad ea, quae objiciuntur, responsio.

8. Objectio prima ex S. Scriptura.

Opponunt autem hæretici: Ex Scripturis eruitur potius dogma Lutheranorum. Enimvero Eucharistia appellatur *Panis*, Lucæ XXIV. 35. & in 1. ad Corinth. X. 16. & XI. 26. 28. ideoque in illa remanet panis *substantia*. Præterea ex verbis Domini, *Hoc est corpus meum*, male inferunt Catholici *transsubstantiationem*. Nam idem Dominus Joan. VI. 51. inquit: *Ego sum panis.* At cum ait, *Ego sum panis*, non se mutavit in panem; dicens ergo, *Hoc est corpus meum*, non transmutavit panem in corpus suum. Atque hoc argumentum urgebat Petrus Martyr in libro contra Gardinerum num. 13. Insuper salvatur veritas hujus propositionis, *Verbum caro factum est*, per unionem humanæ, divinæque naturæ: igitur & constabit veritas alterius, *Hoc est corpus meum*, per unitionem utriusque substantiæ. Ad hæc, inquiunt communiter Lutherani, de ferro, quod pervaserit ignis, recte dicimus, *Hic est ignis*, & de dolio, quod vino sit plenum, *Hoc est vinum*, nulla facta aut in ferro, aut in dolio mutatione substantiæ. Cur ergo substantiæ mutationem inferendam esse arbitramur ex enuntiatione illa consimili, *Hoc est corpus meum?*

9. Nullius momenti esse ostenditur.

Resp. hæc nullius esse momenti. Cur enim Eucharistia appelletur *Panis*, expliicatum est priori Regula capitis præcedentis. Quod sequitur est Petri martyris argutum cavillulum: nam Lutherani in iis verbis, *Ego sum panis*, agnoscunt metaphoram, quam negant in verbis Cœnæ, propterea quod non absolute Christus appellavit se ipsum *panem*, sed *panem vitæ*, id est comparate ad manna, de quo eo loci fit sermo: quod Salomon Glassius lib. v. Philolog. sacræ tract. 1. cap. 11. contendit esse *metaphoræ signum evidens.* Deinde retorquetur illa argumentatio adversus heterodoxos. Enimvero propositiones à Christo enuntiatæ, cum ipse sit infallibilis veritas, aut veritatem supponunt, aut efficiunt. Hæc propositio, *Ego sum panis vivus*, supponit Dominum Jesum esse panem supersubstantialem, quo fruuntur Angeli, ideoque id hæc enuntiatio non efficit. Igitur propositio ista, *Hoc est corpus meum*, cum non præsupponat realem corporis Christi præsentiam, illam efficiat necessum est. Si autem Deus facit, ut *Hoc*, quod erat panis, sit corpus Christi, jam desinit esse substantia panis, & actio illa recte dicitur *transsubstantiatio.* Vide, si hæc minus placeant, responsionem aliam Bellarmini lib. 3. de Euch. cap. 24. Proximum sic diluitur: In ea propositione, *Verbum caro factum est*, Verbum *subjecti* locum tenet, ideoque ipsum Verbum factum est caro assumptione humanitatis in Deum: at in ista, *Hoc est corpus meum*, corpus non est *subjectum*, & consequenter non est id, quod fit per unionem panis ad corpus. Probaret aliquid argumentum, si quemadmodum dictum est, *Verbum factum est caro*, ita dictum esset, *Corpus meum factum est panis:* at neque hanc loquendi formam adhibuit Christus, nec panem omnino nominavit, sed nude ac demonstrative inquit, *Hoc est corpus meum.* Jure in adversarios hoc idem argumentum intorquet Estius dist. XI. §. 1. Do insuper aliam expeditissimam responsionem. Ne suspicemur conversionem naturarum in illa enuntiatione, *Verbum caro factum est*, facit & immutabilitas divinæ naturæ, & quod immediate subjicitur, scilicet, *Et habitavit in nobis:* quibus verbis commonstrari divinæ, humanæque uaturæ distinctionem, ostendi ratione & auctoritate disputans adversus Eutychianos lib. XXVI. cap. 18. In casu autem nostro neutrum habetur; quoniam neque panis substantia immutabilis est, neque subjiciuntur verba, ex quibus inferri possit eam permanere. Ad exempla adducta postremo loco hæc sit responsio. Docent Rhetorici, atque inter hos Glassius Lutheranus præcitat. tractatu 1. cap. 17. ubi

ubi agit *de synecdoche partis*, unam rem enuntiari de alia, aut partem usurpari pro toto ex consuetudinario sermone, hominumque instituto, quando vel est pars essentialis, quo sensu *anima* accipitur pro toto homine: vel pars integralis, quo sensu *caro* idem est, quod corpus: vel pars rei aggregatione compactæ, quo sensu *murus* idem sonat, ac civitas; vel qualitas inhærens, aut res contenta, quo sensu *urbs* significat populum, *lux* solem, *domus* familiam. Quadrant hæc quidem in exempla producta, sed non in verba Cœnæ, *Hoc est corpus meum;* siquidem nulla hominum institutione, nulloque usu sermonis hoc vocabulum *Corpus* designat partem aliquam, vel accidens inhærens pani, sed substantiam omnino disparatam, ac subsistentem. Addo Schlusserbergium Lutheranum fateri verba Christi tam clara esse, *ut nullus Angelus è cœlis, nullus homo in terris possit clarius loqui;* ideoque nullam in illis traslationem debemus excogitare.

10. Altera ex opinione antiquiorum Scholasticorum.

Opp. 2. Antiquiores Scholastici tradiderunt ex Scripturis non posse *transsubstantiationem* invicte probari. Ita Ochamus in IV. q. 6. Scotus, Paludanus, Argentinas, aliique in IV. dist. XI. Ipse Bellarminus lib. 3. de Euch. cap. 23. de Scoto hæc ait: *Dicit non extare locum ullum Scripturæ tam expressum, ut sine Ecclesiæ declaratione evidenter cogat transsubstantiationem admittere. Atque id non est omnino improbabile.* Similia Franciscus Suarez tom. 3. in 3. p. disput. 49. sect. 2. Durandus autem in IV. dist. XI. q. 3. aperte negat *materiam* panis transsubstantiari, atque in sola *forma* agnoscit conversionem: quamobrem graviter reprehenditur à Bellarmino in præcitato lib. cap. 13. atque ab Honorato Tournely q. 3. art. 2. Non sunt ergo verba Scripturæ tam aperta, ut invicte *transsubstantiationem* commonstrent.

11. Nec tangit punctum controversiæ, nec quadrat Doctrinæ AA.

Resp. Hoc unum velle acutos illos disputatores, quod spreta omnino Ecclesiæ Catholicæ auctoritate nullum sit Scripturæ testimonium, quod non possit in pravum sensum torqueri; & istud maxime, *Hoc est corpus meum*, talis esse generis, si hæc verba nude accepta philosophicis altercationibus subjiciantur. Quod utique Scholasticorum judicium confirmant Lutheri, Calvini, & Zuvinglii de iisdem verbis oppositæ, & nullatenus ad concordiam revocandæ sententiæ. Nos autem etiam auctoritate Ecclesiæ præcisa, sive non spectatis de *transsubstantiatione* decretis, arbitramur Lutheranos eodem Scripturæ testimonio refelli, quoniam accipiendum est, ipsis quoque fatentibus, in sensu obvio, planissimo, & quem verba præseferunt. Talis autem sensus est, id, quod manibus Christus ferebat, post ipsorum verborum pronuntiationem, *corpus* esse, non *panem*. Nihil proinde ad nos attinet quorumdam disputantium opinio de sensu, qui possit Dominicis verbis aptari; quando adversarii nos provocant ad planum, & literalem. Verumtamen ego non Scholasticos Lutheranis opponam, etsi opponere possem sanctum Thomam q. 75. art. 2. aliosque sexcentos, sed Claudium Salmasium hæc adversus Grotium pag. 516. pronuntiantem: *Si ad literam accipiantur verba Christi, ut debere accipi contendunt doctissimi Lutherani Theologi, longe magis doctrinæ Pontificiorum favent, quam Lutheranæ. Dixit Christus, Hoc est copus meum, cum panem traderet. Ergo non amplius panis est, sed corpus Christi, ut ille, qui veritas est, affirmavit.* Durandus, ut in oppositione dictum est, refutatur à doctis viris: & quidem jure, meritoque; nam si permaneat *materia* panis, remanet etiam *subjectum accidentium*, quod damnatum est sess. VIII. Concil. Constant. neque fit in Eucharistia mutatio *totius substantiæ panis*, quod repugnat Tridentino sess. XIII. cap. 4. can. 2. Attamen, ut nec Durandum vellicem, dico nomine *materiei* intellexisse quantitatem, in sententia Peripateticorum à substantia distinctam, siquidem eadem dist. XI. quæst. 1. scribit: *Substantia panis & vini convertuntur in substantiam corporis Christi*, quibus verbis *transsubstantiationem* profitetur; additque statim: *Mediante tali conversione corpus & sanguis Christi virtute divina habent talem ordinem, seu habitudinem ad species, sub quibus fuerunt panis & vinum;* quibus videtur asserere, quod existant absque proprio subjecto *species*, & accidentia.

12. 3tia ex Novitate vocabuli.

Opp. 3. Inauditum fuit ante Lateranensem IV. synodum vocabulum *Transsubstantiationis*. Consensu autem Pontificiorum fides catholica novis revelationibus nequit inniti, ut docent S. Thomas 1. p. q. 1. art. 8. Canus lib. 2. de Locis cap. 1. ac Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 9. Fluxa ergo est fides *transsubstantiationis* ante XIII. sæculum prorsus ignotæ.

13. Non obest rei.

Resp. hoc argumentum Hornæji lib. 2. Theol. cap. 3. num. 167. puerilem esse lusionem,

lusionem, & à vocabulo ad rem vitiosum transitum. Quod spectat ad nomen, (quamvis longe ante synodum Laterani *transsubstantiatio* nominata sit, ut supra ostendimus) recte nova vocabula usurpari ad novos errores eliminandos, evincunt voces ὁμούσιος, & θεοτόκος, quarum primam Nicæna, alteram Ephesina Synodus consecravit. Quantum vero attinet ad dogma; id, quod nos explicamus *transsubstantiationis* vocabulo, significarunt Veteres nomine *conversionis*, *mutationis*, atque *transelementationis*, ut constat illorum testimonia pervolutanti. Imo si antiquorum aliquis subobscure, ac etiam falso, non explorata traditione, aut nondum latis ab Ecclesia definitionibus, dogma istud exposuisset; non idem dicendum foret, posteaquam Ecclesia in Spiritu sancto congregata diligentius veritatem investigavit, & manifestius tenendam, credendamque proposuit. Id namque utilitatis & commodi nobis hæreses contulerunt, ut quod nullo contradicente securi tradiderunt majores nostri, contranitente hæreticorum petulantia, quasi vento nubes difflante, planum modo sit, & meridiano sole splendidius.

14. 4ta ex Doctrina PP.

Ob. 4. At summi in Ecclesia Doctores docuerunt permanere cum Domini corpore *substantiam panis*. Enimvero S. Joannes Chrysostomus in Epistola ad Cæsarium Monachum refutans hæresim Apollinarii, & Synousiastarum asserentium in Christo *admirandam commixtionem, qua Deus & homo effecti sint una eademque natura*, ut inquit Ephræmius Antiochenus apud Photium cod. 229. demonstrat unum filium, & unum Dominum habere unitarum naturarum dominationem, & potestatem, etiamsi naturæ non consubstantiales existant, & unaquæque servet proprietatem suam incommixtam, atque ad hoc ostendendum utitur exemplo Eucharistiæ: *Sicut*, inquit, *antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed unum corpus filii prædicatur: sic & hic divina inundante corpori natura, unum filium, unam personam, utraque hæc fecerunt.* Expende quæso ea verba, *Etiamsi natura panis in ipso permansit*, Græce, Εἰ καὶ ἡ φύσις ἄρτου ἐν αὐτῷ διέμεινε. II. Theodoretus Dialogo 2. qui inscribitur *Inconfusus*, pariter inquit: *Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt à sua natura; manent enim in priori substantia, & figura, & forma, & videri, tangique possunt, sicut & prius.* Hic non tantum legitur symbola, id est panem, & vinum, οὐκ τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως, *à propria non recedere natura*, sed etiam, *manere in priori substantia*, ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας. III. Gelasius Papa in libro de duabus naturis in Christo adversus Eutychem, *Certa*, inquit, *sacramenta, quæ sumimus corporis, & sanguinis Christi, divina res est; propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ: & tamen esse non desinit substantia, vel natura panis & vini.* IV. Berengarius in Confessione approbata à Concilio Romano VI. anno 1079. & quæ extat de Consecrat. dist. 2. cap. *Ego Berengarius*, ait auctoritate Evangelica, & Apostolica traditione tenendum esse, *panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter non solum sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.* Duo sunt itaque in Eucharistia, panis & vinum, id est, sacramentum, sive signum sensibile, & corpus ac sanguis Domini.

15. In sensu debito explicatur.

Resp. Chrysostomum nomine φύσεος, *naturæ*, intelligere *species*, & accidentium complexionem, non *substantiam* proprie dictam: primo, quia negat post consecrationem locum habere veram appellationem panis: deinde, quia docet non duo corpora, sed unum prædicari; enuntiarentur autem duo, non unum, si coexisterent substantia panis, & corpus Christi: insuper quia affirmat naturam panis permanere *in ipso* pane, quod profecto nequit intelligi, nisi de accidentibus, quibus natura panis vestitur, cum ineptissima sit hæc locutio, *Natura panis in pane remanet.* Neque insolitum est apud Patres, congeriem omnium accidentium, quæ rem aliquam secernunt ab alia, nomine φύσεως, & οὐσίας insigniri. Nam Anastasius in Ὁδηγῷ definit φύσιν, quasi sit μορφὴ τῶν ὄντων, *forma & qualitas rerum existentium.* Ac Theodoretus Dialogo 2. de humore, & fluiditate, quæ sunt qualitates materiæ, ait, τὰς ἀγχιςδιούσας φύσεις ὑπομεῖναι, *affines naturas misceri.* Consentiunt Latini, inter quos Hilarius can. x. in Matth. scribit, *Corpus per fidem mortificatum in naturam animæ evadit*, & Ambrosius in Hexameron lib. III. cap. 2. & de myst. cap. 9. affirmat *naturas fuisse mutatas*,

mutatas, quando è petra aqua fluxit, & ferrum aquæ supernatavit, & quando Jordanis conversus *contra naturam*, reversus est *in sui fontis exordium*. Plura exempla affert Harduinus de Sacram. Alt. cap. 3. & 4. Nil ergo mirum, si Chrysostomus vocem φύσεως adhibuit ad significandam accidentium panis glutinationem. Id quidem scite admodum fecit, comprobans unitatem *Personæ*, quæ naturam assumpsit humanam, comparatione unitatis corporis Christi, quod existit sub panis proprietatibus ac *speciebus*. Atque hoc argumenti genus erat idoneum, aptissimumque ad refellendos Synousiastas, *progenitores*, ut appellantur à Facundo Hermianensi, *Eutychianæ dementiæ*; siquidem illi ita Verbum factum carnem affirmabant, ut proprietates carnis perierint, & Verbum non solum in divinitate, verum etiam in carne factum fuerit Patri consubstantiale. Quod si Chrysostomus affirmasset remanere cum Christi corpore *substantiam panis*, catholicam potius fidem prodidisset, quam propugnasset: recte namque ex præmissa ratiocinatione intulissent hæretici, non esse *unam personam* Dominum Jesum, quemadmodum non sunt *corpus unum* caro ejus & panis substantia. Atque ita Chrysostomus Apollinaristas oppugnans præcinuisset Nestorianis. Necessum demum non est, ut exempla, quæ producuntur, conveniant rei, de qua agitur, undequaque: stultumque est hæsitare de fide Chrysostomi, qui Homilia 24. in primam ad Corinthios, atque aliis in locis compluribus disertissime docet non panem, sed *corpus Domini, & sanguinem, qui de ejus latere fluxit*, distribui nobis in Eucharistia. Idem nunc, quod ad Chrysostomum, ad Theodoretum respondeo: quid enim is intelligat *substantiæ* nomine, explicat ipsemet dicens, *Illud ergo corpus priorem habet formam, figuram, & circumscriptionem*, Καὶ γὰρ ἐκεῖνο τὸ σῶμα τὸ μὲν πρότερον εἶδος ἔχει, καὶ χῆμα, καὶ περιγραφήν. Docet etiam eo loci *transsubstantiationem*, scribens de sacris symbolis, *Alia quidem sunt ante sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur, & alia fiunt*, ἄλλα μὲν ἐστι πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως, μετὰ δὲ τὴν ἐπίκλησιν μεταβάλλεται, καὶ ἕτερα γίνεται. Explicandus est igitur Theodoretus de accidentibus panis; præsertim ubi instituit disputationem inter Eranistem, & Orthodoxum de forma, & circumscriptione Dominici corporis. Cum enim Eranistes fateretur *transmutari panem in corpus Christi*, atque inde inferret etiam corpus Domini in aliam naturam transiisse; illud verum esse Theodoretus affirmans, Atqui, ait, etiam in symbolis mysticis remanent figura, circumscriptio, & aliæ corporis qualitates; igitur etiam corpus Domini post resurrectionem, licet immortalitate donatum, priorem tamen retinet circumscriptionem ac formam. Etenim hoc, ut dixi, cum Eranista disceptabatur, an corpus Christi priores adhuc habeat proprietates. Nec silentio prætereundum est, visum Magdeburgensibus Centur. v. cap. 4. hoc ipso in loco Theodoretum *confirmare transsubstantiationem*, quamvis hunc Dialogum audacter rejecerint inter stipulas quinti sæculi. Corruit eadem responsione, quod opponitur ex libro Gelasii, tametsi hunc suppositititium aliqui suspicentur cum Baronio ad an. 496. & Cano lib. 6. de Locis cap. ult. in resp. ad 9. Gelasii enim scopus est demonstrare, quod sicuti revera panis mutatur in substantiam corporis Christi, panis proprietatibus permanentibus; ita Verbum carnem assumpserit perseverante carnis circumscriptione, cum hoc tamen discrimine, quod in actione sacrorum mysteriorum, remanet accidentium complexio, quam Gelasius appellat *naturam*, sed substantia panis mutatur in divinam substantiam, seu, quod eodem recidit, in substantiam corporis Christi: *Sicut*, inquit de pane & vino, *in divinam transeunt sancto Spiritu perficiente substantiam, permanente tamen in sua proprietate natura*; *sic iis, ex quibus constat, proprie permanentibus unum Christum integrum verumque permanere demonstrant*. Similia occurrunt apud Walafridum Strabonem de Rebus Eccl. cap. 16. quamvis is, quod sequiori ævo, quo vixit, indulgendum est, minus accurate solum *substantiæ* nomen usurpaverit. Vide Harduinum citato Opusculo de Sacram. Altaris cap. 8. Quod tandem additur de Confessione Berengarii, nullius est momenti: siquidem revera Christi corpus in Eucharistia frangitur, & atteritur, non ratione sui, sed *ratione specierum*, ut lib. IV. de Sacram. Altaris cap. 10. docet Innoc. III. & Hugo lib. 6. de Sacram. cap. 9. Notandum tamen est, quod in Confessione Berengarii edita Romæ in Concilio VI. Gregorii VII. anno 1079. non extant verba, quæ habentur in objectione. Sunt ea quidem in Confessione altera Berengarii facta in Romano Concilio anno 1059. sedente Nicolao II. &

ideo fuerunt appoſita, ut aperte præter ſacramentales ſpecies, quæ atteruntur dentibus, fieret mentio corporis Chriſti, quod vere ſub iiſdem ſpeciebus ſumitur, & comeditur. At in confeſſione altera anni 1079. ad quam Berengarium adegit S. Gregorius VII. aperte his verbis continetur transſubſtantiatio, *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis, & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter converti in veram & propriam, ac vivificatricem carnem, & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri, &c.* Negat utique Lucas d'Achery in notis ad Lanfrancum, emiſſam in Romana Synodo confeſſionem iſtam à Berengario; ſed oppoſitum conſtat ex authenticis Actis, & judicio clariſſimorum virorum, Lupi in VI. Concilium Gregorii VII. pag. 313. & Mabillonii in Analectis pag. 515. Addo in hujus veritatis confirmationem teſtimonium Hugonis Flaviniacenſis, qui floruit Berengarii tempore, & de laudata Gregorii VII. Synodo hæc habet in Chronico Virdun. pag. 214. *Denique Berengarius poſt longo tempore dogmatizatam impietatem erraſſe ſe coram Concilio confeſſus, veniam poſtulatam ex Apoſtolica clementia meruit, juravitque ſic.* Profert deinde Confeſſionem, de qua ſupra.

16. 5ta ex diſcurſu Philoſophico.

Oppones 5. Fieri non poteſt *transſubſtantiatio* panis in corpus Chriſti, ſi in Euchariſtia maneat panis. At panem permanere evincitur ex Ambroſio lib. IV. de Sacram. cap. 4. ita differente: *Si tanta vis fuit in ſermone Chriſti, ut inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius erit, ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur?* Ita Kemnitius. Adde etiam S. P. Auguſtinum aſſerere, quod in Euchariſtia permaneant *frumentum ac vinum*, lib. XVI. de Civ. Dei cap. 37.

17. Diſtinctione ſubſtantiæ *in genere*, & *in ſpecie*, ſalvatur.

Reſpondeo juxta Patres in Sacramento remanere panem & vinum *in genere*, & non *in ſpecie*, eo quod prior ſubſtantia non redigatur in nihilum, ſed perſiſtentibus accidentibus fiat corpus & ſanguis Chriſti. Subſtantiæ enim panis, vinique converſionem tradit eodem in loco Ambroſius ſcribens num. 14. *Panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorum: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti:* & num. 19. *Ergo didiciſti, quod ex pane corpus fiat Chriſti.* Similia Auguſtinus, de quo ſupra cap. VIII. mom. 3. Mirandum tamen, nunc hæreticos ad Ambroſium, & ad libros ipſi inſcriptos de Sacramentis, confugere: quos libros Henricus Bullingerus *ſtupidos* vocat, continentes *falſa & ridicula* editor Cocianæ Cenſuræ, & Opus *proletarium* Albertinus, qui tamen horum librorum auctorem à fol. 774. uſque ad 830. ad partes Sacramentariorum trahere conatur invitum, ac repugnantem. Illud etiam notandum eſt, in Romana editione, necnon in MSS. quibuſdam, quæ vidit Lanfrancus, ea verba, *Ut ſint quæ erant*, non reperiri, ſed legi, *Ut quæ erant in aliud commutentur:* de qua ſectione fruſtra Albertinus ipſi Lanfranco indignatur, quaſi textum contra fidem exemplarium vitiaverit; cum tamen nec Albertinus exemplaria omnia perlegerit, nec Lanfrancus omittat reſponſionem initio à nobis productam ſuppoſita loci, qui objicitur, germanitate.

Opp. ult. Qui *transſubſtantiationem* propugnant, non conveniunt, inquit Heideggerus in Vindiciis num. 4. illam explicando, *Dominicanis productivam, Franciſcanis vero in inſtanti adductivam mutationem urgentibus.* Addit Titius, olim cremari ſolitum, ut refert Heſychius, ſi quid panis conſecrati remanſiſſet, id vero futurum fuiſſe immane ſacrilegium, ſi fideles perſuaſi eſſent panem *transſubſtantiari.* Poſtremo, ait Ameſius in *Bellarmino enervato*, tolli omne ſignum externum & rationem ſacramenti, ſi deſit panis; nam ſpecies nihil aliud poſſunt ſignificare, quam id, cujus ſunt ſpecies, videlicet ipſum panem; ideoque ſi panis deeſt, ſpecies nihil omnino ſignificant. 18. Non conveniunt Doctores Catholici

Reſp. ad primum, ex illa ſcholarum controverſia nullum fidei generari præjudicium. Quid nos ſentiamus, colligi poteſt ex hactenus diſputatis. Omnipotentia Dei, quæ ſuperat modulum ingenii noſtri, mirabilem hanc mutationem operatur. Firmiſſime itaque ego teneo *transſubſtantiationem* fieri, & remanere *accidentia*, modum autem ignoro. Recte Baptiſta Mantuanus in VI. Faſtorum: 19. In modo explicandi, benè verò in ſubſtantia.

Num quæ panis erat, quæ vini eſſentia quondam,
Fecit, ut in Chriſti corpus, ſacrumque cruorem
Tranſierit ſubito, ſalvis utriuſque figuris.
Huc æterna ſuas tulit Omnipotentia vires,
Omnia quæ peragit, ſeu ſint ingentia, ſeu ſint
Parva: pari conatu illi ſunt omnia, quæ vult,
Obvia; perfacili, quæ vult habet omnia, nutu.

Quod

Quod sequitur facile diluitur: Hesychius enim lib. 2. in Levit. cap. 8. docet igni absumendas *species sacramentales*, quando corruptæ absque horrore manducari non possunt, ut recte observant Bellarminus lib. IV. de Euch. cap. 5 Cardinalis Perronius fol. 857. & in Vindiciis Bellarminianis Vitus Erbermannus. Atque id esse conforme Ecclesiasticis definitionibus, dicemus infra. Ad ultimum dico permanere in Eucharistia rationem signi, quoniam remanet *visibilis species elementorum:* affirmo etiam carnem Christi, quam forma panis coopertam in sacramento accipimus, & sanguinem, quem sub vini specie & sapore potamus, sacramentum esse, eoque significari corpus Christi, *quod visibile, palpabile, mortale in cruce est suspensum*, ut inquit Lanfrancus in libro contra Berengarium cap. 14. & habetur cap. *Hoc est*, de Consecrat. dist. 2. quod non semel hoc ipso in libro produximus.

CAPUT XI.

Haud invicte probatur extitisse hæresim *Stercoranistarum*, quæ tamen, si fuit aliquando, facile refellitur, & confutatur.

SUMMARIUM.

1. Stercoranistæ fortè nunquam extiterunt.
2. Vocantur quidem tales Nicetas. Græci: & Paulus Samosatenus:
3. Sed non benè.
4. Idem est de Amalario,
5. Heribaldo, ac Rabano Mauro.
6. Detegitur, cur tales sint dicti.
7. Quid in Eucharistia dentibus atteratur, & digeratur?

1. *Stercoranistæ* fortè nunquam extiterunt.

INfanda plurimum est, suoque nomine detestabilis hæresis, de qua temperanter dicam, videlicet, *Stercoranistarum*. Quid hi dogmatizasse credantur, scripsi in prænotatis VIII. cap. neque aliam explicationem obscœna res promeretur. Nequit cadere in mentem meam, extitisse homines alicujus religionis atque pietatis, quorum animis vere inhæserit *Stercoranismus;* & hunc arbitrior fuisse aut disputantium in adversarios suos probrosam criminationem, aut exortam ex verborum ambiguitate sententiam. Hujus vero judicii æquitas apparebit, posteaquam de iis, qui istius hæreseos insimulantur, atque de ejusdem insimulationis origine & causa brevissime pertractavero.

2. Vocantur quidem tales Nicetas: Græci: & Paulus Samosatenus.

Humbertus itaque Cardinalis in Responsione ad Nicetam Pectoratum, quæ extat in Append. tom. XI. Annalium Baronii, & Bibl. PP. tom. XVIII. eundem Nicetam appellavit *Stercoranistam*, hujusque labis auctorem fecit Arium, scribens: *Sed ô perfide Stercoranista, qui putas fideli participatione corporis, & sanguinis Domini, quadragesimalia & Ecclesiastica solvi jejunia, omnino credens cœlestem escam veluti terrenam per aqualiculi fœtidam & sordidam egestionem in secessum emitti, plane sentis cum Ario, qui cum pro aliis blasphemiis in Filium Dei, tum etiam pro ista foveam delapsus in atram visceribus fusis vacuus quoque ventre remansit.* Algerus etiam libro 2. de Sacram. alt. cap. 1. tom. 21. B. PP. pag. 276. Græcis eandem impingit hæresim, aut Humberti, aut alterius scriptoris ductus auctoritate: ait enim, *Nunc sunt observanda Græcorum hæreticorum, qui merito Stercoranistæ vocantur, deliramenta.* Si ergo *Stercoranismus* apud Græcos unquam invaluit, aut id fuit vigentibus Ariana, & superioribus aliis hæresibus, aut undecimo sæculo, exorto schismate, & Niceta Studiensi Monacho Latinos scriptis dilacerante. Verum quod ad antiquas attinet hæreses, certum est Paulum Samosatensem dogmatizatum fuisse Christi sanguinem in Eucharistia corruptioni ac partitioni obnoxium, eoquod illum *puri* hominis sanguinem, communique legi crederet subjectum: id enim in Paulo damnat ac refellit sanctus Dionysius Alexandrinus. Nusquam ego legi idem asseruisse Arium, hostem divinitatis Verbi perditissimum & iniquissimum. Eundem Pauli Samosateni errorem propugnavit in perante Alexio Comneno, & circa exitum sæculi XI. Monachus quidem Sicidites, qui affirmabat corpus Domini in Eucharistia dentibus scindi & conteri, atque corruptibile esse, &

& inanime, ac proinde non totum Christum percipi in sacrosancto mysterio, sed partem ejus duntaxat. Plura de hac hæresi Nicetas Acominatus Choniates, & ex eo Lupus tom. 3. pag. edit. Brux. 522. Hos ergo in *Stercoranismum* impegisse, quod Eucharistiam communibus escis æquaverint, probabile est utique, sed minime exploratum, aut certum. Dici enim potest nefaria ea dogmata de corporis Dominici *natura*, non de exitu comestionis intelligenda esse, maxime si loquamur de Paulo Samosateno, quem tamen Ludovicus Cellotius in Appendice ad Historiam Gottescalchi *Stercoranistis* annumerat.

3. Sed non benè.

Verum Nicetas Pectoratus in prænarrato scripto adversus Latinos his objecit, quod in omnibus Quadragesimæ diebus Eucharistiam consecrent, & sacrum faciant, contendens juxta Patrum traditionem, & canones Conciliorum celebrandas Missas in sabbatis tantum, Dominicisque diebus. *Oblationem perfectæ Missæ*, inquit, *per omnem diem facere in sacris diebus jejuniorum, sicut in sabbato, & in Dominico die, unde assuevistis, & à quo doctore accepistis?* Vide Baronium in App. tom. XI. pag. edit. Colon. 792. Atque ad id probandum urget Nicetas canonem 48. Laodicensem, statuentem, ne panis offeratur in Quadragesima, *nisi in Sabbato, & in die Dominico solo*, & 50 sic habentem, *Quia non non oportet in Quadragesima Martyrum natalitia celebrare, sed sanctorum commemorationem facere in sabbatis, & Dominicis diebus*: canonem denique 52. Trullanum, *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbato, & Dominica, & sancto Annuntiationis die, fiat sacrum Præsanctificatorum ministerium*. Hæc ita accepit Humbertus, quasi Nicetas in ea fuerit opinione, frangi à nobis Quadragesimale jejunium sacrificiis & communionibus quotidianis, atque ex hoc judicio facile Humbertus descendit in aliud, Nicetam non secreviſse synaxim sacram à communibus cibis egestioni obnoxiis; adeoque illum appellavit *perfidum Stercoranistam*. Sed revera Nicetas in toto illo scripto, quamvis dicteriorum pleniſſimo, nunquam ait solvi sacra communione jejunium, ac multo minus hanc egeri & projici ex alvo; sed fuit hoc, fortasse non benè libratum, Humberti consectarium, prout cum Mabillonio Præf. 2. in sæculum IV. num. 67. arbitrantur viri alii graviſſimi, atque doctiſſimi. Quidquid sit ergo de illa accusatione spectante ad quotidianas Quadragesimæ Missas, quam more suo, uberrima scilicet eruditionis copia retundit Lupus Schol. in præcitatum Trullanum canonem; non sunt nobis argumenta firmiſſima, quibus demonstremus jure attributum fuisse Nicetæ Pectorato nomen illud propudioſiſſimum.

4. Idem est de Amalario.

Audiit præterea tanquam *Stercoranista* Amalarius abbas Metensis, & Lugdunensis Chorepiscopus, hujusque hæresis insimulatur à Gilberto Mauguino in Hist. Gottescalchi cap. 18. ubi ait hæresim *Stercoranistarum* nono sæculo exortam, à Bertramno, & Paschasio fuisse confutatam, & Amalarium præsertim damnatum anno 838. in Synodo Carisiaca, in qua proscripta est sententia affirmantium corpus Christi esse *tripertitum*, quam loquendi rationem usurpat idem Amalarius in libris de divinis officiis. Subscribit Mauguino Auctor de Perpet. fidei lib. VIII. cap. 11, & Amalarium refutatum à Floro, & notatum in Concilio Carisiaco testatur quoque in suo Epitome Guilelmus Malmesburiensis. Verum his non possumus fidem adhibere firmiſſimam. Enimvero Amalarius interrogatus à Guntardo, cur Eucharistia suscepta salivam ejiceret, respondit se frequenter spuere, neque id tribuendum esse sacrorum mysteriorum contemptui: ac statim subnexuit quæstionem de corpore Domini, quo nimirum abeat post sacram communionem, ac tradidit non esse id curiosa disquisitione investigandum. *Ita sumptum*, ait, *corpus Domini bona intentione, non est mihi disputandum, utrum invisibiliter absumatur in cœlum, aut reservetur in corpore nostro usque in diem sepulturæ, aut exaletur in auras, aut exeat de corpore cum sanguine, aut per poros emittatur, dicente Domino, Omne quod intrat per os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Hoc solum cavendum est, ne corde Judæ summam illud & contemptui habeatur; sed discernatur saluberrime à communibus cibis.* In his profecto *Stercoranismus* aperte non traditur, neque ullibi aut Paschasius, aut Bertramnus accusavit Amalarium de infami hac hæresi. Ejusdem utique Amalarii libros vellicat, appellatque *phantasticis & hæreticis disputationibus plenos* Ecclesia Lugdunensis in libro de tribus Capitulis cap. 4. sed attinet hæc censura ad Libros *de divinis Officiis*, in quibus non semel Amalarius mores Lugdunensis Ecclesiæ rodit atque exagitat; ut mittam, auctorem

storem eorundem librorum de divinis Officiis esse Amalarium Fortunatum, quem nonnulli viri percelebres contendunt distinguendum esse ab Amalario de hæresi Stercoraria infamato. Ita potuit Amalarium notare Synodus Carisiaca ob suspicionem erroris; quamquam dici potest corpus Domini *tripertitum* absque hujus hæresis labe; veluti si distinguas corpus verum à corpore mystico, & illud prout naturali modo, & prout sub speciebus sacramentalibus existit. Qua in re castigate admodum loquendum est: nam quidam ætate Amalarii plurimum fuerunt exagitati, quod corpus Christi natum ex virgine ab illo, quod continetur in Sacramento, secernerent, prout de Ratramno Corbejensi Monacho scripsi præcedenti cap. IX. Regula 6.

5. Et Heribaldo ac Rabano Mauro.

Sequuntur Heribaldus Antissiodorensis, sive, ut legitur in vetustis Codicibus Alcedronensis Episcopus, & Rabanus Maurus ex Monacho Fuldensi Moguntinus Antistes, quos de *Stercoranismo* accusat scriptor Anonymus editus à Ludovico Cellotio in prælaudata Appendice ad Hist. Gotteschalci, qui ait: *Et his quidem, qui dixerunt secessui obnoxium, quod nunquam antea est auditum, id est, Heribaldo Antissiodorensi Episcopo, qui turpiter proposuit, & Rabano Moguntino, qui turpius assumpsit, turpissime vero concluſit, suus ad respondendum locus servetur.* Revera Heribaldus quæstionem hanc Rabano proposuit, *utrum Eucharistia, postquam consumitur, & in secessum emittitur, more aliorum ciborum iterum redeat in naturam pristinam, quam habuerat antequam in altari consecraretur.* Et Rabanus Epist. 33. respondit, *Superflua est hujusmodi quæstio, cum ipse Salvator dixerit in Evangelio, Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Facillimum est autem Heribaldum, & Rabanum à nota turpissimæ hæreseos purgare; siquidem *Eucharistiæ* nomine hi non Christi *corpus* intellexerunt, sed *species sacramentales*, quippe istæ tantum sunt *pristina natura* exspoliatæ; & aliàs Rabanus lib. I. de Institutione Clericorum cap. 31. *Sacramentum* illud appellat *quod ore sentitur, & in corporis redigitur alimentum*, symbola scilicet sensibilia. *Stercoranistas* demum vocat Thomas Valdensis omnes *Impanatores*: quorum tamen hæresis in hoc sita est, ut cum substantia corporis Christi permaneat substantia panis unione quadam mirabili: sed unionem hanc perseverare in specierum sacramentalium egestione, ego quidem apud *Impanatores* nunquam legi: imo repugnat sententia hæc alteri apud ipsos communi, & quam anno 1536. Luthero persuasit Martinus Bucerus, & Melanchthon, Brentius, cæterique hujus farinæ adoptarunt, corpus scilicet Domini esse in Eucharistia *in solo usu*, id est, dum sumitur & comeditur.

6. Detegitur, cur tamen tales sint dicti.

Quæret nunc aliquis, undenam potuerint laudati scriptores nomine hujus turpissimæ hæresis diffamari, si commentitia sit, & nata in hominum opinione? Hinc ego arbitror causam repetendam esse, quod non aperte sacramentales species distinxerint à Domini corpore, & nomen *Eucharistiæ*, quod utrumque complectitur, Amalarius Heribaldus, & Rabanus tribuerint *speciebus*, illud vero adversarii acceperint quasi prolatum ad significandam Christi Domini carnem. Revera in præcitata Epistola 33. Rabani quæstio Heribaldi in antiquissimo codice Sancti Galli, apud Mabillonium in Itinere Germanico, ita proponitur, *utrum* ΑΤΘΣΥΡΑΚΤΗ *postquam consumitur, & in secessum emittitur, &c.* ubi proculdubio ΑΤΘΣΥΡΑΚΤΗ, inversis literis idem est, atque *Eucharistia:* pro quâ tamen voce alii nonnulli codices, male utique, aut fraudulenter reposuerunt, *Corpus Christi & sanguis.* Rabanus pariter aliquâliter imitatus veterem disciplinam arcani, permutatis elementis scripsit, ΣΑΚΡΑΜΗΝΘΥ *sinoproc, & sinugnas ex rebus visibilibus & corporalibus conficitur;* quæ verba licet evidenter pertineant ad symbola, pro corpore tamen Domini ab adversariis fuerunt accepta. Potuit & aliunde oriri suspicio hæresis. Fuerunt enim complures, qui affirmarunt, nec Sacramentalia Eucharistiæ accidentia per *aqualiculos digestus fundi*, ut auctor pseudoepistolæ Clementis ad Jacobum fratrem Domini: in qua sententia fuisse S. Joannem Chrysostomum, & S. Cyrillum Jerosolymitanum censet Lupus in notis ad 2. Concilium Romanum S. Leonis IX. Nil ergo mirum, si aliqui huic sententiæ adhærendo illos appellaverint *Stercoranistas*, quos norunt scripsisse accidentia Eucharistica per egestum emitti.

7. Quid atteratur dentibus, & digeratur?

Ex his autem colliges illud, quod in Communione dentibus atteritur, ac digeritur, esse species sacramentales, quæ aliquando *Sacramentum* dicuntur, quatenus hoc nomine significatur signum sensibile: unde legimus in Missa, *Fracto demum Sacramento, &c.* Deinde inferes abstinendum esse ab hujusmodi quæ-

quæstionibus, quæ nequeunt decenter tractari, atque interdum fœdissimis erroribus viam sternunt. Colliges demum recentiores Sacramentarios perperam nobis *Stercoranistas* objicere, quasi & hi negaverint realem Christi in Eucharistia præsentiam; tum quia fictitia est propudiosa illa hæresis; tum etiam quia realem præsentiam nequaquam negat quisquis asserere audet quod fertur affirmasse *Stercoranistas*; tum denique, quia nunquam Romana Ecclesia istorum deliramenta probavit: de quibus hæc dixisse sufficiat; nam juxta monitum Augustini lib. 1. de Civit. Dei cap. 16. *nostra disputatio inter pudorem atque rationem quibusdam coarctatur angustiis.*

CAPUT XII.

Ex reali corporis, & sanguinis Domini N. J. C. præsentia in symbolis Eucharisticis inferuntur quædam Catholica Theoremata.

SUMMARIUM.

1. Sequitur ex dictis.
2. Cultus Latriæ Christo Eucharistico debetur.
3. Præceptus à PP. Græcis,
4. Et Latinis,
5. Loquentibus de Cultu Latriæ propriè tali.
6. Non minùs à Liturgiis antiquissimis.
7. Imò etiam admissus ab Heterodoxis.
8. Quidquid aliqui inaniter opponant.
9. Sequitur secundò Religiosa asservatio.
10. Quod clamat tota Antiquitas.
11. Et negare nequeunt hæretici.
12. Turres & Columbæ olim asservantes adhuc hodiè habentur.
13. Non *Religiose* tantùm, sed & diligenter servanda Eucharistia.
14. Meritò instituta festiva solemnitas.
15. Cujus officium D. composuit D. Thomas.
16. Ratio hujus festi multiplex.
17. Benè in Illo instituitur Processio publica.
18. Ut ut obstrepent ineptè Hæretici.
19. Stat verò pro ea Potestas Ecclesiæ,
20. Et objecta facilè solvuntur.
21. Cur sub una specie?
22. Processiones similes possunt institui etiam extra festum.
23. Dummodo non nimis frequenter,
24. Et accedat Licentia Episcopi.
25. Cum debito splendore,
26. Nec unà exponantur SS. Reliquiæ.
27. Itinerantes Collo non gestent.
28. Consuetudo prisca meritò abolita.
29. Pontifici adhuc spatio itineris unius diei præfertur.

1. Sequitur ex dictis

CONsequitur apertissime ex dictis, frustra opponere nobis hæreticos *artolatriam*, sive quod pani divinum cultum exhibeamus. Id post Valentinum Erythræum, Claudium Salmasium, atque Dallæum, nobis objiciunt omnes passim hæretici, injuriose carpentes quidquid in Eucharistiæ venerationem peragimus, illam adorando, religiosissime custodiendo, populorum exponendo adorationibus, Corporis Christi solemne Festum servando, atque illud pretiosa custodia inclusum in processionibus circumferendo: quæ omnia recte, & sancte à nobis fieri, tametsi demonstret Salvatoris nostri veri Dei, ac veri hominis sub Eucharisticis speciebus præsentia, brevi tamen subjectis thesibus ad majorem gloriam divinorum mysteriorum tradere, & confirmare conabor.

2. Cultus Latriæ Deo Eucharistico debitus

THEOREMA I.

Domino Jesu in Eucharistia existenti Latriæ cultus est exhibendus. Latriæ cultum Theologi communiter appellant obsequium, servitutem, atque venerationem supremo Domino debitam, præeunte Augustino, qui libro x. de Civit. Dei cap. 1. num. 2. scribit, λατρεία *secundum consuetudinem, qua locuti sunt qui nobis divina eloquia condiderunt, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Hoc igitur *latriæ* cultu adorandus est Christus Jesus, Deus verus, & Dominus universorum, ac *primogenitus* ille, quem ab omnibus angelis adorandum jussit divinus Pater, cum illum introduceret *in orbem terræ*, ut Apostolus ait in Epist. ad Hebr. 1. 6. & in cujus nomine flectendum *omne genu*, docet idem Paulus ad Philipp. 2. 10. Cum autem uberrima argumentorum copia demonstratum sit, ipsummet Domini ac Dei corpus & sanguinem in Eucharistia contineri, quis, nisi hostis ejus divinitatis & majestatis, audeat ei denegare *latriæ* cultum? Jure itaque Tridentina Synodus sess. XIII. can. 3. in heterodoxos ita vibrat anathema: *Si quis*

quis dixerit in sancto Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, &c. anathema sit. II. Hanc autem adorationem nobis etiam Ecclesiæ Patres præcipiunt: nam ex Græcis Cyrillus Hierosolymitanus Catech. v. mystagogica pag. 546. jubet, ne ad sacram synaxim quis accedat expansis manuum volis, sed sinistra subjecta dexteræ, *quæ tantum Regem susceptura est*, atque *pronus adorationis in modum & venerationis*, κύπτων, ἢ τοσπερ προσκυνήσεως, καὶ σεβάσματος. Gregorius Nazianzenus Orat. funebri in laudem Gorgoniæ sororis suæ tom. 1. pag. 186. *Ad altare*, inquit, *cum fide procumbit, eumque qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocans, &c.* τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίστεως, καὶ τὸν ὑπ' αὐτῶν τιμώμενον ἀνακαλεμένη μεγάλῃ τῇ βοῇ, καὶ πάσαις ταῖς κλήσεσι, &c. ubi eum, qui supra altaria honoratur, declarat esse Christum, cujus fimbriam tetigit mulier laborans profluvio sanguinis, cujus pedes mulier alia rigavit, & cujus ibi servantur ἀντίτυπα τῦ τιμίυ σώματος καὶ αἵματος, *pretiosi corporis sanguinisque mysteria.* Chrysostomus Homilia VII. in Matth. demonstrat Magos adorasse puerum Jesum & in assumpta carne, & tanquam Deum, redarguens Marcionem, qui ei *veritatem carnis* auferebat, & Paulum Samosatenum, qui illum *purum hominem* non Deum existimabat; atque nos hortatur, ut accedentes ad altare, & ingredientes *Bethlehem*, & *domum spiritalis panis*; non imitemur Herodem, *cujus*, inquit pag. 69. *similes sunt qui abstinuntur communione mysterii*, ait enim de his *Apostolus*, *Reus erit corporis & sanguinis Domini*: τετῳ γὰρ ὁμοίασιν οἱ τῶν μυστηρίων ἀναξίως μετέχοντες. ἔνοχος γὰρ ἔ τοιῦτος ἔσαι, φησὶ, τῦ σώματος, καὶ τῦ αἵματος τῦ κύριυ, sed simus imitatores Magorum, atque *adoraturi Christum cuncta projiciamus è manibus*, καὶ πάντα ἀπὸ τῶν χειρῶν ῥίψωμεν, προσκυνεῖν μέλλοντες. Theodoretus de consecratis symbolis ait Dialogo 2. pag. 85. *creduntur & adorantur*, πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται. III. Eadem docent Latini Patres: quorum ut aliquos proferamus, Ambrosius lib. III. de Spiritu sancto cap. XI. num. 79. postquam plura scripsit de loco illo Psalmi XCVIII. *Adorate scabellum pedum ejus*, hanc tandem tradidit expositionem: *Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt; neque enim divisus est Christus, sed unus: neque cum adoratur tanquam Dei filius, natus ex virgine denegatur.* Atque tam apertum testimonium, quod etiam protulerunt Bellarminus lib. 3. de Euch. cap. 12. & Perronius eodem lib. cap. 14. nequaquam debilitari cavillis Plessæi, & Albertini, ostendunt in notis Patres Sancti Mauri tom. 2. pag. 681. Versat vero eundem locum Psalmi Enarratione sua num. 9. tam perspicue Augustinus, ut nullum effugium relinquatur Neotericis heterodoxis. *Quæro*, inquit sanctus Pater, *quod sit scabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura, Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quid ipsum quæro hic; & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram: quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem ipsam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Prætermitto posteriorum Patrum testimonia; quæ accurate collegit in disquisitione Theologica de cultu SS. Eucharistiæ Gelasius Hieber Augustinensis. IV. Me autem hic continere non possum, quin reprehendam Simplicium Verinum, sive latentem sub hujus corio Salmasium, qui de Transubst. pag. 464. negat Patres accipiendos esse de cultu latriæ, & ait commendari ab iisdem Patribus humilitatem duntaxat, ac reverentiam, qua ad sacra mysteria debemus accedere. Nam in primis Verinus, aut Salmasius, minime sibi constat, qui eodem opere p. 447 scribit adorationem Eucharistiæ ignotam Patribus, quos tamen, inquit, constat non fuisse minus religiosos, ac pios circa Christi cultum, quam nunc sint homines, *qui terræ vescuntur munere:* deinde vero Augustini & Cyrilli adorationem hanc præscribentium profert verba, & vocabulorum abusione detorquet. At non opus est vocibus decertemus: quando Augustinus eam adorationem commendat, quæ nulli creaturarum rerum exhiberi potest *absque impietate*; Cyrillus illam, quæ debetur *supremo Regi*, eam vero Chrysostomus quam Christo præstarunt Magi, & quam ei negavit Samosatensis hæresiarcha. Atque hanc esse *cultum latriæ* nemo unus inficias ibit, nisi qui, ut fictitius iste Verinus, lapidem pro corde gerat, aut fungum

3. Præceptus à PP. Græcis,

4. Et Latinis,

5. Loquentibus de Cultu Latriæ proprie tali.

6. Non minùs à Liturgiis antiquissimis, fungum pro cerebro. V. Neque sola auctoritate Patrum, sed etiam antiquissimis Liturgiis refutantur hæretici: singulæ quippe mandant, ut Sacerdos, aliique ministri consecratione peracta Dominum Jesum in Eucharistia humillime adorent, atque idem faciant fideles, dum ad Communionem accedunt. De quibus Liturgiis Renaudotius, Richardus Simon, Vitassius, aliique plurimi pertractarunt. Producam tantum brevitatis gratiâ *divinam Missam* Chrysostomi, in qua in Euchol. Goarii pag. 81. legitur: *Dehinc adorat sacerdos, & diaconus, in quo est loco, ter secreto dicentes: Deus propitius esto mihi peccatori. Et populus similiter cunctus cum devotione adorat. Cum autem viderit diaconum sacerdotem manus extendentem, & sanctum panem tangentem, ut faciat sanctam elevationem, exclamat,* attendamus. *Et sacerdos*, Sancta sanctis. *Chorus*, Unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus, *&c.* VI. Ad confusionem denique hæreticorum nonnulla ex ipsis heterodoxis proferam: in Ordinat. enim Eccles. Brandeburg. fol. 157. ac item Daniæ, & Norvegiæ præscribitur, ut cantetur in Templis hymnus *Pange lingua*, & communicantes flexis genibus dicant, *Agnus Dei miserere nobis.* Joachimus Westphalus in libro contra Joannem à Lasco ait, Christum in Eucharistia adorandum *ex ejusdem Christi mandato.* In Colloquio Ratisponensi omnes hac de re convenisse fatetur Bucerus Act. fol. 179. Lutherus denique adversus articulos Lovanienses scribit tom. 8. edit. Jenensis fol. 417. *In venerabili Sacramento, quod omni honore adorandum est, &c.* Erasmi, quem nolumus istis annumerare, illustria profert Alanus Copus Dialogo VI. cap. 26.

7. Imo & admissus ab Heterodoxis.

8. Quidquid aliqui inaniter dicant. Inquiunt hæretici, *idololatriæ* crimen esse pani, qui est res creata, exhibere *latriam*, cum omnes Catholici tanquam idololatras detestentur gentiles lapidum, planetarum, ac simulacrorum adoratores. Sed alucinantur heterodoxi. Sicut enim ex quo ethnici templa construxerint, pecudesque mactaverint, non sequitur fuisse idololatras Patriarchas, qui templum adiere, oves que immolarunt, quoniam hi referebant cultum suum non ad res illas creatas, quas gentes in Deorum ordine locaverunt, sed ad summum Deum conditorem universorum; ita nec nos idololatræ censendi sumus, quoniam non flectimus genua, nec thura adolemus panis, vinique accidentibus, sed Domino Jesu sub iisdem latenti; ideoque castigatissime Tridentini Patres definiere adorandum *in sancto Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei filium;* tametsi catholico sensu dici poterat *adorandum Sacramentum*, quatenus hoc nomine non solæ *species* significantur, sed quod sub iis continetur. Opportune nunc reminiscor Dialogi Leontii cum Judæo disceptantis, quo Christianus productis Psalmistæ verbis, *Adorate scabellum pedum ejus*, eo adversarium adegit, ut reponeret Judæos, non scabellum, sed per illud Deum adorare: cui statim Christi cultor repositit: *Scito & tu, quod etiam ego per cœlum, terram, mare, ligna, lapides, reliquias, templa, crucem, angelos, homines, per omnem denique creaturam visibilem, & non visibilem, omnium auctori Domino, & factori, soli adorationem & latriam exhibeam.* Quod dixi opportune in mentem meam venisse, quoniam eodem Psalmistæ textu cultum Eucharistiæ, ut vidimus, aperte commendant Ambrosius, & Augustinus.

Theorema II.

9. Sequitur ab Religiosa observatio. *Eucharistia in templis religiose, ac diligenter est asservanda.* id quippe negant hæretici, quoniam fateri nolunt Christi in Eucharistia præsentiam, aut hanc agnoscunt in solo usu & actione Cœnæ. Atqui à veritate aberrant toto cœlo. Realem quippe corporis Christi præsentiam commonstravimus disputatione prolixa: eandem vero præsentiam permanentem esse, infertur ex quo Christi corpus sub speciebus sacramentalibus efficiatur virtute verborum Domini, non fide, aut sumptione fidelium, & Christus panem consecraverit semel verba illa proferendo, non quando singulis consecrata symbola distribuit: ex quo vere panis in Domini corpus *transubstantietur*, non ei uniatur duntaxat: ex quo (ne repetam quæ in his Theorematis sunt distributa) consecrationis effectus permanens sit, quemadmodum Patres unanimiter tradiderunt, præsertim Cyrillus Alexandrinus adversus Nestorianos, & Augustinus adversus Faustum. II. Cum non adeo facile esset adire templa, vigerentque adhuc mores antiquiorum, domi à quolibet fidelium, & in eremo à solitariam vitam agentibus asservabatur Eucharistia ad usum viventium, & viaticum ægrotantium, prout testantur Tertullianus in libris de Oratione, & ad Uxorem, Clemens Alexandrinus in 1. Stromatum,

10. Quod clamat tota antiquitas.

Stromatum, Cyprianus de Lapsis, Basilius in Epistola ad Patriciam, Nazianzenus in funebri Oratione fororis, Hieronymus in Apologia ad Pammachium, aliique permulti, quorum testimonia negare non audent hæretici. Recte itaque eandem consuetudinem commendat Tridentina synodus sess. XIII. cap. 6. eamque canone septimo ejusdem sessionis corroborat, vibrans in adversarios anathema; cum Christiana religione ubique diffusa, constitutisque sacris ædibus plurimis, ipsamet Eucharistia nullius commodo desit, & decentius custodiatur. III. Negaturi non sunt hæretici servandam saltem ex antiqua disciplina Eucharistiam ad ministrandum morituris Viaticum; id enim ex traditione Majorum definitur lib. 1. Decretal. tit. 24. cap. *Officium*, his verbis: *In Sacrario Eucharistia Christi propter infirmos non desit:* quod & statuitur in Excerptionibus Egberti cap. 22. *Presbyter Eucharistiam habeat semper paratam ad infirmos, ne sine communione moriantur.* Similia leguntur in decretis à Burchardo collectis lib. v. cap. 9. & 10. Hanc consuetudinem adeo esse antiquam, ut eam agnoverit sæculum Nicæni Concilii testantur Tridentini PP. cit. sess. XIII. cap. 6. Revera Nicænus canon 13. hæc mandat: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ut si quis egreditur è corpore, ultimo & necessario viatico minime privetur.* Cum autem Calvinus Nicænam synodum appellaverit *sacrosanctam*, postquam repositionem Sacramenti improbavit, coactus est lib. 4. Instit. cap. 17. num. 39. hæc subjicere, *Sed qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ exemplum.* Nec minus ingenue Theodorus Beza scribens de antiqua hujus repositionis consuetudine p. 2. quæst. 241. *Quem morem magnopere velim restitutum.* Ac definite liber inscriptus, *Praxis pietatis*, cap. 52. *Eucharistia ægrotis est afferenda.* Possumus ergo de hæreticis repetere, quod Moyses ait de Aegyptiis Deut. XXXII. 32. *Et inimici nostri sunt judices.* IV. Servatam olim Eucharistiam demonstrant *Turres* & *Columbæ*, quæ passim inter veterum Ecclesiarum ornamenta connumerantur. Liber Pontificalis in Silvestro refert Constantinum Basilicæ Principis Apostolorum inter cætera dona dedisse *Patenam cum auro purissimo unam, cum Turre & Columba ornatam gemmis prasinis & hyacinthinis.* Commemoratur pariter *Turris* & *Columba* in Innocentio I. & in Hilario: ac *Turrim auream* super altare S. Mariæ Ecclesiæ Rhemensis locasse Laudonem Archiepiscopum, scribit Flodoardus lib. 2. cap. 6. S. Remigium fabricasse *Turriculum* ex vase aureo decem librarum quod sibi donaverat rex Clodoveus, affirmat idem Flodoardus lib. 1. cap. 18. *Turres* IV. *cum coopertoriis holosericis* memorantur in testamento S. Aredii Lemovicensis inter Mabillonii Analecta. *Columbas* commemorat quoque Concilium Constantinopolitanum celebratum sub Menna anno 536. act. V. tom. V. Concil. Lab. pag. 159. In his *Columbis* repositam Eucharistiam consentiunt omnes: ac de ea re legi poterunt Joannes Stephanus Durantus lib. 1. de Rit. Eccl. cap. 16. Rosweidus in not. ad Paulini Epistolam XII. Novarinus in *Agno Eucharistico* lib. 5. cap. 55. Gonzalez in 3. Decretal. tit. 44. Et quidem *in Columba* Eucharistiam asservasse S. Basilium affirmat Amphilochius in ejus Vita cap. 6. de eademque *Columbâ* intelligendus Chrysostomus Hom. 31. ad populum Antioch. ubi ait, corpus Domini reponi super altare, *Spiritu sancto vestitum.* At de *Turribus* negat vir eruditus, Joannes Harduinus Embolo 2. de Sacram. alt. cap. 1. deserviisse illas Sacramento asservando; quoniam in libro Pontif. *Turris* distinguitur à *Columba*, & in Sacramentario Gallicano tom. 1. Musei Italici, pag. 389. *turris* connumeratur inter vasa, in quibus divina mysteria celebrantur. Addit Harduinus quod legitur apud Gregorium Turonensem lib. 1. de Gloria martyrum c. 86. *Tempus ad sacrificium offerendum advenit: acceptaque turre Diaconus, in quâ ministerium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium: ingressusque templum, ut eam altari superponeret, elapsa de manu ejus ferebatur in aera:* ex quo loco colligit *turrim* fuisse *capsulam* hostiarum consecrandarum, de quâ canon 17. Arausicani 1. Concilii celebrati anno 431. Fallitur tamen Harduinus; ex quo enim *turris* una cum calice, & patena foret consecranda, ut legitur in Sacramentario Gallicano, infertur potius fuisse conditorium corporis Christi, non panis duntaxat consecrandi sive fuisse conditorium *hostiarum* deservientium communioni fidelium, & in eadem *turricula* post consecrationem asservandarum: quod & confirmat miraculum à Gregorio Turonensi narratum, nec repugnat canoni Arausicano: atque idem infertur ex istarum *turrium* pretio & ornatu, necnon ex Epigrammate Ve-

11. Et negare nequeunt Hæretici.

12. Turres & Columbæ olim asservantes adhuc hodie videntur.

nantii Fortunati *in Turrim* fabricatam à Felice Bituricensi, ubi legitur lib. 3. num. 25.

Quam bene juncta decent, sacrati ut corporis Agni
Margaritum ingens, aurea dona ferant.

Videtur potius *Columba* super *Turriculam* posita in signum Spiritus sancti, prout animadvertit Altaserra in notis ad Anastasium, tom. 2. novæ edit. pag. 312. *Turribus* vero, & *Columbis* accedit *Pastophorium*, de quo Auctor Constitut. Apostol. lib. VIII. cap. 13. pag. 405. *Cum universi, & universæ communicaverint, accipientes Diaconi, quæ superfunt, inferant in Pastophoria.* Significari hoc vocabulo *atrium templi*, aut *sacrarium* docet Du-Cange in Glossario tom. 3. pag. 186. Proprie *Pastophorium* significat *interius cubiculum, & thalamum*, ac bene hoc nomen aptari arculæ, & conditorio Dominici corporis demonstrat præcitato cap. 16. Durantus: de aliis modis Eucharistiam asservandi vide Martenium lib. 1. de antiq. Eccl. ritib. c. v. art. 3. De sacrosanctæ Eucharistiæ conditoriis accipiunt quidam hos Paulini versus in Epistola XII. ad Severum:

Hic locus est veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerii.

Hos tamen ego interpretor de vestibus, vasisque spectantibus ad sacrificium. Potius ad Eucharistiam attinet quod legitur eadem epistola.

Divinum veneranda tegunt altaria Fœdus.

Verum istud etiam ambiguum est, & accipi potest de reliquiis Martyrum cruci proximis, ob ea, quæ ibidem sequuntur. Cæterum & Reliquias martyrum subtus Eucharistiæ conditorium servatas, haud obscure innuit Prudentius Hymn. 3. περὶ στεφάνων, illis verbis:

Sic venerarier Ossa libet,
Ossibus altar & impositum:
Illa Dei sita sub pedibus.

Vide Ruinartium in Actis S. Eulaliæ pag. 399.

12. Non *Religiosè* solùm, sed etiam *diligenter* servanda Eucharistia.

Dixi autem in propositione non religiosè tantum, sed etiam *diligenter* Eucharistiam esse asservandam. Mandant quippe canones, ut sub fideli custodia conservetur *clavibus adhibitis*, ut constat ex cap. *Statuimus*, 3. Decret. tit. 44. Depromptum id est ex canone 20. Concilii IV. Lateranensis: quo decernitur, ut is, ad quem hæc custodia spectat, si incaute id prætermittat, *tribus mensibus ab officio suspendatur*, & si per ejus incuriam aliquod nefarium inde contigerit, puta sacrilegum furtum, aut consimilis profanatio, *graviori subjiciatur ultioni.* Huc etiam spectant canones præscribentes quadraginta dierum pœnitentiam ei, cujus incuria mures comederint *species* reconditas, apud Pœnitentiale Romanum tit. XV. cap. 1. & Burchardum Wormaciensem libro V. Decretorum cap. 50. & 51. Sedulo denique attendendum est, ne Eucharisticæ *species* diuturno tempore, sive alia causa computrescant; cujus rei gratiâ Concilium Bituricense an. 1031. canone 2. Rothomagense an. 1072. canone 6. Londonense an. 1138. can. 2. & alia, quæ omitto, decreverunt, ne diutius servetur Eucharistia, *quam de una Dominica in alteram:* quod in Pontificia Cappella, quæ Sixtina dicitur, diligentissime observatur.

Theorema III.

14. Meritò instituta festivæ solemnitas.

Optimo consilio solemne Festum sacratissimi Corporis Christi fuit institutum. Quis primum hanc festivitatem indixerit, non est omnino compertum, conjici tamen potest variarum historiarum collatione. Jam ergo ab anno 1208. beatæ Julianæ in suburbio Leodiensi sanctimoniali celeberrimæ, de qua Tractatus *de vera Origine Fest. Corp. Dom.* ad calcem Gestorum Pontificum Leodiensium Joannis Chapeavilli, divinitus revelata fuit hujus festivitatis institutio. Julianæ revelatio post annos aliquot Joanni de Lansanno & Jacobo de Trecis Leodiensi Archidiacono patefacta, ac diligenter ab Hugone Provinciali Fratrum Prædicatorum, postea S. R. E. Cardinali, atque à Guiardo Episcopo Cameracensi, necnon à Cancellario Parisiensis Academiæ, pluribusque viris Theologis revocata ad examen, impulit Robertum Leodiensem Episcopum, ut anno 1246. coacta Synodo in universa ea diœcesi hanc solemnitatem indiceret celebrandam. Evectus deinde ad summi Pontificatus apicem memoratus Jacobus de Trecis, appellatus Urbanus hujus nominis Quartus, permotus tum supplicationibus Henrici, qui Roberto in Episcopatu Leodii successerat, tum maxime insigni miraculo apud Vulsinium patrato, ubi Sacerdote incredulo faciente rem sacram, ex fracta Hostiæ particula in subjectum corporale, quod etiamnum in majori templo Urbevetano servatur, prodigiosus sanguis effluxit; his, inquam, permotus Urbanus anno 1264. Pontificio diplomate,

plomate, quod incipit, *Transiturus de hoc mundo ad Patrem*, dato Urbeveteri die XI. Augusti ejusdem anni, non, ut legitur in Bullario, anno 1262. idem solemne Festum extendit ad universam Ecclesiam. Quare dicitur Urbanus hujus solemnitatis *Institutor* ab omnibus ferme Historicis, inter quos Papirius lib. v. de Episcopis Urbis Romæ tom. 3. Scriptorum Rerum Italicarum, parte 2. pag. 417. ita cecinit:

Quamvis quotidie fiant mysteria tanti
Corporis, hic melius vult cumulare bono.
Sic digne statuit, ut in anno Corporis hujus
Tam Festum celebre fiat in orbe semel
Post Pentecostes octavas luce Jovis: nam
Consumi Christus fecerat ista die.

Decessit Urbanus quarto nonas Octobris ejusdem anni, nec statim executioni mandatum fuit quod ipse de Festo Corporis Christi ubique celebrando statuerat. Verum confirmatum fuit diploma Urbani à Clemente V. anno 1311. in Viennensi Concilio, deinde anno 1316. à Joanne XXII. anno 1429. à Martino V. anno 1433. ab Eugenio IV. & anno 1551. à Tridentinis Patribus sess. XIII. cap. 5. & can. 6. Atque hæc de instituta Dominici Corporis Festivitate: de qua vide præcit. Tractatum adjectum Historiis Joannis Chapeavilli, Raynaldum ad annum 1264. num. 23. & sequentibus, Lupum in dissertat. de SS. Sacram. publ. Exposit. inter *Opuscula posthuma*, Gelasium Hieber in prælaudata disquisit. quæst. 2. cap. 3. aut unicum, & qui cæteros omnes perlegit, BENEDICTUM XIV. sive *Notificat.* v. sive *de Fest. Domini N. J. C.* à num. 528. usque ad 537. sive *de Serv. Dei beatif. & Beat. canoniz.* lib. IV. parte 2. cap. 30. num. 2.

15. Pro qua officium D. composuit D. Thomas.

Positum olim in controversia, quisnam conscripserit *Officium* Corporis Christi, quo nunc utitur Romana Ecclesia; visumque olim Papebrochio editum rogatu S. Julianæ, de qua supra, à Joanne Clerico Leodiensi. Verum constat testimonio Scriptorum omnium concordissimo, illius *Officii* auctorem esse D. Thomam, qui anno 1246. illud jubente Urbano IV. composuit. Nec aliquid in contrarium probat, quod idem *Officium* habeatur in vetustissimo *Antiphonario* Leodiensis Ecclesiæ; quoniam non apparet hoc *Antiphonarium* esse Urbani temporibus antiquiorem. Imo ex Epistola ipsius Urbani ad Evam virginem Reclusam, ab eodem Papebrochio publici juris facta ex Archivo Leodiensis Ecclesiæ S. Martini, liquet Urbanum una cum diplomate prælaudato misisse ad Evam *Quaternum, in quo ejusdem Festi habetur Officium:* in quem locum ipse Papebrochius hæc annotavit tom. 1. Aprilis pag. 477. *A sancto Thoma Aquinate tunc compositum.* In libello Diestemii, de quo Serarius in lib. de Processionibus, pag. 100. de Ecclesia Leodiensi legitur: *Apostolicum Nuncium cum bullis, decretalibus, ac Officio apportatis honorifice suscepit, rejecto Officio quod Virgo Juliana confici fecerat, & utens illo Officio, quod beatus Thomas Aquinas confecerat.* In hujus rei testimonium in fenestris templi Vulsinienfis depictus olim fuit idem S. Thomas hoc *Officium* dictans, Curia Pontificis circumstante. Conscriptum denique sub Urbano IV. *novum Officium* Corporis Christi, innuit quoque citato in loco Papirius, subjiciens:

Hocque sui terno Papatus fecit in anno:
Officiumque novum continet ista dies.

Jure itaque Divo Thomæ vindicat hoc *Officium* Natalis Alexander dissert. 6. sæculi XIII. art. 1. Nec exorta unquam esset hujusmodi controversia (inquit eruditissimus Pontifex notatione DXXXVII. in Festum corporis Christi) si perlegissent disputatores Constitutionem Sixti IV. insertam Bullario FF. Prædicat. tom. 3. pag. 555. in qua legitur, festum, de quo loquimur, ab Urbano IV. institutum, *Propriumque ejusdem solemnitatis Officium per Beatum Thomam de Aquino tunc in ipsa Curia existentem compositum.*

16. Ratio hujus Festi multiplex.

Cæterum, ut jam revocemur in viam, multiplex ratio commendat prælaudatæ Festivitatis institutionem. Principio congruum est, ut quod ex Dei mandato habet specialem Dominicæ passionis commemorationem, atque est divinæ charitatis memoriale perenne, recolatur peculiari aliqua celebritate: quod cum plene fieri nequeat feria v. majoris hebdomadæ, quoniam ea die universalis Ecclesia in pœnitentium reconciliatione, in confectione chrismatis, in adimpletione mandati circa lotionem pedum, & in aliis quamplurimis rebus occupata est, in aliam feriam quintam fuit eadem solemnitas jure meritoque translata. Deinde hoc solemniori cultu supplenda erat devotio, quæ in frequentibus & quotidianis sacrificiis

ob

ob complurium negligentiam pravitatemque tepescit. Accesserunt præterea revelatio facta sanctimoniali Leodiensi, miraculum apud Vulsinienses patratum, pluriumque Ecclesiarum supplicationes & vota: quæ omnia tangit Urbanus IV. laudato diplomate, *Transiturus de hoc mundo*, &c. Divino denique consilio tribuendum est, quod tali cultu, in quo maxime splendet fides Catholica, instituto, & universim recepto, Ecclesia Christi victricem demendacio, & hæresi triumphum ageret, ejusque adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universalis Ecclesiæ lætitia debilitati, & fracti tabescerent. Atque rationem hanc à Tridentino Concilio productam sess. XIII. cap. 5. confirmat experimentum: nam Lutherus in processione SS. Sacramenti (de qua infra) repentino terrore occupatus contremuit, frigidissimumque sudorem emisit, ut ipsemet fatetur apud Aurifabrum; ac Protestantes in Augusta Vindelicorum civitate an. 1530. cum præsente Carolo V. fieret solemnis Corporis Christi processio, summa confusione affecti sunt, & subierunt maximam Cæsaris indignationem, jussi, ut altera die excederent Augusta, quamvis Carolus precibus Catholicorum Principum passus sit se ab hac sententia deduci. Rem narrant Laurentius Surius in Commentario hist. pag. 150. Joannes Cochlæus de Actis, & script. Luther. ad an. 1530. & Raynaldus ad eundem annum, num. 64.

Theorema IV.

17. Etiam Processio publica jure instituitur in hoc Festo.

Cum solemni Festo jure optimo instituta est Processio, & circumgestatio sacratissimi Christi corporis. Immorandum non est in ea quæstiuncula, an *Processionem*, quæ fit in prædicta solemnitate, præscripserit Urbanus IV. præcipuus hujus Festi institutor. Negant id ex Novatoribus Centuriatores cent. XIII. cap. 10. Schmidel in libro adversus Schererum, Kemnitius p. 2. *Examinis* pag. 450. atque ex Catholicis Genebrardus lib. IV. Chronol. Juenin dissert. IV. cap. 3. art. 4. & alii. Verùm opposita sententia majori probabilitate defenditur. Quamquam enim Urbanus in Bulla, *Transiturus*, non commemoret *processionem*, §. tamen 2. mandat, *ut in ipsa quinta feria* (Corporis Christi) *devotæ turbæ fidelium ad Ecclesias affectuose concurrant, & tam Clerici, quam populi gaudentes in cantica laudum surgant, omniumque corda, vota, ora, & labia hymnos persolvant lætitiæ salutaris:* quæ verba commonstrare videntur celebritatem aliquam præter Clericorum psalmodiam. Deinde Onuphrius noster in Urbano, recensito mirabili eventu, qui contigit Vulsinii, ait, *Attonitus Pontifex ad se ab Episcopo loci cum Processione Urbem Veterem* (Corporale) *transferri voluit, & illud solemnitate instituta in Ecclesia Urbevetana recondidit.* Unde post Serarium & Lupum infert BENEDICTUS XIV. Notif. v. num. 6. & de Festo Corp. Christi num. 536. ex facto saltem Urbani *Processionem* hanc derivasse. Insuper Martinus V. Constitut. quæ incipit, *Ineffabile Sacramentum*, supponit jam olim processionem fuisse institutam, dum elargitur indulgentias annorum centum iis, *qui processiones, in quibus ipsum vivificum Sacramentum juxta ritus Ecclesiarum defertur, continuo secuti fuerint.* Nullus denique post Urbanum profertur ejusdem *processionis* primus auctor; non enim dici potest cum Genebrardo institutam post centum annos Papiæ in detestationem hæresis Berengarii; tum quia Berengarius jam ab anno 1088. fatis cesserat; tum quia Joannes XXII. creatus Pontifex anno 1316. meminit ejusdem Processionis, apud Diestemium, & Serarium loco citato in Theoremate præcedenti; tum demum quia in Ecclesia Papiensi anno tantum IV. sæculi quintidecimi cœpit hæc Processio obtinere, prout animadvertit Lupus in dissert. *de Proces.* cap. 3.

18. Contra quam ineptè obstrepunt Hæretici.

Verum quidquid sit de hac institutione, illam hæretici improbant, obstrepentes quibusdam ineptissimis argumentis. Primum urget Calvinus lib. IV. Instit. cap. 17. num. 39. quoniam Eucharistia ad solum cœnæ usum fuit à Domino Jesu instituta. Alterum proponit Kemnitius 2. p. *Examinis* pag. 447. quod exhibere divinum honorem mero pani, sit *artolatria.* Tertium opponitur ab eodem Kemnitio, ex quo Arca, hujus sacramenti figura, quando in castra fuit asportata, capta fuerit, & Hebræorum cæde ostenderit Dominus circumgestationes hujusmodi impias esse ac sacrilegas. Ultimum argumentum, commune omnibus Novatoribus, est hanc *Processionem* contra divinam scripturam, & contra consuetudinem Apostolicæ Ecclesiæ fuisse in usu receptam.

19. Pro ea verò stat Potestas Ecclesiæ.

Cæterum adversus hæreticorum insaniam stat immobilis Ecclesiæ potestas, quam alibi vindicavimus, decernendi & immutandi pro locorum, ac temporum

rum circumstantiis, quæ spectant ad disciplinam. Hanc præterea institutionem commendant causæ in superiori theorematio productæ. Ulterius videtur præsignata hæc eadem *processio* in circumgestatione Arcæ fœderis, quam secum filios Israël portasse constat ex libro Josue cap. 3. & ex 1. Regum cap. 4. necnon in typico manna, quod in ipsa arca inclusum, ideoque unà cum illa asportatum, affirmat Apostolus cap. 9. ad Hebræos. Nemo insuper, qui Ecclesiasticas historias perlegerit, ignorare potest, Eucharistiam olim delatam ad fideles, qui sacris mysteriis interesse non poterant, ad Titulos, & ad Episcopos suburbicarios, & à Romanis Pontificibus missam Præsulibus, aliisque in tesseram communionis: allatam quoque ad privatas domos, ad incultas eremos, & per longinqua itinerum spatia, ut Justinus Apolog. 2. Eusebius lib. v. H. Eccl. c. 24. Basilius Epist. ad Cæsariam, Ambrosius de Excessu fratris sui Satyri n. 43. aliique plurimi tradiderunt. Quod si antiquam divini sacramenti asportationem hæretici damnare non audeant; perperam in hanc insaniunt, quæ, pro præsenti Ecclesiæ conditione, ritu solemniori peragitur.

20. Et objecta facilè solvuntur.

Ad primum itaque argumentum respondemus, non tolli per sacrosanctæ Eucharistiæ circumgestationem pristinum ipsius usum, scilicet communionem, sive, ut inquiunt Novatores, *actionem cœnæ;* imo ad sacram synaxim vehementius incitari fideles, dum Sacramentum colitur, & exponitur adorationi, idque comprobari experimento, cum per octavam hujus solemnitatis frequentius communicaturi accedant ad divina mysteria. Quod subjicitur, Theoremate primo solutum est. Alterum retorquetur adversus Kemnitium: Arca enim, Eli summo Sacerdote annuente, majoribus natu consentientibus, præ lætitia universo populo vociferante, ac Philisthæis ingenti terrore perculsis circumferebatur; & si semel capta est, contrivit Dagonis idolum, percussit Azotios, & Gethæos: asportata autem in domum Aminadab filiis Israel erexit animum, & fortitudinem contulit. Quod autem triste his accidit in castra eandem arcam transferentibus, non ipsi Arcæ tribuendum est, sed idololatriæ militum servientium diis alienis Baalim, & Astaroth, ut liquet ex 1. Reg. cap. 7. Præterea ex quo inconsiderate filii Israel Arcam ad castra transtulerint, post cladem suorum, & victoriam Philisthiim; commonemur, ne sacra exponamus periculo profanationis: quam ob rem Eucharistia denegata est aliquando energumenis, ut suo loco dicemus, neque afferenda est ad extinguendum incendium, & ubicunque immineat periculum aliquod nefasti exitus. Ad ultimum respondemus præter sacras literas, (quibus tamen hæc *processio* non adversatur) recipiendas esse definitiones Ecclesiæ, hujusque non semper eandem viguisse disciplinam. Congruebat enim priscis Ecclesiæ sæculis, ut sacra mysteria Gentium profanationi subtraherentur, ænigmatice de his Patres agerent, & clanculum accederent ad illa fideles; nunc vero adversus apostatas conscios sacramentorum nostrorum, qui exierunt à nobis, palam colenda sunt, vindicanda, & quanta impietate ab hæreticis conculcantur, tanta religione à Catholicis asservanda.

21. Cur sub una specie?

Inquit Kemnitius, cur Eucharistia sub una tantum *specie* gestatur? cur non potius mos gerendus Hussitis, qui in Sacramenti anniversaria processione cum Hostia gestitant calicem? Respondeo unam circumferri *speciem*, quia sub una totus Christus, & Sacramenti ratio, non minus ac sub utraque, continetur; & quia etiam veteres, quotiescunque ipsam Eucharistiam ad alios in communionis symbolum transmittebant, id faciebant sub *specie* duntaxat panis: mitto periculum effusionis, cui subesset vini consecrati circumgestatio.

Theorema V.

22. Possunt alio quoque tempore institui similes Processiones.

Laudabilis & religiosa est consuetudo aliis quoque temporibus, præter solemnitatem Corporis Christi, sacratissimam Eucharistiam exponendi, & circumgestandi, dummodo subjiciendæ præceptiones serventur. Principio hoc theorema demonstratur probationibus duorum præcedentium. Stabilitur deinde consuetudine in pluribus Parochiis vigente, faciendi hanc *processionem* semel in mense, atque ex piissima alia consuetudine Orationis quadraginta horarum. Ex ea insuper fructus complures percipiuntur: abstrahit namque populum à spectaculis, ab otio, à confabulationibus, trahitque illum ad templum, ac templo ipsi, veluti dum in aula Rex sub throno palam conspicitur, majorem conciliat venerationem. Vide Lupum de sacris Processs. cap. 12.

23. Dummodo non nimis frequenter;

Has vero præceptiones hac in re arbitror esse observandas. Curandum primo, ne ex frequentiori hujus devotionis

tionis usu sacrosancta mysteria vilescant, & imminuatur Christianæ plebis devotio. Thyers, allique nonnulli videntur probare solam *Processionem*, quæ fit in solemniis Corporis Christi; pius Lupus saltem Eucharistiæ expositionem optabat frequentissimam, *bis, aut tertio per hebdomadam.* Placet nobis medium iter incedere, probamusque Expositionem & Processionem hujusmodi, quæ fiunt urgente causa, annuente Episcopo, nec ubique frequenter. Ita nimirum statuerunt Synodus Farsensis celebrata à Cardinali Barberino, qui anno 1623. ad Pontificatus apicem evectus Urbani VIII. sibi nomen adscivit, Synodus Neapolitana an. 1699. Cælenatensis an. 1693. Spoletana an. 1688. Mechlinien-sis an. 1607. Mediolanensis tertia, & quarta, aliæque permultæ. At singulis diebus Eucharistiam super altare non esse exponendam, decrevit Sacra R. C. die 4. Martii an. 1606. Communem propterea hanc nostram sententiam censet Bononiensis Archiepiscopus, nunc Pontifex Maximus Notificatione edita die 5. Maji an. 1734. Ab hac tamen generali Regula excipienda est Octava Corporis Christi, in qua in Ecclesiis Collegiatis Eucharistiam exponendam esse constat ex Ceremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 3. excipienda Oratio XL. horarum, in qua Expositio fieri solet ornatu splendidiori; & excipienda Processio semel in mense, usu, ut dixi, plurium Ecclesiarum comprobata.

24. Ne accedat licentia Episcopi.

Altera regula est, quod extraordinaria Eucharistiæ expositio fieri nequit absque licentia Episcoporum, cujus muneris est præscribere quidquid attinet ad publicum Dei cultum. Extat enim decretum latum à sacra Congregatione Concilii die 17. Augusti, & non semel confirmatum, quo declaratur, *non licere Regularibus etiam in eorum propriis Ecclesiis, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario: ex causa autem privata posse, dummodo sanctissimum Sacramentum è tabernaculo non extrahatur, & sit velatum ita, ut ipsa quoque hostia videri non possit.* Idem decrevit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium die 9. Decembris an. 1602. & sacra Rituum Congregatio die 18. Decembr. an. 1647. & rursus die 10 Dec. an. 1703. in Decreto confirmato die 12. Januarii an. 1704. à Clemente XI. Utuntur propterea Episcopi jure suo, dum hoc decretum Regularibus inculcant, uti fecerunt Vincentius Maria Ursinus in Synodo Beneventana anno 1693. tit. 37. cap. 7. Marcus Antonius Barbadicus in Synodo Montis-Falisci anno 1692. cap. 18. Prosper Lambertinus anno 1734. in prælaudata Notificatione. Atque id asserunt ipsimet Regulares Theologi apud Rotarium lib. 1. de Sacram. cap. 2. num. 19.

25. Cum debito splendore.

Regula tertia est, quod expositio SS. Eucharistiæ postulat decentem altaris ornatum, cereorum splendorem, & alicujus Ecclesiastici orantis præsentiam. De cereorum numero inquit S. Carolus parte 2. Synodi IV. Mediolanensis: *Cerei præterea in Altari accensi ad summum decem, minimum vero sex: lampades item nec plures quam duodecim, vel tredecim, nec vero pauciores quam tres. Licebit tamen Episcopo ob causam permittere, ut major luminum numerus aliquando adhibeatur.* Jubet paulo post eadem Synodus, ut Oratio XL. horarum fiat *splendidiori luminum apparatu.* Decreto autem S. R. C. die 15. Martii an. 1698. *quantitas luminum pietati facientis Expositionem remittitur.* De Ecclesiasticis assistentibus in prælaudata Synodo inquit loco nuper laudato Gloria Præsulum Carolus: *Dum sanctissimum Sacramentum in altari propositum est, interdiu Clerici duo, superpelliceo induti, capite aperto ad Altare semper assistant, quorum alter Diaconus saltem sit: noctu vero saltem unus, isque in sacro Ordine constitutus.* In expositione item privata, quæ fit Pyxide velata in aperto tabernaculi ostiolo, mandat S. C. Episcoporum & Regularium præcit. decret. an. 1602. ut fiat *cum assistentia alicujus sacerdotis stola & superpelliceo induti, & cum sex saltem luminibus cereis.* Servanda in his, cæterisque pia quæque, & ab Episcopis probata consuetudo.

26. Nec una exponantur SS. Reliquiæ.

Postrema Regula sit, ne exponantur una cum SS. Sacramento Sanctorum Reliquiæ. Me non latet oppositum contendere Lupum in laudata dissert. *de sacris Proces.* cap. 8. & assertionis suæ proferre argumentationes doctrinæ, eruditionisque plenissimas. Præferenda est tamen humanis conjecturis S. Romanæ Ecclesiæ consuetudo: de qua Ceremoniale Augustinianum parte 3. cap 9. *Secundum decreta Romæ emanata, nec reliquiæ, nec imagines debent poni super altare, quando SS. Sacramentum est expositum.* Posset pro eadem consuetudine proferri ratio, ob quam Bauldry p. 3. Manualis cap. 17. Thyers lib 4. cap. 12. aliique contendunt non esse Eucharistiam exponendam in majoribus Sancto-

Sanctorum Festivitatibus, scilicet, quod præsente summo Domino cessare debeat honor servo exhibendus; sed huic, & consimilibus argumentis præcitato cap. 8. Lupus uberrime satisfecit.

THEOREMA VI.

27. Itinerantes collo non gerent.

Nulli fas est in itineribus Eucharistiam appensam collo deferre: Romanis tamen Pontificibus iter agentibus decenti pompa, & comitatu præfertur. Non agimus modo de veteri disciplina, ex qua constat fideles sibi ad *Viaticum* & communionem domum asportasse Corpus Dominicum, ut supra diximus, ttaditque Tertullianus ad Uxorem, & Cyprianus de Lapsis: & de Spectaculis, ejusdemque Domini Corporis præsentia ac præsidio sese longa itinera suscepturos communivisse, quemadmodum libro 1. de Excessu Satyri Ambrosius, in Epistola ad Rusticum Hieronymus, atque Patres alii scripsere. Legimus eapropter in vetustissimis Codicibus sanctos Episcopos mundissimo panno involutam secum portasse Eucharistiam: idem de Monachis affirmant MSS. Monasterii Wingartensis: idem de Roberto, & de Sancto Ludovico Francorum Regibus referunt Helgaldus Floriacensis, & Guilelmus Nangius: idem de Archiepiscopis Beneventanis visitantibus diœcesim legitur in Archivo ejusdem Ecclesiæ. Plura de antiqua hac disciplina Angelus Rocca in *Commentario* de hoc argumento tom. 1. pag. 33. & Martenius de Eccl. Ritibus lib. 1. cap. v. art. 4. ubi etiam narrat Patres Societatis Jesu, sedente Paulo V. discessuros Venetiis *Hostias* singulas collo sibi singulos alligasse, atque ita urbe excessisse. II. Justis tamen de causis prisca illa consuetudo antiquata est, præscriptumque can. 3. Concilii Cæsaraugustani anno 380. sub anathematis pœna, ut quisquis in Ecclesia Eucharistiam accipit, sumat statim, nec domum, aut alium in locum deferat: quod statutum pariter canone 14. Synodi Toletanæ primæ, anno Christi 600. aliisque Ecclesiasticis definitionibus. Harum plenissima scientia præditus Ecclesiæ Romanæ Pastor vigilantissimus Constitutione sæpe hoc in libro laudata *super Græcorum Ritibus*, indixit Orientalibus Monachis, ne iter conficientes deferant Eucharistiam collo suspensam. Atque inhibitionibus istis causam æquissimam arbitror præbuisse frequentiam itinerum, schismatum pervicaciam, & custodiam, quæ ubique locorum habetur Sacramenti pro infirmorum viatico reservati: siquidem olim hujus rei gratiâ fas erat illud extra templa deferre; ejusque communio, cum sit symbolum unitatis, optimo jure percipitur ab Ecclesiæ Catholicæ sacerdotibus. III. Pristinæ autem consuetudinis viget observantia, dum iter conficit summus Ecclesiæ Rector, quoniam tunc Eucharistia defertur honestissimo, amplissimoque comitatu; atque ne confluentium populorum occursus, & videndi Pontificis desiderium imminuat cultum Domino Jesu exhibendum, præferri solet à Præfecto Sacrarii Apostolici spatio itineris unius diei. Hac præterea ceremonia admonetur plebs Christiana cujus vicem gerat ille, qui subsequitur, Maximus Episcoporum; & quomodo nil prosit adhærere Christo participatione mysterii, nisi mystici Corporis, id est, Ecclesiæ Capiti quilibet uniatur, & illi tanquam ejusdem Christi Vicario reverentiam & obedientiam exhibeat. Si quis vero Romanorum Pontificum, quibus SS. Eucharistia in conficiendis itineribus præcessit, historicam narrationem, comitatum, apparatumque scire desiderat, adeat præcitatum Angeli Rocchæ eruditissimum Commentarium. Addendum iter, quo Benedictus XIII. primo Beneventum, præmissa Eucharistia, contendit anno 1727. verno tempore; nam cum eandem urbem repetiit anno 1729. processit minori, atque humili comitatu.

28. Consuetudo prisca meritò abolita.

29. Pontifici adhuc spatio itineris unius diei præfertur.

CAPUT XIII.

De Eucharistiæ consecrandæ, & dispensandæ ministro.

SUMMARIUM.

1. Prænotanda.
2. Consecrare ad solos pertinere Sacerdotes demonstratur ex Institutione Christi.
3. Ex Concilliis.
4. Ex PP.
5. Ex Historia Ecclesiastica.
6. Ex ipso nomine Diaconi.
7. A fortiori ex sacrificiis V. L.
8. Objectiones.
9. Solvitur prima & secunda admittens omnes esse Sacerdotes.
10. Tertia Patrocinans Diaconis.
11. Quarta Laicis.
12. Quinta fœminis.
13. Diaconi aliquando Eucharistiam administrârunt:
14. Et adhuc administrant sub certis conditionibus.

1. Prænotanda.

Libro xxx. cap. 13. demonstravimus non esse singulos prorsus homines ministros quorumlibet sacramentorum, cum non debeat quisque sacerdotii honorem sibimet arrogare, sed offerre sacrificia illorum munus sit, *qui vocantur à Deo tanquam Aaron.* Potiori jure honore isto non esse condecorandas mulieres ostendi proximo libro xxxi. cap. 11. Infertur itaque ex dictis conficiendæ Eucharistiæ potestatem non esse penes laicos, prout Valdenses primum, deinde Lutherani affirmaverunt, ac multo minus penes mulieres, ut visum Marcionitis, atque Pepuzianis: neque id valere duntaxat, quando præsentes sunt presbyteri & sacerdotes, verum etiam, si hi non adsint, cum laici & fœminæ omnino, absolute, & absque ulla limitatione tali facultate priventur; ac falli propterea Hugonem Grotium, qui oppositum tenet in dissertatione à se inscripta, *De Cœnæ administratione, ubi Pastores non sunt.* Neque ex dictis tantum refelluntur dogmata hæc perniciosa, & hæretica, sed etiam ex dicendis insequenti Volumine de Sacramento Ordinis, sacrorumque ministrorum charactere atque potestate. Ne igitur eadem sæpenumero repetantur, alia autem ex parte liber, in quo versamur, suis partibus constet, quæstionem propositam breviter expediemus.

Prop. I. Eucharistiam consecrare, & conficere ad solos attinet Sacerdotes.

2. Conclusio demonstr. 1. ex Institutione Christi.

Demonstratur primo. Instituens enim Christus hoc Sacramentum, Apostolis, *quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat*, ut loquitur Tridentinum sess. xxii. cap. 1. ait, *Hoc facite in meam commemorationem*, eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, præcipiens, ut panem vinumque consecrarent, & offerrent. Quod utique præceptum, si prout importat quidquid Christus fecit, id est, non distributionem & communionem tantummodo, verum etiam consecrationem atque oblationem, obstringeret omnes promiscue fideles; omnes proculdubio tenerentur sacrificare & consecrare, quod nec proferre audent hæretici, extendentes quidem facultatem, sed non præceptum istud ad laicos. Verum de hoc argumento plura Volum. vi. in libro, & capite præcitatis. II. Addit eo loci Synodus Tridentina, *uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit*, nimirum, quod innuunt producta verba Evangelii, idem confirmat perpetua Ecclesiæ traditio. Atque ad hanc traditionem comprobandam non utar apocrypha ad Jacobum fratrem Domini Epistola, ex qua depromptus est canon, *Tribus gradibus*, de Consecr. dist. 2. num. 23. neque monimentis id genus supposititiis, (quamquam & hæc priorum sæculorum interdum fidem commonstrent) sed utar apertissimis definitionibus. Concilium quippe Nicænum ad reprimendam audaciam diaconorum, qui præsumebant Eucharistiam dispensare presbyteris, *Neque regula*, inquit can. 18. *neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his qui offerunt, corpus Christi porrigant.* Similia Synodus Ancyrana, quæ Nicænam vix post annos 14. est subsecuta, canone 2. Laodiensis canone vicesimo quinto, & longe antea prima Synodus Arelatensis canone quintodecimo. In Lateranensi iv. sub Innocentio III. sic legitur: *Hoc Eucharistiæ sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiæ:* nec aliter Synodus Florentina in Instructione Armeniorum,

3. Ex Concilliis.

ac

4. Ex Patribus.

ac Tridentina citato in loco. III. Ejusdem traditionis testes sunt Patres; nam Tertullianus de Præscript, cap. 41 carpens irregularem hæreticorum disciplinam, *Et laicis*, inquit, *sacerdotalia munera injungunt*, & de Corona Militis cap. 3. scribit sumi antelucanis cœtibus Eucharistiæ Sacramentum, *nec de aliorum manu, quam præsidentium.* Epiphanius hæresi LXXIX. quæ est Collyridianorum ait, *Neque Diaconis Ecclesiastica Regula concreditum est peragere sacrificii mysterium*, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελούμενα, *sed ministrare tantum dum perficiuntur;* atque in Expositione Catholicæ fidei cap. 13. redarguit quemdam pseudomonachum, Zachæum nomine, quod, *cum laicus esset, attingere ac sacrificia celebrare nefario ac temerario ausu est aggressus.* S. Hieronymus Luciferianos exagitans negat apud eos Ecclesiam esse, quoniam Hilarius Diaconus de Ecclesia recessit, ideoque, *Neque Eucharistiam* (inquit) *conficere potest, Episcopos & presbyteros non habens: neque baptisma sine Eucharistia tradere, & cum jam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit & secta; quia post se nullum clericum Diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quæ non habet sacerdotes.* Idem Hieronymus Epistola ad Evangelum de quodam diacono sese præferente presbyteris, *Quis patiatur*, ait, *ut supra eos se tumidus Diaconus efferat, ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur?* IV. Idem

5. Ex Historia Ecclesiastica.

eruitur ex diversis Ecclesiasticæ historiæ capitibus. Nunquam enim celebratam fuisse Collectam absque presbytero consecrante docent Acta Martyrum Alutinensium, quæ tom. 2. Miscellan. edidit eruditus Baluzius. S. Athanasius Apolog. 2. impactum sibi crimen de confracto calice apud quemdam nomine Ischiram, hac ratione diluit, quod *in privata domo habitans habere non poterat poculum mysticum.* Fulbertus Carnotensis in Epistola 36. ad Guidonem Bituricensem, *extra chorum deponendum, & pœnitentia plectendum* pronuntiat diaconum, *qui se presbyterum simulavit, Missamque celebrare præsumpsit.* V.

6. Ex ipso nomine Diaconi.

Diaconos non posse Eucharistiam conficere, vel ipsum *Diaconi* nomen demonstrat. Cum enim *Sacerdos* dicatur *à sacrificando*, quoniam consecrat & sacrificat, ut inquit Isidorus lib. VII. Etymol. cap. 12. extatque cap. *Sacerdos*, de Consecrat. dist. 2. num. 1. *Diaconus* sic appellatur à verbo διακονέω, id est, *ministro*, quia ejus munus est sacerdoti consecranti inservire. Diaconus idcirco in Liturgiis Græcorum jubetur gestare sanctam oblationem, munerascilicet consecranda deferrre *à prothesi ad aram majorem*, & in antiquo pariter Ordine Romano, *suscipere oblatas de oblationario*, inservire sacerdoti divinam rem peragenti, & aliquando, ut dicam infra, Eucharistiam dispensare. Hinc Isidorus de Eccles. Offic. lib. 2. cap. 8. ait: *In sacerdote consecratio, in ministro dispensatio sacramenti est.* VI. Nemo dicat valere hæc argumenta, *ubi adsunt Pastores;* si enim ubi Pastores & Sacerdotes desiderantur, potest laicus, aut quilibet non sacerdos Eucharistiam consecrare aut offerre; quare scribit in Apologia 2. Justinus, missam per Diaconos ipsam Eucharistiam ad absentes, qui sacrificiis non poterant interesse? quare tanto studio illam deferebant laici domum & ad eremum anachoretæ, ut superiori capite dictum est? quare ad carceres martyrum cum tanto vitæ periculo accedebant presbyteri, ut coram illis sacrificarent, quemadmodum Epistola 5. narrat sanctus Cyprianus? VI. Incredibile denique est in lege veteri ad offerenda sacrificia elegisse Dominum solos filios Levi, & percussisse Oziam lepra, ac reprobasse Saulem, quando ministeria Levitarum attentaverunt; sacrificium autem novæ legis *antitypum* veterum, omniumque figurarum completivum omnibus, etiam laicis, non autem viris gratia electis, inunctis, & peculiari charactere signatis, universaliter commisisse.

7. A fortiori ex Sacrificiis L. V.

8. Objectiones.

Faciunt adversus hanc propositionem quæ sequuntur. Primum in nova lege omnes *sacerdotes* esse affirmant priori in Epistola Petrus, & primo capite Apocalypseos Joannes. Deinde Tertullianus in libro de Exhortatione Castitatis, inquit: *Nonne & laici sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum quoque nos & sacerdotes Deo & Patri suo fecit, Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tinguis, & sacerdos es tibi solus.* Idem ostendit scopus, quem sibi præfigit Tertullianus; adstruit enim ibidem *monogamiæ* necessitatem, ex quo bigami ab altaris ministerio arceantur; ideoque prosequitur: *Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas etiam disciplinam sacerdotis, ubi necesse est habere jus sacerdotis. Digamus tinguis, digamus offers? Quanto magis laico digamo capitale est agere pro sacerdote, cum ipsi sacerdoti digamo facto auferatur agere sacerdotem?* Tertia objectio probat

saltem Diaconos habere jus consecrandi, idque ex canone secundo Ancyrano, & ex Actis sancti Laurentii: canon quippe Ancyranus jubet Diaconos, qui idolis sacrificarunt, in posterum *ab omni sacerdotali ministerio cessare, panem vel calicem offerendi, vel prædicandi*; quibus proinde muneribus cæteri Diaconi fungebantur: atque Laurentius apud Ambrosium lib. 1. Offic. cap. 41. ita Xystum ad Martyrium proficiscentem allocutus est, *Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem.* Ita enim legitur in omnibus fere MSS. & editionibus Romanam antecedentibus, non, ut recitatur in Breviario, *Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.* Diaconos quidem *calicem offerre* Cyprianus affirmat in libro de lapsis, nec alio sensu, inquit Grotius, accipit verbum offerendi, nisi prout *offerre* idem est, ac *benedicere, gratias agere, consecrare.* Præterea laicis eandem competere facultatem probant exempla perspicua. Frumentius enim laicus ex Alexandria ad Indos, vel Aethiopes profectus, eos, qui eo commeaverant, hortatus est, *eo more, quo sub Romano imperio fieri solebat, & convenire, & sacra celebrare:* κατὰ τὸ Ρωμαίων ἔθος συναγείρεσθαι, τὲ ἢ ἱερὰς ἡπιτελεῖν λειτυργίας, inquit lib. 2. c. 23. H. E. Theodoretus. Similia narrantur de quodam laico Monacho, quem *verbis sanctæ oblationis panes consecrasse* testatur Sophronius Hierosolymitanus in Prato Spirituali cap. 25. Regnante denique in Galliis Carolo V. milites Bertrandi Guisclini, facta invicem peccatorum confessione, sese consecrato pane cummunicasse narrant, inquit Grotius, illius aut proximi temporis scripta. Synaxim vero à temporibus Apostolicis feciisse inter se laicos adhibita precatione, indicat Erasmus in Epistolam ad Cutbertum Tonstallum, quæ extat tomo Operum ejus tertio. Panem denique in agro à pastoribus consecratum, conversum fuisse in carnem testantur Honorius Augustodunensis in Gemma Animæ, & Albinus Flaccus in libro de divinis Officiis, apud Lupum de Præscriptionibus pag. 705. Postrema objectio militat pro fœminis, & petitur ex veteri Martyrologio, in quo ad diem pridie Kalendas Junias sic legitur: *Romæ sanctæ Petronellæ virginis. Hæc fuit filia beatissimi Apostoli Petri, quæ post multa miracula sanitatum, cum eam Flaccus Comes suo vellet sociare conjugio, tridui inducias postulans, & cum sancta Felicilla collactanea sua continuis jejuniis, & orationibus vacans, tertio celebratis Dominicæ oblationis mysteriis, mox ut Christi sacramentum accepit, reclinans se in lectulo emisit spiritum.* In Martyrologio Romano prætermissa sunt hæc verba, *Tertio celebratis divinæ oblationis mysteriis.*

Ad primum ergo respondetur omnes in nova lege dici *sacerdotes* lata significatione, quatenus Deo preces offerunt, & spiritali gratia inunguntur, prout diffuse explicavi Volumine VI. pag. 91. Ad alterum posset uno verbo responderi, Tertullianum non fuisse, ut Hieronymus ait, *hominem Ecclesiæ*, nec mirum talia scripsisse, postquam defecit ad Montanistas, à quibus etiam fœminas sacerdotio donatas affirmant qui de hæresibus pertractarunt, Epiphanius, Philastrius, & Augustinus. Sed quoniam contendunt aliqui scriptum librum illum à Tertulliano decem saltem annis, antequam deficeret ad Montanistas, ut videtur innuere Hieronymus in primo libro adversum Jovinianum, imo idem Tertullianus inter Cataphryges adscitus improbasse fertur quod hi tradebant de sacerdotio mulierum, & hujus dogmatis causa constituisse segregatum à Montanistis cæteris conventiculum; melius idcirco responderur, ipsum quoque Tertullianum locutum de sacerdotio late accepto: de quo ad Scapulam cap. 2. scripsit, *Sacrificas, quomodo præcepit Deus, pura prece*: & Apologetici 30. *Offer opimam & majorem hostiam Deo, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam.* Quod si etiam velis accipiendum Tertullianum de oblatione, quam persecutionis tempore fideles secum jam à sacerdote consecratam in cryptas latebrasque deferrent, ibique adhibitis precibus aut major natu minoribus distribueret, aut manibus suis acciperet unusquisque; neque id captu perdifficile est, aut absurdum. Verum enimvero agnoscit ibidem Tertullianus speciale sacerdotium, quod constituit *Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus*, quibus verbis Tertullianea phrasi intelligitur *origo*, & *institutio* derivata ab Apostolis, & *character* impositione manus presbyterii collatus, quemadmodum libro 2. de Euch. cap. 8. demonstrat doctissimus Albaspinæus. Neque scopus pertractantis *de monogamia* infringit hanc responsionem: nam ratiocinationis, quæ consequitur, sensus est, neminem posse promereri gratiam oratione, & fide, quæ sunt species quædam sacræ oblationis,

9. Solvitur 1ma & 2da admittens omnes esse sacerdotes.

nis, dum qui orat & credit, licet proprie sacerdos non sit, (hæreticorum enim amentia est, *ut sacerdotalia munera laicis injungant*) agit tamen *pro sacerdote*: neminem, inquam, posse gratiam promereri, nisi ita animo affectus sit, ut sese castitatis amore demonstret obeundis sacramentis idoneum. At plura de Tertulliano Albaspinæus paulo supra laudatus, Harduinus Embolo 1. de Sacram. Altaris cap. 2. & Dionysius Petavius in Diatriba *de potestate consecrandi*, quam edidit adversus Grotium.

10. 3tia Patrocinans Diaconis.

Objectio 3. de Diaconis nullius momenti est. Ancyrano quippe canone statuitur Diaconos, *qui sacrificarunt idolis*, πεπαῦσθαι πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας τῆς τὸ τὸν ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν, *cessare ab omni sacro ministerio, quod est panem & calicem deferre*, scilicet prohibitum ipsis Diaconis, inservire celebranti, & de *prothesi*, seu minore ara, portare ad altare Pontifici munera consecranda: ἀναφέρειν quippe *deferre* est; sicuti προσφέρειν, *offerre*; tametsi Dionysius Exiguus, & Chrysophorus Justellus reddiderunt *offerre* etiam pro ἀναφέρειν. Quod gratis admittimus, si *offerre* sit idem, ac *exhibere* panem, & calicem sacerdoti consecraturo; secus vero, si *offerre* idem sit, ac *offerre* Deo sacrificium, & *consecrare*. Etenim Nicæna Synodus aperte negat Diaconis potestatem inesse τῦ προσφέρειν, *offerendi* scilicet & *consecrandi*. Sensu itaque explicato Diaconus *offert*, quatenus gestat oblationem ad altare, ut animadvertimus supra; vel etiam quatenus *sanguinem ministrat*, quo sensu ait Cyprianus de Lapsis, *Calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit*: quod affirmari de sola administratione perspicuum est, quidquid effutiat & inconsiderate asserat Hugo Grotius. Eandem *sanguinis administrationem* exercuit Sixti diaconus, & martyr invictissimus Laurentius; neque illa verba, *Dominici sanguinis dispensationem* primi invexerunt editores Romani, ita enim habent antiquissima MSS. quæ superant ætatem octingentorum annorum. Cohærent insuper eadem verba Augustino de Laurentio serm. 304. dicenti, *Laurentium Romæ Diaconi officium gessisse, ibique sacrum Christi sanguinem ministrasse*. Restituerunt nihilominus Benedictini in editione Ambrosiana pro dispensatione *consecrationem*, juxta fidem complurium codicum, & editionum antiquiorum: sed idem utroque vocabulo significatur, communione enim Dominici sanguinis sanctificamur, & consecramur; & etiamnum sacerdos immittens in calicem particulam hostiæ, ait, *Hæc commixtio, & consecratio, &c.* Vide notas PP. S. Mauri Tom. 2. Ambrosii pag. 54. Ruinart in Act. Mart. pag. 170. & Cardinalem Bona lib. 1. de Rebus Liturg. cap. 25. num. 4.

11. 4ta Laicis.

Ad ea, quæ objiciuntur de laicis, teneas hanc responsionem. Theodoretus λειτουργίας nomine intellexit conventus Christianorum ad offerendas Deo preces: nam Rufinus, ex quo Theodoretus hanc historiam exscripsit, lib. 1. cap. 9. ait Frumentium negotiatoribus cum pietate educatis, qui eò navigabant, persuasisse, *Ut conventicula per loca singula facerent, ad quæ ritu Romano orationis causa confluerent*. Nec aliter Socrates lib. 1. cap. 19. & Sozomenus libro 2. cap. 24. Licet enim Act. XIII. 2. & apud sacros Scriptores *Liturgia* proprie significet ministerium sacerdotum & sacrificium; attamen aliquando eadem vox usurpatur ad ea significanda, quæ cum sacrificio quamdam habent *analogiam*, quemadmodum Apostolus Evangelium gentibus administrans, ad Rom. XV. 16. λειτουργὸς dicitur, & *spiritus contribulatus*, quoniam instar sacrificii Deum placat, *sacrificium* appellatur Ps. 1. 19. Addo Frumentium, ut apud Indos stabiliret Catholicam religionem, reversum Alexandriam à sancto Athanasio postulasse Sacerdotes ad gentis illius culturam, atque Athanasium ipsi Frumentio *sacerdotalem gratiam* fuisse impertitum, ut scribit citato in loco Theodoretus, imo, ut addunt Socrates & Sozomenus, etiam *Episcopatus honorem*, sine quo Frumentius in Indiam reversus non potuisset ordinare presbyteros, & sacris ministeriis præesse. At in historia narrata à Sophronio, si eam velimus admittere, constat ex eadem narratione contigisse maximum, inauditumque miraculum, ut laici deinceps non auderent consecrationis verba proferre: unde legitur eodem cap. 25. Prati spirit. *Tunc statuit Monachorum Senior, ut nullus addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neque passim ea quisquam diceret, quocunque tempore, absque loco consecrato.* Videsis Lupum in c. XLI. Tertulliani de Præscript. Factam vero ad rusticorum verba panis commutationem, non verborum virtuti, sed omnipotentiæ Dei punientis rusticorum ipsorum audaciam, tribuunt eo loci Honorius Augustodunensis, & Alcuinus: qui etiam hæc narrant ex incerto vulgi rumore, appositio verbo, *Dicitur, Fertur*. De militibus Bertrandi,

trandi, quamvis ea ætate serperet hæresis Novatorum, aliud non referunt ipsa scripta à Grotio producta IV. Tom. pag. 509. præterquam Sacerdotibus destitutos *loco Eucharistiæ* panem communem accepisse, ipsi pani *Sacramenti* nomen attribuentes: *Et prennoient les aucuns de iceux du pain, & le seignoyent du nom du sainct Sacrament: & le usoyent en lieu d'escommichement.* Atque hoc unum, non veram consecrationem, putat Erasmus in Epistola ad Cutbertum, feciſſe aliquando laicos temporibus Apostolorum: quæ dicta sint ad ostendendam Grotii alucinationem, quamvis nulla hac in re auctoritas insit epistolæ Erasmianæ, & historiæ Bertrandi.

11. Quæ Fœminis. De Petronilla, & Felicula, quas literatus Grotius appellat *Petronellam, & Felicillam*, respondet Petavius non haberi in Martyrologio, quod ab ipsa Petronilla celebrata fuerint *dominicæ oblationis mysteria*. Legi autem ego Acta SS. MM. Nerei & Achillei, & S. Flaviæ Domitillæ, quibus inseritur Vita SS. Petronillæ, & Feliculæ: ex quibus Actibus apparet exscripta esse verba Martyrologii. Eadem ergo Acta inter cætera hæc habent: *Pactum est autem, ut trium dierum acceptum spatium Virgo sanctis jejuniis & orationibus occuparet, habens secum sanctam virginem Feliculam collactaneam suam in Dei timore perfectam. Tertio itaque die veniens ad eam sanctus Nicomedes presbyter celebravit mysteria Christi; virgo autem sanctissima, mox ut Christi Sacramentum accepit, reclinans se in lectum emisit spiritum.* Vide Acta SS. edita ab Henschenio tom. VII. Maji pag. 420.

12. Diaconi aliquando Eucharistiam administrârunt. Propositio II. Etiam Diaconi aliquando Eucharistiam dispensarunt, præsertim sub *specie* vini, Antistitum tamen jussu & delegatione.

Dictum enim supra, transmissam per Diaconos, imo nonnunquam etiam per acolythos Eucharistiam absentibus, prout constat ex altera Justini Apologia, atque ex historia Tarsicii. Ministerium autem diaconorum fuisse olim, dum presbyteri aderant, præbere communicantibus duntaxat calicem, probatur primo auctoritate Justini, & Tertulliani, qui scribunt sumptam Eucharistiam *è manibus Præsidentium*, & Cypriani tantum affirmantis à Diaconis *oblatum calicem*. Probatur deinde ex his, quæ paulo supra diximus de S. Levita, & Martyre Laurentio, & ex his, quæ de septem Diaconis cecinit Arator:

Jura ministerii sacris altaribus apti
In septem statuere viris, quos undique lectos
Levitas vocitare placet. Quam splendida cœpit
Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Misceat, & latices cum sanguine porrigat Agni.

Idem præterea infertur ex quo Antiquus Ordo Romanus præscribat, ut ab Archidiacono *confirmentur illi, quos communicaverit Pontifex Dominico corpore:* quo in loco *Confirmationis nomine* designari *dispensationem Calicis*, dixi pagina 5. hujus Voluminis.

14. Et extra casum necessitatis & adhuc administrant sub certis conditionibus. Advertendum hic tandem est, diaconum non posse præsente presbytero Eucharistiam distribuere, ut canone 15. Concilii primi Arelatensis statuitur his verbis: *Corpus Christi præsente presbytero tradere non præsumat.* 2. Posse Diaconum dispensare Eucharistiam, si necessitas urgeat, & jubeat Antistes, ut inquit Alcuinus de divinis officiis, *In capite jejunii*, decrevitque canon 38. Concilii IV. Carthaginensis. 3. Nunquam à diacono communionem ministrandam esse presbyteris, ex præcitato canone decimo octavo Nicænæ Synodi. 4. Infirmos à presbyteris, non à diaconis esse communione reficiendos, ut habetur cap. *Pervenit*, de Consecrat. dist. 2. num. 29. ubi legitur: *Omnimodis presbyter per se ipsum infirmum communicet: quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subjacebit.* 5. Servandam denique vetustissimam consuetudinem à Tridentinis Patribus confirmatam, sess. XIII. cap. 8. *ut Laici à Sacerdotibus communionem accipiant, Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicent.*

)o(

CAPUT

CAPUT XIV.

De sanctissimæ Eucharistiæ *Communione*, ac primum de hujus præcepto.

SUMMARIUM.

1. Quid importet vox *Communio?*
2. Status quæstionis duplex.
3. Distinqui debet Manducatio Realis, & Mystica.
4. De 2da intelligendi quidam Veteres.
5. Sumptio Realis non est necessaria necessitate Medii.
6. Benè vero Mystica in re, aut in voto.
7. Circa hoc punctum non erravit Augustinus.
8. Nec opus est quadam explicatione RR.
9. Adulti ad primam obligantur præcepto Divino.
10. Præcepto Ecclesiastico saltem semel in anno.
11. Quinam anni Discretionis?
12. Quis Parochus proprius.
13. Quid sub Paschali tempore intelligendum?
14. Quænam Parochia propria?
15. Per Communionem sacrilegam non satisfit.
16. Argumenta quædam in contrarium.
17. Solvuntur.

1. Quid importet vox *Communio.*

Communionis vocabulum non semper eodem sensu ab Ecclesiasticis Scriptoribus usurpatur: aliquando enim adhibetur ad significandum consortium & societatem fidelium; aliquando ad denotandam Eucharistiæ participationem, aliquando demum ad designandum Missæ sacrificium, necnon *antiphonam*, quæ, dum fideles communicant, cantari solet à clericis. Communio accepta in priori significatione appellari solet *Communio Ecclesiastica*, qua interdum privantur qui gravioribus criminibus obstringuntur, *Excommunicati* propterea dicti. Spectant ad hanc communionem laudatæ apud veteres *communio laica*, & *communio peregrina*, quæ imperite solent accipi pro sola Eucharistiæ perceptione, quatenus laicis, aut advenis distribuitur. *Communio* enim *laica* erat pœna, qua Clerici ob patratum aliquod crimen in ordinem plebis redigebantur, nec poterant communicare cum cæteris, qui erant ejusdem ordinis: & *communio peregrina* erat illa, quæ concedebatur Ecclesiasticis, aut laicis, cum literis commendatitiis, quas *Formatas* vocabant, extra propriam diœcesim peregrinantibus: hi enim cum cæteris ordinis sui, tum in oratione, tum in Eucharistia communicabant, sed nullo dignitatis suæ munere fungebantur. Sirmondus tamen in Hist. publicæ pœnit. & Albaspinæus lib. 1. Observat. eam dicunt *communionem peregrinam*, qua clerici ob aliquod crimen in eo loco & statu collocabantur, in quo poni solebant pegrini absque literis *Formatis* vagantes. Etiam sacrificium à Nazianzeno, ab Isidoro Pelusiota, & ab aliis Patribus, laudatis à Card. Bona lib. 1. Rerum Liturg. cap. 3. num. 2. appellari solet *communio*, quasi parte usurpata pro toto, quoniam in Missæ sacrificio fit Dominici corporis consecratio & participatio: eodemque *communionis* vocabulo designatur, ut dixi, quod cantari solet, dum sacra oblatio populis distribuitur, ex vetustissima consuetudine, quam laudant S. P. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 11. Antiphonarium S. Gregorii, Ordo Romanus, Honorius Augustodunensis, & alii. *Communio* denique, de qua dicturi sumus, est sacrosanctæ Eucharistiæ perceptio, appellata in sanctorum Conciliorum decretis *Communio Dominica*, seu *Communio divinorum sacramentorum*. Hæc autem dicta sint de *Communionis* vocabulo: de quo plura Albaspinæus libro 1. de Eucharistia, Morinus lib. 2. Eccles. exercitat. Du-Cangius in Glossario, Bona de Rebus Liturgicis. Lupus in canones Nicænos, & Sardicenses, aliique viri percelebres.

2. Status Quæstionis duplex.

De hac ergo communione pertractaturus agam principio de ipsius necessitate. Diximus autem Tom. VI. pag. 59. aliisque in locis, duplicem esse necessitatem, medii scilicet, ac præcepti: neque opus est, ut hæc iterum explicemus. Eucharistiam complures necessariam putant necessitate prioris generis, adeo, ut sine illa nemo possit, sive adultus sit, sive parvulus, consequi salutem æternam. Tenent hanc opinionem quidam Græcorum apud Arcudium lib. 3. Concordiæ cap. 40. & Calviniani, cæterique Novatores passim, contendentes hanc fuisse sententiam veterum omnium Patrum, maxime S. P. Augustini disputantis adversus Pelagianos. Idem

de Augustino, necnon de Innocentio I. Romano Pontifice scribunt Sanctesius Repetit. 6. cap. 7. & Maldonatus in caput VI. Joan. v. 54. ut mittam Adamum, & Morainem, quos cap. IV. Vindiciarum §. 4. refellit eximius Norisius. Duplex itaque hinc oritur quæstio; una *dogmatis*, scilicet an quis salvari possit absque Eucharistiæ perceptione, altera *facti*, an parti affirmanti adhæserit Augustinus, sitque eam ob rem reprehendendus. In quæstione dogmatis conveniunt omnes, affirmantes communionem actu perceptam necessariam non esse *necessitate medii* ad salutem; & aliqui duntaxat necessariam putant communionem in voto, permoti auctoritate D. Thomæ 3. p. q. 73. art. 3. quæ tamen alia ratione explicatur à Sylvio, & à multis Thomistis. Circa autem quæstionem facti, falsissimum est Augustinum existimasse, quod parvuli suscepto baptismate salvari nequeant absque actuali SS. Eucharistiæ communione, ut demonstrarunt Pallavicinus in Hist. Concilii Trident. lib. 17. cap. 12. Bona lib. 2. Rerum Liturgic. cap. 19. & ex Nostratibus Norisius citato loco Vindiciarum, Desirant in Præscript. Euch. lib. 3. cap. 4. Piette de Eucharist. q. 8. ut mittam recentiores Theologos Jueninum, Tournelium, Witassium, Trivellatium, & alios.

3. Distinqui debet manducatio Realis, & Mystica-

Facile autem dirimi possunt hæ controversiæ, si distinguamus duplicem Corporis Christi manducationem, *realem* nempe, quæ fit sumendo Eucharistiam, & *mysticam*, quæ fit adoptatione in mysticum Christi corpus, id est, Ecclesiam. De mystica communione proculdubio loquitur Augustinus lib. 3. de Peccatorum meritis & remiss. cap. 4. num. 8. scribens: *Numquid & illud ambiguum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei? ... Numquid & illud, Quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est, participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? His, atque hujusmodi aliis, quæ nunc prætereo, testimoniis divina luce clarissimis, divina auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur?* Fulgentius etiam, quem Augustini mens latere non potuit, in Epist. ad Ferrandum Diaconum cap. 11. quibusdam verbis Augustini productis, *Arbitror*, inquit, *disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec quidquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis, calicisve consortio; etiamsi, antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.* Hæc Fulgentius: cujus verba adeo sunt manifesta, ut penitus dirimant controversiam, nec sinant quemquam de mente Augustini hæsitare. Quare Fulgentii producto textu Eminentissimus Bona ait: *Hinc colligitur, sensum Augustini non bene ab illis perceptum fuisse, qui perperam eum accusant, quod Eucharistiam parvulis necessariam ad salutem esse docuerit contra Ecclesiæ definitionem, quæ hanc sententiam inflicto anathemate condemnavit.* Alter pariter Vaticana purpura, & doctrina conspicuus, id est, Cardinalis Pallavicinus, *Hodiene*, inquit, *primum in schola innotuit, intellectum fuisse ab Augustino caput sextum S. Joannis non de ipsa solum in re susceptione Eucharistiæ (sive etiam de illa intellectum ab ipso fuerit, necne, de quo disceptatur, nec nostra interest) sed de conjunctione, qua nobiscum Christus mystice fit unum corpus per baptismum ac fidem?* Hæc ille citato cap. 12. num. 8. De ipsamet mystica communione loquitur apertissime S. Innocentius I. in Epistola ad Patres Milevitanos, inter Augustinianas 182. olim 93. num. 5. hæc de Pelagianis scribens: *Illud vero, quod eos vestra Fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum.* His verbis Norisius refellit Maldonatum, & Pallavicinus Erasmum, Suavem, & Centuriatores, qui scribunt non solum Augustinum, sed etiam Innocentium putasse Eucharistiam infantibus necessariam; cum tam Innocentius, quam Augustinus negent solummodo posse vitam æternam conferri sine baptismate.

4. De 2da intelligendi quidam Veteres.

Hæc, quæ diximus de mystica corporis Christi manducatione, demonstrant quo sensu veteres quidam Scholastici affirmarunt Eucharistiam esse unicuique, etiam parvulis, necessariam ad salutem.

salutem. Interpretati sunt enim cum Augustino, & Innocentio ea verba, *Nisi manducaveritis, &c.* de manducatione spiritali, animumque intenderunt ad rem sacramento significatam, sive ad unitatem Ecclesiæ, non ad actualem sacramenti communionem. Hæc certo tradit S. Thomas q. 73. art. 3. ubi ait, *rem hujus sacramenti esse unitatem corporis mystici, sine qua non potest esse salus.* Nec de Angelici Doctoris mente potest dubitare, qui legerit nonum articulum quæstionis LXXX. in qua, ubi definivit Eucharistiam dandam non esse parvulis, & amentibus, ita in responsione ad 3. concludit: *Nec tamen per hoc aliquod detrimentum vitæ patiuntur, propter hoc quod Dominus dicit Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quia, sicut Augustinus scribit Bonifacio, tunc unusquisque fidelium corporis, & sanguinis Domini particeps fit, scilicet spiritualiter, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur.* Unum est, quod ad memoriam arbitror revocandum, Augustinum nempe accepisse quidem hæc verba, *Nisi manducaveritis &c.* pro manducatione mystica, sive incorporatione in Ecclesiam, dum ageret contra Pelagianos; sed ulterius explicasse eadem verba, (neque uno in loco) de communione Eucharistica, prout monui supra pag. 180. Jamvero, quamvis ex prænotationibus istis facillimum sit de necessitate Eucharistiæ proferre sententiam, & sensum assequi verborum Augustini, quæ solent in contrarium torqueri; subjectis tamen thesibus quidquid in disputationem cadit, enucleabo.

Thesis I.

5. Sumptio Realis non est necessaria necessitate Medii.

Eucharistia non est omnibus prorsus, sive adultis, sive parvulis ita ad salutem necessaria, ut nullus omnino possit sine illa salutem consequi. Probatur primo; nam parvuli per baptismum regenerantur in Christo, & constituuntur filii Dei, & regni cœlestis hæredes, ut ostendimus libro XXXI. cap. 25. si ergo ex hac vita migraverint, priusquam ratione ac libertate utentes gratiam & innocentiam in baptismo acceptam amiserint, minime privabuntur filiorum Dei hæreditate. Deinde nunquam Ecclesia credidit Eucharistiam *absolute* parvulis necessariam: hujusque perpetuæ fidei argumentum est invictissimum, quod nunquam aut laici, aut mulieres Eucharistiam cæteris dispensaverint, cum tamen baptismum contulerint urgente necessitate: quod abeunte in desuetudinem communione parvulorum, nullus Patrum scripserit denegari illis necessarium salutis remedium: quod aliquando consueverit Ecclesia negare lapsis etiam in exitu mortis communionem sacramentalem, eoquod non sit *viaticum* tam necessarium, quam reconciliatio & absolutio, prout demonstrat præstantissimus Lupus ad Nicenum canonem tertium decimum. Tridentina denique Synodus sess. XXI. cap. 4. docet parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem, producta ratione illa apertissima, quam initio posuimus, quoniam scilicet *per baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati adeptam jam filiorum gratiam in illa ætate amittere non possunt.* Declarat ibidem sanctissimos Patres, qui etiam parvulis Eucharistiam administrarunt, *sui facti probabilem causam* pro illius temporis conditione habuisse, atque id feciisse *nulla salutis necessitate:* & canone 4. ejusdem sess. concludit: *Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Quod autem opponunt hæretici, dixisse Dominum, *Nisi manducaveritis, &c.* probat tantum necessitatem præcepti obstringentis adultos; nisi accipiantur hæc verba de communione mystica paulo supra explicata, quo sensu spectare ad parvulos docet S. Pater, ut dixi tom. VI. & nunc iterum repetam.

Thesis II.

6. Bene verò Mystica in re aut in voto.

Si accipiatur manducatio corporis Christi mystico sensu, quatenus idem est, ac Ecclesiæ copulari, est omnino, aut in re, aut saltem in voto de necessitate salutis. Probatur 1. quoniam extra unitatem Ecclesiæ non potest haberi salus. Probatur 2. quia S. Pater Augustinus probat adversus Pelagianos, parvulos à vita æterna excludendos, *nisi manducaverint carnem filii hominis*, lib. 1. de Peccat. meritis & remiss. cap. 20. libro 2. contra duas Epist. Pelagianor. c. 4. lib. 3. contra Julianum cap. 1. aliisque in locis: neque Augustinus solus, verum etiam Innocentius Primus ad Patres Milevitanos, necnon Gelasius in Epistola ad Episcopos per Picenum. Atqui nequeunt intelligi de manducatione sacramentali, ut constat ex thesi præcedenti. Intelligendi ergo sunt de manducatione mystica & spiritali, sive de

Incorporatione in Ecclesiam. Denique S. Thomas 3. p. quæst. 73. art. 3. inquit: In Eucharistia duo possunt considerari, res, & sacramentum. *Dictum est autem, quod res hujus sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus: nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam; sicut nec in diluvio absque arca Noe, quæ significat Ecclesiam, ut habetur 1. Petri.*

Thesis III.

7. Circa hoc punctum minimè erravit Augustinus.

Non erravit Augustinus adstruens communionem corporis, & sanguinis Domini singulis, etiam parvulis, necessariam, siquidem de communione mystica, non de sacramentali sermonem instituebat. Etenim Tridentina Synodus docet distributam quidem à Patribus olim Eucharistiam infantibus, sed *nulla necessitate:* quod falsum esset, si Augustinus inculcasset necessitatem *communionis sacramentalis.* Quod si dixeris Augustinum à doctrina Patrum cæterorum recessisse; idem tibi affirmandum erit de Romanis Pontificibus Innocentio, & Gelasio eandem Augustini sententiam tenentibus in prælaudatis Epistolis decretalibus. Atque ipsemet Augustinus in Epistola 186. ad Paulinum n. 29. scribit non à se tantum, sed etiam *ab Apostolica Sede* fuisse adhibitam illam sententiam, *Nisi manducaveritis, &c.* adversus Pelagianos promittentes parvulis sine baptismo denatis æternam vitam: laudatque insuper Innocentii Epistolam lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 4. num. 7. & libro 1. contra Julianum cap. 4. num. 13. Si ergo erravit Augustinus, errarunt pariter Innocentius, & Gelasius; nec Tridentini Patres mentem antiquiorum sunt assecuti. Præterea locutum Augustinum *de adoptatione in Ecclesiam* tradunt Theologi præclarissimi supra commemorati, & in lectione Augustinianorum Operum versatissimus, beatus Fulgentius. Deinde novum non est, nec insolitum apud Augustinum appellare *manducationem corporis Christi* unitatem Ecclesiæ, fidem charitate formatam, & mansionem in Christo: nam lib. 3. de Peccat. meritis cap. 4. docet, pavulos non posse habere vitam extra Christi corpus, *cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur:* sermone *ad infantes* laudato à Fulgentio scribit, unumquemque fidelium *corporis sanguinisque Domini participem fieri,* quando in baptismate efficitur membrum Christi; & Tractatu xxvi. in Joannem num. 15. ait. *Hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia;* ac paucis interjectis distinguit apertissime *sacramentum à re sacramenti*, ut fecit postmodum S. Thomas; atque demum in hanc sententiam concludit: *Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere.* Similia leguntur cap. *Quid* est, de Consec. dist. 2. num. 46. deprompto ex Beda in 1. ad Corinth. Ex his, ut verbis utar Norisii, error de necessaria pueris præter baptismum reali Eucharistiæ sumptione à recentioribus Augustino attributus in fumum evanescit.

8. Nec opus est aliqua RR. explicatione.

Me non latet adinveniri inter recentiores, qui putant Augustinum accipiendum esse de *communione sacramentali*, propterea quod utrumque distinguat, baptismum, & manducationem Dominici corporis; recte tamen ex illo testimonio, *Nisi manducaveritis, &c.* confutasse Pelagianos, quia non ex propria mente asserebat Eucharistiam esse parvulis necessariam ad habendam vitam æternam, sed ex sententia, & hypothesi ipsorum Pelagianorum. At si attente legeris Augustinum, atque laudatas Epistolas Innocentii & Gelasii, percipies sanctum Parentem, Romanosque Pontifices eo pacto demonstrasse parvulos sine manducatione corporis Christi excludendos à vita æterna propter Dominicam sententiam, *Nisi manducaveritis, &c.* quemadmodum demonstrarunt expellendos absque baptismate à cœlesti regno propter sententiam alteram, *Nisi quis renatus, &c.* Hypothesis autem Pelagianorum, ut diximus lib. xiii. cap. 1. & 8. erat distinguere regnum cœlorum à vita æterna: ob quam distinctionem vanam, atque fictitiam, Augustinus præter baptismum urgebat etiam Dominici corporis communionem, atque ita adversarios perstringebat: Duo in Evangelio leguntur, videlicet, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* &, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* Necessum est ergo, ut baptismo renascatur, qui intraturus est in regnum cœlorum, & Christo incorporetur, qui fruiturus est vita æterna. At parvuli sine baptismo decedentes, neque sunt renati ex aqua & Spiritu sancto, neque incorporati sunt Christo. Igitur iidem parvuli tam regno cœlorum, quam vitâ æternâ privantur.

Thesis IV.

Thesis IV.

9. Adulti obligantur ad primam præcepto D.

Adulti tenentur præcepto divino ad sacramentalem communionem. Christus enim Eucharistiam instituens ait Apostolis, *Hoc facite &c.* id est, *Consecrate, comedite, distribuite;* ideoque divinum præceptum est, ut Sacerdotes percipiant communionem sacramentalem, eandemque distribuant laicis. Præterea inquit Dominus, *Nisi manducaveritis, &c.* quæ verba non solum explicantur à Patribus de communione mystica unicuique necessaria, sed etiam de communione reali, præscripta iis, quibus necessarium est spirituale alimentum, ut in Christo permaneant. Eruitur hinc ratio; cum enim caro Christi *vere* sit *cibus*, & sanguis ejus *vere* sit *potus;* vitam spiritalem nequaquam custodit quisquis spernit, & negligit divinum hoc nutrimentum. Dicam vero de ejusdem frequenti usu proximo c. XVII.

Thesis V.

10. Præcepto Ecclesiastico saltem semel in anno.

Ecclesiastico præcepto adulti ad communionem sacramentalem tenentur saltem semel in anno, recurrente solemnitate Paschali. Constat ex cap. 21. Concilii Lateranensis IV. in quo his verbis id statuitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Et Tridentinum sess. XIII. can. 9. *Si quis negaverit omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ; anathema sit.*

11. Quinam anni Discretionis?

Circa hoc præceptum de communione Paschali quæri potest, quinam dicendi sint ad annos *discretionis* pervenisse: quis sit *proprius Sacerdos*, à quo percipienda sit communio: quid veniat nomine *Paschatis*; & an huic præcepto satisfiat ab eo, qui communicat extra propriam *Parochiam.* Ad primam quæstionem dico, illum ad usum discretionis, quantum ad communionem attinet, pervenisse, qui non solum ratione utitur, & prolabitur in venialia peccata, ut censent plurimi apud Joannem Sanchez Abulensem disputatione inter selectas vicesima sexta, sed qui insuper idoneus est ad corpus Domini dijudicandum, divinique mysterii percipit magnitudinem, ætatis scilicet *inter annum decimum, ac duodecimum.* Principio enim usus rationis non est ad res singulas ejusdem energiæ; atque aliud est exercere in rebus humanis facultatem arbitrii, aliud vero ad res divinas comparatum esse, atque idoneum. Deinde ætatem illam grandiusculam, annorum saltem decem, requirunt Theologi cum D. Thoma in IV. dist. 9. q. 1. præscribunt Acta Mediolanensis Ecclesiæ S. Caroli P. IV. Instruct. de Sacrament. & perantiquum Carmen laudatum à Martenio lib. 1. de Antiq. Rit. cap. 4. art. 10. n. 14. atque à Joanne Pontasio v. *Communio* num. 1.

Non pueris infra bis quinque manentibus annos
Des Corpus Domini, quamvis sint corpore puri;
Quid sumant cum ignorent: ergo prohibentur.
Excipe quos urget fera mors; annis licet bis sint
Octo, sive novem, vel septem, dum sibi constet
Scire Pater noster, *& eorum vita probata.*

Accedit praxis Ecclesiæ, quæ puerorum minorem ætatem agentium audit utique Confessiones, sed illos non admittit ad participationem sacrosancti divinique mysterii.

12. Quis Parochus prius?

Proprius Sacerdos, ut ad quæstionem alteram veniamus, est Parochus, & quisquis eo jubente Sacramenta dispensat. Verum licet in cap. *Omnis utriusque sexus*, proprio Sacerdoti dicatur facienda peccatorum confessio, ab eoque suscipienda communio; non tamen est de Communione & de Confessione eadem ratio. Satisfacit enim Confessionis annuæ præcepto, qui confitetur etiam Regularibus *simpliciter* ab Ordinario approbatis; quoniam Episcopus, (qui & ipse *proprius Sacerdos* est) dum impertitur audiendæ confessionis facultatem, non excludit Paschale tempus: ideoque qui eo temporis adit Confessarium quemlibet approbatum, recipit Sacramentum, *proprio Sacerdote* annuente. Damnavit propterea Joannes XXII. in Extravaganti, *Vas electionis*, sententiam Joannis è Poliaco Doctoris

Parisiensis, qui irritas pronuntiabat confessiones factas Paschali tempore Regularibus. Quare rigidiores quidam Theologi propugnantes necessitatem Confessionis faciendæ Parocho, saltem in Paschate, & negant Episcopum *proprium Sacerdotem esse*, & audacter ab Orco revocant damnatam Joannis de Poliaco sententiam; prout animadvertit Notificat. XVIII. primi Voluminis Summus Pontifex BENEDICTUS. Id vero, ut dixi, de communione non tenet; quoniam exceptionem hanc Romani Pontifices semper apposuere, declarantes non satisfieri extra Parochiam præcepto annuæ communionis. Clemens enim VIII. anno 1592. adversus quosdam Galliarum Parochos sancivit posse utique sæculares confiteri peccata sua Regularibus idoneis, & ab Ordinario approbatis, sed ea conditione expressa, *Dummodo tamen iidem sæculares Christifideles, sacramentum Eucharistiæ die festo Paschalis resurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho sumant.* Et Clemens X. Constitut. *Suprema*, pariter declaravit, *eos qui Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit*, Omnis utriusque sexus, *quoad confessionem duntaxat omnes satisfeciisse censendos.*

13. Quid sub Paschali tempore intelligendum?

Quale sit *tempus Paschale*, aperte explicavit in Constitutione XX. quæ incipit, *Fide digna*, Eugenius IV. his verbis: *Intelligimus optimo jure satisfactum esse canoni, si in hebdomada sancta, vel infra octavam Paschæ resurrectionis Dominicæ, secundum meliorem dispositionem conscientiæ, fideles præparatione debita sanctum Eucharistiæ pignus accipiant, & cum Domino Pascha celebrent ad salutem; & huic sententiæ omnes volumus acquiescere.*

14. Quænam Parochia propria?

Denique communionem percipiendam esse *in propria Parochia*, ut impleatur Ecclesiasticum præceptum, constat ex laudatis definitionibus. Oriri tantum hic possunt dubiola quædam, E. G. an, qui habet duo domicilia, quod neque canonicis, neque civilibus legibus repugnat, communicare possit in utraque Parochia, cui domicilia illa subjiciuntur: & an satis sit communicare in Metropolitana, aut Cathedrali Ecclesia, quando hæc non est Parochialis. At ad dubium primum communis est, & certa responsio, communicandum in ea Parochia, in qua tempore Paschali communicaturus habitat. Ad alterum respondet præcitata Notif. sapientissimus, & vigilantissimus Ecclesiæ Pastor, non adimpleri Ecclesiasticum præceptum, si quis propria neglecta Parochia communicet in Cathedrali, cum nec Romæ sufficiat communicare in Ecclesia Lateranensi, quæ mater & caput est cæterarum. Hujus ratio assignari potest, quod *Parochiæ* nomine intelligitur *districtus Ecclesiæ presbyteri*, ut demonstrat in Glossario Du-Cangius; tum, quod communicando agnoscitur Pastor proximus & immediatus: demum, quod Ecclesia vult dignoscere filios præceptum hoc adimplentes, & censuris animadvertere in pervicaces; difficulter autem hoc posset deprehendere, si communicaturi omnes confluerent ad Cathedralem.

Thesis VI.

15. Per Communionem sacrilegam non satisfit.

Per communionem sacrilegam non adimpletur Ecclesiasticum præceptum thesi superiori propositum. Probatur primo, quoniam Innocentius XI. anno 1679. damnavit hanc num. IV. propositionem: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem:* ex qua proscriptione sequitur, nunc probandum non esse judicium Sylvii scribentis in 3. p. q. 80. art. 11. quæst. 2. damnandos non esse *qui partem affirmativam sequuntur*, quod vir doctissimus pronuntiavit de auctoribus, qui ante Innocentii tempora floruerunt. Deinde ante Innocentium innumera prodiere decreta, quibus cautum est, ne ad Eucharistiam admittantur qui *confessione peccatorum* non fuerint præmuniti, ut statuit Synodus Lingonensis anno 1452. Burdigalensis an. 1582. Bituricensis anno 1584. aliæque apud Natalem Alexandrum de Euch. cap. 1. art. 5. Regula 9. Præterea Ecclesia sacramentalem Communionem præcipiens non promulgavit novum præceptum, sed latum à Domino, atque divinum; addiditque duntaxat explicationem, atque determinationem temporis, ut ab omnibus observetur; ac proinde nullum dubium est, quod intendat talem communionem præcipere, qualem Christus ipse præcepit, animæ scilicet proficuam, atque vivificam. Insuper quisquis indigne manducat corpus Domini, ejusque sanguinem indigne bibit, *judicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini*, ut inquit Apostolus 1. ad Corinth. XI. 29. At qui corporalem cibum eo modo deglutiret, ut sibi mortem inferret, non servaret, sed frangeret præceptum sustentandi ac nutriendi vitam corporis. Igitur qui ita dentibus premit sacramentum, ac panem

panem vitæ, ut anima sibi judicium arcessat, non servat, sed infringit præceptum sumendi hunc cibum, quo ipsius animæ spiritalis vita nutritur.

16. Argumenta quædam in contrarium

Adversus hanc thesim militant argumenta, quæ sequuntur. Primum est, quod plurimorum sententiâ nequit Ecclesia præscribere actus internos; ideoque sacrilege in Paschate communicans frangit quidem divinum præceptum, sed non Ecclesiasticum. Alterum, quod per confessionem sacrilegam satisfit præcepto annuæ Confessionis; ergo & per sacrilegam communionem impletur præceptum communionis Paschalis. Tertium, quod Ecclesia *substantiam* actus, non *modum* ejus præscribit, sive determinat tempus agendi, quod Christus præcepit. Dummodo ergo ponatur actus in tempore ab Ecclesia statuto, Ecclesiasticum præceptum minime violabitur. Proximum argumentum est, quod sacrilegium nequaquam impedit, quin Sacerdos accepto stipendio satisfaciat obligationi Missæ celebrandæ: nec simulatio, quin suscipiatur baptismus; nec peccati macula, quin satisfiat operibus in satisfactionem injunctis. Postremo, frustra datur præceptum, cujus transgressio nec potest cognosci, nec potest puniri à præcipiente.

17. Solvuntur.

Respondetur ad primum, sententiam eorum, qui censent non posse Ecclesiam præcipere internos actus, falsam esse, & à nobis improbatam ac refutatam libro xx. cap. 15. Ad hæc præceptum, de quo est quæstio, non est solummodo Ecclesiasticum, verum etiam divinum. Insuper, etsi detur Ecclesiam non præscribere universim internos actus, eos tamen, omnium fere consensu, præcipit, qui ita conjuncti sunt cum externis, ut si separentur, externi actus habere nequeant rationem virtutis; quemadmodum præcipiendo orationem vocalem præcepit quoque attentionem, præcipiendo, ut conficiatur, vel suscipiatur sacramentum, præcipit etiam deliberationem animi, præcipiendo, ut audiatur missa, præcipit ulterius, ne ad Ecclesiam quis accedat pravo aliquo fine, nec, dum res sacra peragitur, animus ad alia voluntarie distrahatur, prout post Cajetanum, Soto, Suaresium, Lessium, Dianam quoque, cæterosque benigniores, docet Sylvius citata quæst. 2. tom. 4. pag. Venetæ edit. 277. necnon Dominicus Viva in Propositionem XIV. ex damnatis ab Alexandro VII. ac ratio apertissima, quæ in præsenti etiam casu vim habet, innititur rationi virtutis, quæ consistere nequit absque interiori animi actu: ideoque præcipiens actum virtutis præcipit necessario actum interiorem eidem virtuti conjunctum. Quod sequitur, continet propositionem XIV. nuper commemoratam, & confixam ab Alexandro VII. quæ talis est, *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Idcirco hac propositione thesis nostra corroboratur, & hujus, atque proscriptæ ab Innocentio eadem est ratio, ut recte observarunt, qui in propositiones à Romanis Pontificibus damnatas ediderunt commentaria, Dominicus Viva laudato in loco, Bartholomæus Riccius disput. 49. & Pius-Thomas Milante exercitat. XXXI. secundæ partis. Proximum diluitur ex dictis; *modus* enim cadit sub præcepto, quotiescunque talis est generis, ut actus virtutis nequeat sine illo exerceri. Proximum argumentum expeditur facillime: nam sacrificium Missæ suum habet valorem *ex opere operato:* Baptismi *character* non est cum simulatione insociabilis; atque ad virtutum officia, sive sint opera satisfactionis, sive alterius generis, minime requiritur, uti demonstratum est adversus Bajum libro XVIII. cap. 2. & libro XXI. cap. 4. gratia *habitualis* & sanctificans, sed sufficit actualis. Non faciunt ergo hæc tria exempla ad rem nostram, & optime ad singula respondet Aurelius Piette quæst. 7. de Eucharistia, quæ in sexto Operum ejus Tomo tenet priorem locum. Possunt præterea exempla eadem retorqueri; siquidem si desit intentio & interior animi deliberatio, neque offertur sacrificium, neque baptismus perficitur, neque aliquid promerentur opera satisfactionis. Postremum denique argumentum omnino nullum est: nam etsi præcepto Ecclesiæ nequeat animi interna pravitas cohiberi, potest tamen unusquisque ab Ecclesia reprehendi, corrigi, & proprii officii commonefieri, ideoque præceptum illud non est inutile, quemadmodum inutilia non sunt monita, & consilia, quæ suaderi possunt, compellere & invitos coercere non possunt.

CAP. XV.

CAPUT XV.

Utrum necessum sit, vel saltem expediat, ut laici *sub utraque specie* communicent?

SUMMARIUM.

1. Antiqua consuetudo.
2. Hac deficiente facti motus.
3. Differentes Orthodoxos.
4. Composuit Tridentinum.
5. Diversi Articuli quæstionis.
6. Communionem sub utraque specie non esse necessariam necessitate medii probatur ex Scriptura.
7. Item
8. Exemplo Christi.
9. Ex Actibus Apostolorum.
10. Ex Tridentino.
11. Ratione.
12. In Ecclesia Occidentali ante Sæculum 12. una species dabatur in Communione Domestica: infantibus: infirmis.
13. Subinde etiam in Communione publica: præsertim in Anglia.
14. Idem aliquando factum in Ecclesia Orientali.
15. Sub utraque specie Christus integer continetur.
16. Utraque species non confert plus gratiæ, quàm una,
17. Meritò Laicis ablatus Calix.
18. Nec expedit hunc iterum illis admittere.
19. Objectio prima ex Scriptura.
20. Solvitur explicatione.
21. Altera ex fine Communionis
22. Solvitur distinctione Eucharistiæ, ùt est Sacrificium, & ùt est Sacramentum.
23. Tertia ex traditone antiquitatis.
24. Probat factum aliquando, non semper.
25. Quarta sumpta ex ratione convivii corruit ex dictis n. 15.

Antiqua Consuetudo.

AD controversiam hanc diluendam præmittendum censeo, neminem Catholicorum negare quin ab Ecclesiæ primordiis ad sæculum usque duodecimum laici passim sub duplici *specie* communicaverint. Non opus est, ut id Bucerus Resp. 2. ad Latomum, Plessæus lib. 1. de Missa cap. 12. aliique hæretici demonstrare conentur. Fatetur Bellarminus Controversiarum scriptor egregius lib IV. de Euch. cap. 24. *ministrasse sub duplici specie veterem Ecclesiam, quando Christiani erant pauci.* Ruardus Tapperus tom. 2. pag. 328. id observatum ait *longissima consuetudine.* Alphonsus à Castro, ex quo per multa sæcula hæc consuetudo obtinuerit, Tit. *Eucharistia,* hæresi 13 argumentum depromit ad demonstrandum quod porrigere laicis Eucharistiam sub utraque *specie* non sit *contra Evangelicam institutionem.* Lindanus denique libro IV. Panopliæ cap. 56. hoc idem aperte fatetur dicens, *utraque species passim per Occidentem communicabatur diu postea in annum usque millesimum ducentesimum.* Recentiores Theologi non solum id ingenue fatentur, sed etiam demonstrant, præ cæteris Joannes Mabillon Præfat. 1. in sæculum 3. Benedictinum, Jacobus Benignus Bossuet in libro de Communione *sub utraque specie*, Estius dist. XII. §. 7. Gaspar Juenin de Eucharistia q. 8. cap. 4. art. 2. aliique permulti. Apostolicis temporibus frequenter administratam utramque *speciem* infertur ex verbis Apostoli in 1. ad Corinth. XI. 28. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* De temporibus proximioribus testem habemus Justinum in altera Apologia, ubi ait distributum *cuique præsenti panem, & vinum, in quo gratiæ actæ sunt.* Viguisse eundem morem ætate Cypriani & Ambrosii, aperte eorum scripta demonstrant. Sæculo V. Leo Primus, & Gelasius utramque *speciem* in publicis synaxibus præscripserunt, de qua re postmodum. Plura exempla ad commostrandam consuetudinem proximiorum sæculorum producit Mabillon ex Actis S. Odiliæ Abbatissæ, & S. Anscharii Bremensis Archiepiscopi, ex libro 2. Consuetudinum Cluniacensium, ex Opusculo quadragesimo septimo Petri Damiani, atque ex monimentis aliis antiquitatis. Commemorat etiam vir eruditissimus calices pro communione laicorum paratos, in quorum unum extat distichon apud Gerbertum epistola XC.

Hinc sitis, atque fames fugiunt, properate fideles:
Dividit in populos has Præsul Adalbero gazas.

Consuetum etiam fuit aliquando porrigere ægris præsertim, ac pueris *panem intinctum*, de qua re dixi nonnulla capite tertio pag. 116. istam vero consuetudinem fuisse necessario in laicorum communione servandam, imo & servatam semper negamus, asserentes nullum frangi præceptum, nec derivare in laicos

eos aliquid detrimenti, si communicent sub una duntaxat *specie*.

2. Hac deficiente facti motus.

Posteaquam ergo vetusta consuetudo abierat in desuetudinem, & ubique fere locorum communicantes unam tantum *speciem* sumebant, nullo in Occidentali Ecclesia reclamante, circa annum 1414. Petrus Dresdensis Ludimagister, suffultus operâ Jacobelli Misnensis. qui Pragæ magno auditorum plausu conciones sacras habebat, asserere cœpit necessariam laicis communionem sub utraque *specie*, ut in Historia Bohemorum cap. 35. narrat Æneas Sylvius Piccolomineus. Hausit ab his errorem Joannes Hus, eique adhæserunt dicti ab eodem Hussitæ, præsertim qui Roquesane duce ab usu calicis appellati sunt *Calixtini*. Ipsam calicis necessitatem persuasit Carolostadius circa annum 1521. Ecclesiæ Withembergensi: quod ægre tulit Lutherus, affirmans communionem sub utraque specie *inter res indifferentes* annumerandam, ut constat ex epistola quam scripsit adversus reformationem Carolostadii. Sed parum Lutherus sibi constans anno 1523. in libro *de forma Missæ*, ait se nequaquam Generali Concilio assensurum, si vel utramque *speciem*, vel unam præscriberet; sed recepturum unam tantum, si Concilium decerneret sumendam utramque, contra probaturum utramque, si unam Concilium statueret: quod contentiosissimi ac superbissimi animi evidens indicium est. Deinde in libro de Captivitate Babilonica affirmavit teneri sacerdotes ad utramque *speciem* populo distribuendam, populum vero posse pro libitu aut utramque, aut unam accipere: ac postremo in libro de Visitatione Saxonica communionem sub una *specie* aperte damnavit. His accessere hæretici alii negantes in sacramento concomitantiam sanguinis Domini cum ejus corpore, præsertim Calvinus lib. IV. Institut. cap. 17. num. 47. & sequentibus, ac Hermannus Hamelmannus, qui pro communione sub *utraque specie* pugnavit acerrime. Consentiunt præterea hæreticis nonnulli ex Græcis recentioribus, qui ut ait Arcudius libro 3. concordiæ cap. 50. pag. 320. ritum communicandi sub utraque *specie*, qui olim ἀδιώφορος habebatur, retinent ut fidei dogma, præeunte Hieremia Patriarcha, qui in Epilogo Censuræ suæ inter eos, quos appellat *abusos Romanæ Ecclesiæ*, connumerat communionem unius *speciei*, ita alloquens Withembergenses: *Primum utriusque speciei participes esse oportere dicitis, & recte quidem:* Φατὲ οὖν πρῶτον, ὅτι μεταλαμβάνειν δεῖ καὶ ἀμφοτέρων τῶν εἰδῶν, καὶ καλῶς λέγετε. Hinc Callixtus Helmestensis librum edidit, in quo probare conatus est nunquam Orientales communicasse sub una *specie*; sed Callixtum egregie confutavit Nihusius in Annotationibus ad Dissertationem Leonis Allatii de Missa Præsanctificatorum.

3. Differentes Orthodoxos.

Ex Orthodoxis scriptoribus nonnulli in ea fuerunt sententia, quod ersi ad salutem utraque *species* non sit necessaria, ex utriusque tamen *speciei* communione uberior gratia percipiatur. Steterunt pro hac sententia in Tridentino Concilio Melchior Canus, Antonius Uglioa Franciscanus Hispanensis, & Sigismundus Fedrius ejusdem Ordinis, ut refert Pallavicinus in Historia Concilii libro XII. cap. 2. num. 5. eandemque opinionem post Alexandrum de Ales, & Arboreum propugnavit Gabriel Vasquez in 3. p. quæst. 80. disput. 215. cap. 2. Eo loci Vasquez citat pro eadem sententia Casalium nostrum libro 2. de Cœna & Calice Domini: sed falso: Casalius enim eodem libro cap. 25. tam hujus sententiæ, quam oppositæ productis argumentis pag. 161. inquit. *quæ sententia, seu opinio istarum est magis probabilis? Alia est quæstio, & de qua modo nihil agimus, nec quidquam agere intendimus.* Imitatus est vir doctus Tridentinos Patres, qui, auctore citato in loco Pallavicino, noluerunt hanc quæstionis partem definire. Et ego quidem hanc silentio præterirem, nisi animadvertens Ecclesiam studuisse semper fidelium suorum utilitati, crederem ex communione unius *speciei* nullum consequi vel minimum detrimentum, cum sub utraque *specie* totus Christus contineatur; quæ est sententia S. Thomæ citata quæst 80 art. 12. omnium discipulorum ejus, Gabrielis Biel lect. 14. in canonem Missæ, Ruardi Tapperi in Explicat. articul. Facult. Theologicæ Lovanienſis art. 15. Estii in IV. dist. XI. §. 7. communior denique, & longe probabilior, quam sit opposita. Complures insuper in Tridentino Concilio, etiam nomine summorum Principum, postularunt, ut ad sedandos animos Bohemorum, & præripiendam Novatoribus ansam conviciandi Romanæ Ecclesiæ, restitueretur cuique usus calicis, sublatus an. 1415. decreto Concilii Constantiensis, & anno 1437. definitione Concilii Basileensis. At Tridenti-

4. Composuit Tridentinum.

ni Patres re diligenter considerata sess. XXI. definierunt nequaquam teneri omnes ac singulos fideles ex Dei præcepto, vel necessitate salutis ad utramque sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti *speciem* sumen-

sumendam; totum & integrum Christum omnium gratiarum fontem & auctorem sub unica *specie* contineri & sumi; atque sanctam Ecclesiam Catholicam justis causis fuisse adductam, ut laicis, & non conficientibus clericis unam duntaxat *speciem* concederet, quod à Conciliis Basileensi & Constantiensi jam, ut dixi, fuerat definitum adversus Hussitas, & Calixtinos; in fine autem sessionis XXII. Tridentina Synodus declaravit spectare ad prudentiam & auctoritatem Romani Pontificis examinare, an usus calicis ob rationes Christianæ charitati consentaneas alicui vel nationi, vel regno sit concedendus, & efficere quidquid utile Reipublicæ Christianæ ei visum fuerit. Ut igitur in gravissima hac controversia servemus cum brevitate perspicuam methodum, omniaque comprehendamus, quæ veniunt in disputationem, inquiremus primo, an communio sub utraque *specie* sit ex Christi præcepto necessaria ae salutem; deinde, an inviolabiliter ad sæculum usque XII. in Ecclesia Occidentali obtinuerit; postmodum, an disciplinam eandem constantissime servaverit Orientalis Ecclesia; deinceps, an in una *specie* totus Christus contineatur, posthac, an sumptio utriusque *speciei* gratiam conferat ampliorem; tum vero, an ex justis causis laicis usus calicis sublatus sit; denique an expediat modo antiquatum eundem usum instaurare.

7. Diversi articuli quæstionis.

6. Communionem sub utraque non esse necessariam necessitate medii vel Præcepti Probatur ex Script

Prop. I. Neque divinum præceptum, neque salutis necessitas exigit, ut laici sub utraque *specie* communicent.

In institutione quippe sanctissimæ Eucharistiæ illa tantum verba proprie sonant præceptum, quæ leguntur apud Lucam XXII. 19. & apud Paulum in 1. ad Corinth. XI. 24. *Hoc facite in meam commemorationem*: alia enim, *Accipite, sumite, bibite*, apud Matth. XXVI. 27. & Marcum XIV. 22. prolata à Domino sacra oblata porrigente, sunt potius verba distribuentis & invitantis, quam jubentis atque præcipientis: vel si præceptum continent, hoc ad eos tantum spectat, qui præsentes erant, id est, duodecim Apostolos, *tunc constitutos Sacerdotes novi Testamenti*, & ad sacerdotes reliquos, quibus pariter, ut consecrent, & distribuant, commissum est. Atqui illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, utpote absolute tantum post Dominici corporis distributionem prolatis, non præcipitur *utriusque speciei* distributio. Igitur ex Evangelica historia narrante institutionem sanctissimæ Eucharistiæ non colligitur præceptum *utramque speciem* distribuendi. Præterea Apostolus optimus interpres hujus institutionis, atque præcepti, alloquens Corinthiacam Ecclesiam, omnesque in ea fideles laicos & clericos, & instituens orationem de specie panis *absolute* profert eadem verba, *Hoc facite, &c.* loquendo autem *de specie vini* illa repetit cum dererminatione, *Quotiescunque bibetis*, dicens, *Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem.* Igitur communio sub *specie* vini non *absolute* à Domino præcepta est, sed de ea jussum tantummodo, ut si fiat, *quotiescunque* fiat, in Domini commemorationem fiat. Vide Estium dist. XI. §. 7. & in Paulum tom. 1. pag. 325. Idem colligitur ex quo Apostolus paulo infra versu 27. ejusdem capitis ita disjunctive loquatur: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, &c.* non enim sic loqueretur, nisi sentiret unam *speciem* sine altera sumi posse. II. Ex cap. 6. Joannis constat communione unius tantum *speciei* æternam vitam conferri: nam legitur vers. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: versu pariter 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Sumptio igitur utriusque *speciei* ad consecutionem sempiternæ vitæ omnino necessaria non est. III. Utuntur etiam nostrates exemplo Christi, qui sub una *specie* fertur sacramentum distribuisse Cleophæ, & alteri discipulo, euntibus in Emmaus, qui, ut inquit Lucas cap. XXIV. 35. *Cognoverunt eum in fractione panis.* Urgent hoc argumentum Ruardus Tapperus tom. 2. pag. 327. Costerus in Enchiridio cap. 14. Bellarminus libro IV. de Euch. cap. 24. & recentiores passim. At negant hæretici hanc fuisse manducationem *sacramentalem*, quod prorsus non esse diximus & nos supra pag. 149. Vossius præterea disput. V. de Cœnæ symbolis conatur nobis hoc argumentum eripere, quoniam si *sacramentalis* fuisset ea cœna, sequeretur etiam sacerdotibus posse panem solum præberi, cum duo isti discipuli, ut Pontificii agnoscunt, fuerint ex LXX. quos Christus in Judæam miserat ad Evangelium prædicandum. Sed persistit tamen vis argumenti, sive dicas revera eam cœnam fuisse *Sacramentalem*, quemadmodum tenent Augustinus l. 3. de Cons. Evangelistarum cap. 25. Isychius Jerosolymit. lib. 2. in Levit. cap. 9. & Theophylactus in cap. 24 Lucæ, sive dicas

7. Item.

8. Exemplo Christi.

fuisse

fuisse cœnæ *sacramentalis* figuram, quod à nullo hominum negari potest. Nec Vossi argutatio probat aliquid, nam & nos fatemur sacerdotibus *non conficientibus* sufficere *speciem* unicam. Subtilius aliquid Vossius dixisset, si objectasset sequi ex facto Christi, quod consecrari possit una duntaxat *species*, ut fecit Dominus, qui porrecto pane ab oculis discipulorum evanuit: sed hæc objicienti responderetur eo facto non immutasse Christum institutionem in ultima cœna factam, nec sacrificium obtulisse; sed commonstrasse singulari exemplo, quod una tantum *species* distribui valeat; nec mandasse, ut idem discipuli facerent, sicuti mandavit Apostolis in cœna postrema, ut consecrarent, offerrent, comederent, distribuerent: quamobrem docet Ecclesiæ praxis, & postulat ratio sacrificii, ut diximus pag. 143. ne fiat consecratio sine oblatione, neque oblatio sine consecratione calicis; cum tamen alia sarificii, alia autem sacramenti sit ratio. IV. Utuntur etiam Catholici auctoritate Actuum Apostolorum, ubi cap. 11. 42. & xx. 7. legimus conveniisse fideles *ad frangendum panem*; nam hisce in locis sermonem esse de communione Eucharistica fatentur ipsi quoque adversarii, Lutherus in serm. de Euch. & Calvinus lib. IV. Institut. cap. 17, §. 35. Respondent utique Novatores istic *sub fractione panis* etiam poculi distributionem signari κατὰ σύνεκδοχήν; ac scripturas sub panis nomine intelligere universam hominis alimoniam, quæ in cibo, & potu consistit. Verum id gratis asserunt, quandoquidem Lucæ XXIV. 35. *fractio panis* nulla ratione potum includit, siquidem, ut dixi, Christus pane porrecto statim ex oculis discumbentium evanuit. Sed de hoc loco plura in Acta Apost. pag. 152. Joannes Lorinus. V. Tridentinum Concilium sess. XXI. can. 1. sic veritatem hanc definivit: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit.* Hujus autem definitionis ratio manifesta desumi potest ex dicendis paulo infra in IV. & V. propositione. VI. Ne interim hoc loco prætermittamus quodlibet Theologicum ratiocinium; fieri non potest, ut sublata re ad salutem penitus necessaria, fideles omnes aquiescant, nec instent, ut sibi quamprimum restituatur. Quis enim asserere audeat singulos, ignaros, doctos, laicos, Ecclesiasticos, in tantam cæcitatem, in tantum propriæ salutis contemptum devenire posse, ut præcepti divini oblivionem atque neglectum propria, aliorumque pernicie patiantur irrepere? At decursu sæculi XIV. priusquam Petrus Desdrensis utriusque *speciei* necessitatem intrudere conaretur, obtinebat in tota Occidentali Ecclesia usus unius *speciei*; nullus laicorum alteram flagitabat; nullus presbyterorum calicem porrigebat, nullus Theologorum necessarium hunc esse propugnabat: imo cum adhuc obtinebat *intincta*, & fideles sumebant utramquem *speciem*, persuasum erat Catholicis *speciem* unam sufficere, ut constat ex testimonio Guilelmi Episcopi Catalaunensis vita functi sæculo XII. & anno 1120, quod ex vetusto membraneo Codice edidit Præfat. 1. in sæc. III. Bened. num. 75. eximius Mabillon. Nulla est ergo jactata à Petro Desdrensi communionis sub utraque *specie* necessitas.

9. Ex actibus Apost.

10. Ex Tridentino.

11. Ratione.

Propositio II. In Ecclesia Occidentali etiam ante duodecimum sæculum Eucharistia frequentissime sumebatur sub unica *specie* panis.

12. In Ecclesia Occidentali ante Sæculum 12mum una species dabatur in Communionibus Domestica:

Quod diximus supra de antiquo calicis usu, non ita accipiendum est, ut frequentissime non communicarent laici sub una tantummodo *specie*. Factum id in communione domestica infertur ex Tertulliano, qui in libro ad Uxorem cap. 5. haud obscure innuit solum consecratum *panem* fuisse domi asservatum: idem constat ex his, quæ Ambrosius narrat de obitu fratris sui Satyri, & quæ de Eucharistia diu servata diximus præcedenti cap. 22. *Nullum, qui utramque speciem domi servaret, aut sumeret, novi laicum, nisi Gorgoniam Nazianzeni Gregorii germanam*, inquit in dissert. de S. Leonis IX. actis Christianus Lupus tom. 3. pag. 703, Gorgoniæ id concessum ob ejusdem sanctimoniam, erectum domi altare, fratrisque ac patris præclara merita. II. Infantibus unam vini *speciem* concessam apparet ex illustri miraculo puellæ, quæ contaminata pane & mero ex immolationibus idolorum, *os labiis obturantibus* porrectum à Diacono calicem recusavit; & reluctanti infusus sanctificatus in Domini sanguine potus *de pollutis visceribus erupit*, ut narrat S. Cyprianus in libro de Lapsis pag. novæ edit. 381. Administratum puerulis sacramentum sanguinis *digito sacerdotis intincto*, constat ex Hugone Victorino lib. 1. de Sacram. cap. 20. & ex antiquis Pontificalibus laudatis à Martenio

Infantibus.

Infirmis.

tenio lib. 1. cap. 1. art. XV. num. 15. & art. XVIII. Ord. 14. III. Infirmis porrectam interdum *unicam speciem*, constat ex *Vita* Ambrosii à Paulino Diacono conscripta ad S. Patrem Augustinum, ubi num. 47. de Honorato Vercellensi legitur, *Obtulit Sancto Domini corpus: quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens.* Cluniacenses Monachi infirmis dabant ante annos sexcentos unam *speciem panis* madefactam vino non consecrato, asservabantque pro viatico absque specie vini quatuor hostias *in pyxide*, & *in aurea columba super altare pendente*, ut narrat Udalricus lib. 1. Consuetud. Cluniacens. cap. 8. & lib. 3. cap. 28. Unica *specie* communicasse Monachos S. Columbani morti proximos constat ex ejusdem vita in Sæculo 2. Benedict. n. 29. Extant apud Eminentissimum Bonam lib. 2. Rerum Liturg. cap. 18. num. 1. aliosque Scriptores, versus Rodulfi Abbatis, qui vivebat anno 1110.

Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter ægris,
Aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi,
Nam fundi posset leviter, simplexque putaret,
Quod non sub specie sit totus Jesus utraque.

13. Subinde etiam in communione publica.

IV. Etiam in communione publica porrectam aliquando *speciem* unicam evincitur ex historicis monumentis. Hieronymi enim tempore sacræ virgines à vino abstinentes calici non communicabant, & ideo mulieres ingurgitantes se vino, *Absit*, ajebant, *ut ego me à Christi sanguine abstineam*; & si quam videbant pallentem atque tristem, vocabant *miseram*, *Monacham*, & *Manichæam*. Vide S. Doctoris Epist. 22. ad Eustochium, in edit. Benedict. num. 18. S. Bernardus in præcipuis solemnitatibus unam *speciem* distribuebat, ut constat ex facto cujusdam Monachi, qui indignus accedens non potuit sacram hostiam *ad interiora trajicere*, & post horam sextam ad pedes S. Patris obvolutus *aperto ore ipsam quoque Eucharistiam ostendit*. Narratur id in Vita Bernardi à Guilelmo Abbate conscripta, lib. 1. cap. XI. num. 51. Etsi in consecratione Episcopi ex antiquo ritu commemorato in Ordine Romano, & in Epistola 2. S. Fulberti Episcopi Carnotensis ad Finardum, Consecrato danda sit etiam communio calicis, ei tamen tribuebatur integra oblata, seu *hostia*, ex qua post communionem perceptam, quod residuum erat reservabat sibi ad communicandum unoquoque die usque ad diem quadragesimum, ut quotidiana cœlestis panis alimonia illud tempus memoria repeteret, quo per quadragenos dies Dominus discipulis apparens, & convescens refecit illos desideratæ visionis satietate: ideoque erat hæc novi Episcopi quotidiana communio *sub unica panis specie*. V. Perantiquum fuisse in Angelia usum *unius speciei* colligitur ex Hist. Venerabilis Bedæ lib. 2. cap. 5. ubi narrat idololatras quosdam dixisse Pontifici Eucharistiam post Missarum solemnia distribuenti, *Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri nostro dabas, & populo adhuc in Ecclesia dare non desistis?* De quo loco vide Lindanum in libro IV. Panopliæ cap. 56. & in altera parte Apologiæ cap. 40.

Præsertim in Anglia.

Prop. III. Etiam in Orientali Eccle. sia obtinuit aliquando communio sub una duntaxat *specie*.

14. Idem aliquando factum in Ecclesia Orientali.

Quantum enim spectat ad communionem parvulorum, Græci dant recens baptizatis Eucharistiam, imbuentes tantummodo vini guttulâ ipsorum linguam, ut demonstrat Arcudius in Concordia lib. 3. cap. 40. pag. 278. Micas Eucharistici panis, quæ post celebrata Missarum solemnia supererant, distributas feria quarta, vel sexta pueris Grammaticorum scholas frequentantibus, idque ex vetusta consuetudine, narrant Evagrius lib. IV. Hist. Eccl. cap. 36. pag. edit. Valesii 411. & Nicephorus lib. XVII. cap. 25. pag. 772. quod & fatetur Calixtus Halmetensis §. 36. Exercitationis suæ adversus *Transsubstantiationem*. II. De infirmis habetur apud citatum Arcudium pag. 334. regula Eliæ Metropolitæ Cretensis, ut communio accomodetur πρὸς τὴν ἀσθένειαν αὐτῶν, *ad ipsorum ægrotantium infirmitatem*, nimirum, si comedere nequeant, solus eis ministretur potus Eucharisticus: ac Serapioni in exitu vitæ porrectam fuisse exiguam panis particulam *in aqua intinctam*, legitur apud Eusebium lib. VI. H. Ec. cap. 44. pag. 246. Valesianæ editionis. III. In persecutione Eucharistiam domi sumptam ab unoquoque, & ab iis, qui per eremum vitam monasticam instituebant de suis manibus perceptam, scribit S. Basilius epist. 289. ad Cæsariam Patriciam, loquens proculdubio *de specie panis*, quam sacerdos in manus fidelium tradebat, ut vel ori admoverent, vel secum illam deferrent. IV. In Missa *Præsanctificatorum*, quam & Latini ex vetusta consuetudine celebrant feria VI. in Parasceve, Græci autem in Quadragesima sæpius, solam panis

nis *speciem* absumunt. Ajunt quidem hæretici absumi utramque *speciem*, vel quia idem panis fuit antea sanguine intinctus, vel quia in Missa *Præsanctificatorum* ei superinfunditur vinum, quod consecratur præsanctificatæ oblationis contactu; & ideo, inquit Hottingerus, plurali numero *Præsanctificata* dicuntur, & communiter τὰ ἅγια λείψανα, δῶρα. Sed facillimum est Hottingerum refutare, tum quia præcedens illa intinctio apud omnes Græcos non fit, tum quia exsiccato pane, vini *species* desinit & evaporat, ut recte observarunt Allatius de VIII. Synodo Photiana cap. 14. & Nihusius de Commun. Oriental. §. IX. solus autem contactus nequit efficere de non consecratis consecrata: & ideo appellantur *Sancta dona* plurali numero, & quia in plures particulas dividuntur, & quia sub unica *specie* tam corpus, quam sanguis absumitur. Legi potest opusculum Joannis Matthæi Caryophili Archiepiscopi Iconiensis ad art. 17. Confessionis Calvinianæ editæ sub nomine Cyrilli Patriarchæ Constantinopolitani. V. Apud Maronitas, cæterosque Orientales communicare sub unia *specie* rusticos, pastores, & ægrotos, qui Ecclesiam adire non possunt, constat ex Epistolis Abrahami Eechellensis, & Gabrielis Sionitæ ad calcem Operis Allatiani de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione. Apud Coptos-Jacobitas ægros non communicare sacro calici omnibus compertum est, auctore in Appendice ad Patriarchas Alexandrinos sect. 3. num. 205. erudito viro J. B. Sollerio.

15. Sub utraque specie integrum Christum contineri, probatur.

Prop. IV. Sub utraque *specie* continetur totus, & integer Christus.

Sequitur hæc propositio ex Catholico *transsubstantiationis* dogmate, si enim sub *specie* panis est corpus Christi, corpus autem Christi post resurrectionem est immortale, vivens, constans substantialibus partibus, & animæ, ac divinitati *hypostatice* conjunctum; profecto fieri non potest, ut sit alicubi corpus Domini, neque sit ibidem sanguis, anima, divinitas, ac tota Incarnati Verbi Persona. Quare necessum est, ut propositionem istam rejicientes in plura hæresum capita consentiant; negentque in Christo unam individuamque personam, & in divino mysterio panem illum vivum, *qui de cœlo descendit*. Invictissimum etiam hujus veritatis argumentum est, quod Christus accepto pane affirmavit dare se discipulis corpus suum, quod in mortem quamprimum tradendum erat, ac pariter accepto calice asseruit præbere eundem sanguinem, qui in remissionem peccatorum effundebatur. Tunc vero corpus illud vivebat, & sanguis erat in eodem corpore vividus. Quare in postrema cœna cum suo corpore sanguinem, & cum sanguine corpus distribuit; idque pari consecutione nunc est dicendum, cum nobis Christus tradat corpus & sanguinem, quæ obtulit in cruce, & quæ post resurrectionem iterum fuerunt animæ conjuncta. Non ergo necesse est, ut multa de hac quæstione dicamus, quæ refutatis Sacramentariis, obvia est, ac planissima. Plura tamen de ea tradunt Scholastici in IV. dist. X. & qui sequuntur D. Thomam, 3. p. quæst. 76. art. 2. Bellarminus lib. IV. de Euch. cap. 21. & alii. Merito inter fidei decreta hanc veritatem recensuerunt sacrosancta Concilia, Constantiense sess. XIII. Florentinum in Instruct. Armenorum, & Tridentinum sess. XIII. cap. 3. & sess. XXI. cap. itidem tertio. Optime priori in loco Tidentinum ait, *statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie una cum ipsius anima & divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem.* Mire hæc verba illustrant & corroborant rationem nuper productam. Hinc etiam infero, quod si Apostoli in triduo mortis Christi panem vinumque consecrassent, quoniam tunc Domini corpus separatum erat à sanguine, & utrumque ab anima, extitisset *sub specie panis* corpus sine anima & sine sanguine, ac *sub specie vini* sanguis sine anima & sine corpore; quæ tamen in resurrectione Domini propter prædictam copulationem iterum conjuncta fuissent. Atque ita etiam docet S. Thomas cit. quæst. 76. art. 2. & lib. IV. contra Gentes cap. 64.

16. Utraque species, non confert plus gratiæ quàm una.

Prop. V. Communicanti *sub utraque specie* non confertur amplior gratia, quam, conferatur communicanti sub unica.

Enimvero, ut demonstratum est modo, ac definivit Tridentina Synodus sess. XXI. can. 3. *sub una tantum specie* continetur totus & integer Christus fons

omnium gratiarum, & auctor. Absumens ergo *unam speciem*, nisi accedat ad sacram mensam indignus, adhæret Domino, Christus in eo permanet, eique confertur gratia cap. v. Joannis vers. 57. manducanti carnem ipsius Christi, & bibenti sanguinem repromissa. Deinde tota virtus carnis & sanguinis Christi est à divinitate illis *hypotastice* conjuncta: si ergo tam *sub una specie*, quam *sub utraque* recipiuntur caro, & sanguis unita divinitati, tam sub una, quam sub duplici specie continetur eadem virtus sacramenti. Atque hinc est, quod præcitato cap. 6. Joannis idem prorsus effectus tribuitur modo carni, & sanguini, ut versu 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*; modo autem carni duntaxat, aut pani, ut versu 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Præterea, quamvis in utriusque speciei communicatione duo symbola, quorum utrumque gratiam confert, suscipiantur; eadem tamen symbola causant gratiam ratione rei, quam continent: si ergo eadem res communicatur tam *in una*, quam, *in duplici specie*, participatur quoque eadem omnino gratia. Neque enim quidquam officit, quod in absumptione utriusque *speciei* bis eadem res contenta distribuatur, aut eædem *species* habeant significationem, rationemque diversam; siquidem in bina illa absumptione fit una communio ac spiritalis refectio, in qua proinde *species* altera eo prorsus modo se habet, ac dum sacerdos post sacrificii hostiam plures absumit particulas; quo in casu uberiorem gratiam non recipit, nisi forte *ex opere operantis*, & ob repetitos actus devotionis; quod etiam in communione *speciei unius* fieri potest. Etsi vero duæ *species* habent diversam rationem; quantum tamen ad rem attinet, ejusdem sunt efficaciæ; quoniam *species panis* repræsentat corpus, quod reapse est unitum sanguini, ac *species vini* sanguinem, qui actu corpori permixtus est: efficacia autem hujus sacramenti, ut dixi, inest symbolis ratione rei, quam continent, & significant. Hæc arbitror ad propositam v. thesim definiendam sufficere: sed qui plura desiderat, adeat Bellarminum lib. IV. de Euch. cap. 23. Sylvium in 3. p. q. 80. art. 2. Joannem Cochlæum, & Hoffmeisterum in Harmoniam Confess. Augustanæ pag. 413. & seq. & Gasparum Casalium lib. 2. de Cœna & Calice Domini cap. 25.

17. Merito Laicis ablatus Calix.

Prop. VI. Jure optimo, atque omni æquitate non sacerdotibus usus calicis sublatus est.

Hæc propositio ratione ista suadetur. Quod ad salutem necessarium non est, & spectat *ad solam disciplinam*, si ob hæreticorum pervicaciam tamere & audacter propugnetur ad prava dogmata stabilienda, omni jure à Rectoribus Ecclesiarum, qui pro temporum, & locorum circumstantia immutare possunt quæ pertinent *ad disciplinam*, antiquatur & inhibetur. Talis est usus calicis, quem ad æternam salutem non esse prorsus necessarium constat ex sacris literis, ex Conciliorum definitionibus, atque ex omnium sæculorum consuetudine, juxta quam, iis quoque temporibus, quando utriusque *speciei* communio erat frequentior, parvulis, & ægrotis, necnon illis, qui non poterant adire Ecclesiam, solebat portigi unica tantum *species*: ex alia autem parte Novatores usu calicis abusi sunt ad dogmatizandum, quod sub una *specie* non sit Christus integer; quod sit Pontificiorum commentum asserta in panis symbolo concomitantia sanguinis, & sub specie vini præsentia corporis; quod si priventur *specie* altera, defraudantur fideles necessaria spiritus alimonia. Igitur Rectores Ecclesiæ omni æquitate servata usum calicis pro non sacerdotibus abrogarunt. Id præstitisse Concilia, Romanosque Pontifices, non *absolute*, sed ob prædictum abusum, & ob arrogantiam atque perfidiam hæreticorum inde evincitur, quod tempore Concilii Constantiensis celebrati an. 1415. & subsequentibus aliquot annis, ministri omnes altaris communicabant *sub specie utraque*, ut fatetur Ruardus Tapperus tom. 2. pag. 342. necnon Gerardus Vossius tom. 6. pag. 446. Post Synodum quoque Basileensem Romanus Pontifex aliquando *sub utraque specie* laicos communicavit, prout inquit in Epist. 7. ad Bohemos data anno 1452. Nicolaus Cardinalis Cusanus. Præterea nunquam Ecclesia Romana Græcos & Orientales damnavit, propterea quod passim absumant utrunque symbolum: ac Tridentina Synodus, ut supra diximus, declaravit spectare ad Romanum Pontificem examinare, an expediat, necne laicis pérantiquum communionis usum permitte e. Ipsamet Basileensis Synodus eundem usum Moravis, Bohemisque concessit, ea lege, ut *sub qualibet specie totum adesse Christum* faterentur; idemque Germanis, ad prudentiam & arbitrium Episcoporum, an. 1564. indulsit Pius IV. ut narrat Raynaldus ad

eun-

eundem annum, num. 32. Cum ergo Concilia, & Pontifices Romani communionem calicis haberent tanquam indifferentem, cur illam, quæso, interdixerunt, nisi ut eâdem sublatâ facilius prava hæreticorum dogmata extirparentur? Accesserunt autem his causæ aliæ quamplurimæ, nimirum pristini ritus desuetudo; tempore enim Concilii Basileensis trecenti prope fluxerant anni, ex quo *sub una specie* laici communicabant, ut ostendit in Oratione sua, quæ extat tom. XII. Conc. pag. 1057. Joannes de Ragusio: necessitas deferendi viaticum infirmis quacunque hora: abstemiorum multitudo: periculum effusionis in magna præsertim populorum frequentia: difficultas conservandi *speciem vini* absque eo quod acescat; atque, ut causas alias omittam, consensio fere omnium Catholicorum, & irrationalis illorum hæreticorum præsumptio, qui calicem Domini symbolum pacis, & unitatis sacramentum, fecerunt tesseram schismaticæ divisionis; quemadmodum demonstrarunt Cardinalis Cusanus in Epistolis ad Bohemos, & Hoffmeisterus noster in Confessionem Augustanam loco superius laudato.

18. Nec expedit hanc iterum illis admittere.

Prop. VII. Non expedit iterum laicis permittere sublatum calicis usum.

Si enim id expediret, foret maxime, ut per hanc Ecclesiæ benignitatem divulsæ à nostra Protestantium Ecclesiæ redirent ad unionem. At causa separationis non est sola pristinæ consuetudinis abolitio, sed pravitas dogmatum, & pertinacia doctrinæ integrum Christum *sub una specie* negantium. Præterea vel Novatores usum calicis existimant ad salutem necessarium, vel retinent tanquam ritum indifferentem. Si necessarium putant, cur illis in tam absurda opinione assentiamur? Si vero credunt indifferentem; cur potius ipsi non recedunt à variabili disciplina, ut obtemperent veræ Ecclesiæ statutis, nec ab ea separati sacrilege & inutiliter participent sacramenta, quæ *extra unitatem Corporis Christi* nequeunt prodesse? Insuper, cum Romani Pontifices, ac præsertim Pius IV. quibusdam per Germaniam laicis calicem concessisset; tali humanitate adeo quidam abusi sunt, ut hoc prætextu damnatam Jacobellianam hæresim suscitarent: quod impulit S. Pium V. & Gregorium XIII. ad concessionem Pii IV. revocandam, ut narrat ad annum 1564. num. 36. Raynaldus. Cum etiam Martinus V. in festo Paschatis communicasset laicos *sub utraque specie*, atque hos inter medicum quemdam Bohemum; cœpit is postea gloriari probatam tandem ab ipso Romano Pontifice hæresim Jacobelli: quod impulisse Martinum, ut deinceps in solemnitate Paschali ritum hunc prætermitteret, literis prodidit Henricus Kalteisen Archiepiscopus Nidrosiensis in disputatione contra Bohemos, apud Canisium Tom. IV. p. 2. Antiq. lectionum. Etsi denique non omnes, quibus restitueretur usus calicis, inducerentur in impiam illam, hæreticamque opinionem, quod *utraque species* necessaria sit ad salutem, atque in una non contineatur totus Christus; alii tamen hæretici in suo firmarentur errore, & jactarent Romanam Ecclesiam sententiam suam retractasse, nec esse rerum credendarum Regulam irrefragabilem. His, & consimilibus rationibus Oratores illi, qui in Tridentina Synodo nomine quorumdam Principum instabant pro usu calicis restituendo, persuasi, & instructi à petitione sua recesserunt: quamquam prudentissime Synodus sacrosancta declaravit pertinere ad supremum Ecclesiæ Pastorem expendere, ac decernere quid hac in re sit agendum; ut diximus paulo supra.

Ad Haereticorum argutias.

19. Objectio prima ex Scriptura.

Partite definitis, comprobatisque hisce thesibus, non erit laboriosum ea diluere, quæ solent opponi ab hæreticis. Urgent priori loco adversum nos ea testimonia Scripturæ, quæ videntur præscribere singulis, etiam laicis, corporis sanguinisque communionem. Hujus generis sunt, quæ leguntur Joan. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* ubi occurrit particula *Et*, utramque præcepti partem æqua ratione complectens, utrumque symbolum proponens. Deinde quemadmodum Christus panem porrigens inquit Matth. XXVI. 26. *Accipite, & comedite;* ita versu proximo porrigens calicem ait, *Bibite ex hoc omnes;* atque ne à calicis potu excludantur laici, addidit prætermissum supra signum universale, *OMNES.* Et quidem repræsentabant in ultima cœna Apostoli universam Ecclesiam, nec ambigendum est, quin *ad omnes* pertineat impositum illis præceptum. Paulus etiam ex traditione Domini *utramque speciem* commendat in prima ad Corinth. XI. 24. 25. ubi tam de pane, quam de calice ait Dominum dixisse, *Hoc facite in meam commemorationem:* quod Apostolus repetens versu 26. inquit: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini*

mini annuntiabitis donec veniat. Versu etiam 28. ait: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Superiori capite x. 16. 20. dehortans ab idololatria Corinthiacam Ecclesiam longe maximam partem ex laicis collectam, sic eam affatur, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Ibi autem removet Apostolus à cultu simulacrorum argumento ex calicis communione deprompto.

20. Solvitur Explicatione.

Resp. frustra nobis opponere Novatores caput sextum Joannis, quod eorum plerique accipiendum esse contendunt *de manducatione fidei, non oris,* qua scilicet credamus carnem Christi pro nobis crucifixam fuisse, effusumque sanguinem ejus in remissionem peccatorum, ut præ cæteris Calvinus lib. IV. Institut. cap. XVII. num. 6. & Sacramentarii, de quibus supra pag. 272. Nullam præterea habet vim argumentum, si cum Augustino, Innocentio, & Gelasio illa verba, *Nisi manducaveritis, &c.* accipiantur de mystica manducatione, qua per sacramentum regenerationis Ecclesiæ inserimur, & effuso pro nobis sanguine abluimur. Corruit pariter argumentum, si dicamus *sub specie panis* sumi etiam sanguinem per venas in corpus diffusum; siquidem nec hæretici, qui nobis opponunt perantiquum usum *panis intincti*, defendere possunt necessitatem proprie *bibendi*, seu vini seorsum & separatim sumendi. Sed, ne recedamus à communi firmissimaque responsione, negamus illis verbis, *Nisi manducaveritis, &c.* contineri præceptum sumendi *utramque speciem* divisim. Enimvero effectus, qui utrique *speciei* adscribitur, etiam uni tantum tribuitur, ut docet Synodus Tridentina sess. 21. cap. 1. & nos supra prop. 1. demonstravimus. Quare in illo textu particula *Et* potest optime accipi *disjunctive* ob contextus apertissimos ejusdem capitis sexti: tametsi retineat vim propriam atque nativam, quatenus manducans carnem & *panem vivum*, sumit etiam sanguinem, & *sub una specie* totum Christum contineri firmissime credit. Quod sequitur solutum est Tom. 6. pag. 90. ubi ostendimus verba Christi cœnam instituentis ad solos Apostolos segregato in loco discumbentes, & ad sacerdotium promotos, fuisse directa: quare non alia ratione repræsentabant illi totam Ecclesiam, nisi eo ferme pacto, quo Primates & Magistratus repræsentant Rempublicam. Nil proinde ex cap. XXVI. Matthæi inferri potest, nisi munus sacerdotibus impositum consecrandi & distribuendi Eucharistiam: neque enim quæcunque Christus instituit, & fieri voluit, ad omnes æqualiter attinent, aliàs essent omnes in Ecclesia Doctores & Pastores, neque ullum esset inter Clericos, laicosque discrimen. Neque vero ait Christus Apostolis, *Distribuite calicem*; imo nec eo consecrato, eumque porrigens dixit, *Hoc facite*, sed tantummodo inquit, *Bibite ex eo omnes*; ut inde sacerdotes colligerent jussum utique sibi, ut de calice biberent, & sacrificium consummarent, sed non, ut calicem distribuerent. Hoc enim postremum nec mandavit, nec prohibuit, quoniam illorum arbitrio mutanda, & dirigenda reliquit, quæ non sunt omnibus necessaria, sed pertinent ad consuetudines, vel ceremonias. Ea itaque verba, *Bibite ex eo omnes*, dicta sunt ad singulos sacrificantes: idque appositè annotarunt plurium Versionum auctores, qui ita exscripserunt, *Bibite eo eo omnes vos:* hanc siquidem lectionem exhibent v. tom. Polyglot. Walt. pag. 136. Syriaca, Arabica, Aethiopica. Perperam itaque Novatores extendunt τὸ *Omnes* etiam ad laicos. Maldonatus in cap. 26. Matth. scribit, ideo in fractione panis Dominum non dixisse, *Accipite omnes*, quoniam ipsemet panem fregit, & sigillatim unicuique distribuit: econtra dixisse, *Bibite ex eo omnes*, quia calicem uni tantum tradidit, ut is proximiori, & iste alteri ad ultimum usque porrigeret, unde apud Lucam cap. 22. Dominus dixisse fertur, *Dividite inter vos.* Ingeniosa est hæc observatio, ac valet plurimum ad revincenda hæreticorum sophismata; quare ibidem Maldonatus miratur expositores alios tam commodam interpretationem non advertisse; quamquam revera advertit etiam Erasmus, insertus Volumini VI. Criticorum sacrorum pag. 865. Theophylactus in Matth. pag. 162. opinatur ea verba, *Bibite ex eo omnes*, dicta fuisse propter Judam, qui porrectum sibi panem non comedit, sed occultavit: quod refero tantum, ne hoc videar prætermisisse. Ex Apostolo autem hæretici inepte argumentantur: nam in I. ad Corinth. cap. XI. versu 25. non præcipit, ut quisque calicem bibat, sed tantum, ut *quotiescunque biberit*, id faciat in Christi commemorationem, abigens veteris legis sacrificia, & mysteria legis novæ à communi mensa secernens. Similiter

versu 28.

versu 18. nil aliud mandat, nisi ut sacramenta, quando suscipiuntur, digne suscipantur. In capite pariter præcedenti nihil intendit aliud, nisi quod nemo possit servire idolis, & participare Christiana mysteria, nec simul spectare ad conventicula Satanæ, & ad corpus mysticum Christi; cujus tamen unitatem commonstrari participatione *unius symboli* docet ipsemet Paulus eodem cap. x. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* At de mente Apostoli supra propolit. 1.

21. Altera ex fine Communionis.

Pergunt objectare Novatores: Communio percipienda est *in commemorationem* passionis Christi, ut inquit citato cap. xi. Apostolus. At passio Christi non commemoratur sola communione panis, quia hæc non repræsentat sanguinem effusum, & à corpore separatum. Igitur communio solius panis non est ea communio, quam Christus percipiendam esse mandavit. Præterea sanguinis effusione novum Testamentum confirmatum est, imo idem sanguis *Testamentum* dicitur Lucæ xxii. 20. Sicut ergo ad omnes pertinet Testamentum, ita ad omnes spectat sanguinis participatio, & communio.

22. Solvitur distinctione Eucharistiæ, ut est sacrificium, & ut est Sacramentum.

Resp. Posse Eucharistiam dupliciter considerari, ut sacrificium, & ut sacramentum est: ad rationem sacrificii requiritur mystica quædam immolatio, quæ fit dum seorsim corpus, & seorsim sanguis consecrantur, qua separata consecratione significatur sacrificium crucis, in qua Christi sanguis fuit effusus, & divisus à corpore: ad rationem vero sacramenti sufficit, ut sit sensibile signum corporis Christi pro nobis immolati; quale utique signum persistit *in una specie*, quoniam, dum una species sumitur sine altera, significatur corpus Christi fuisse à sanguine separatum. Distinguo itaque minorem; in sola communione panis non habetur commemoratio passionis Christi, id est, immolatio mystica, sive imitatio cruentæ immolationis, quæ pertinet ad sacrificium, concedo: non habetur commemoratio Dominicæ passionis, scilicet, signum corporis Christi pro nobis crucifixi, atque immolati, quod sat est ad rationem sacramenti, nego. Quod si dicas expressius immolationem crucis, & sanguinis effusionem repræsentari in duplici specie, quam in una; tenet eadem responsio, nimirum, quod illa magis expressa repræsentatio ad sacrificium utique, sed non ad sacramentum sit necessaria. Quod vero additur de Testamento, nullius est roboris; eatenus quippe sanguis appellatur *testamentum*, quatenus sanguine testamentum novum firmatum est, ut explicavimus supra pag. 184. Licet autem sanguis Domini Ecclesiæ relictus sit legato quodam testamentario, non sequitur, quod omnibus sit seorsim à corpore tribuendus, sed tantummodo, quod in ejus distributione servanda sit Testatoris voluntas, & attendenda illorum, ad quos pertinet testamentum, necessitas & conditio.

23. Ratio ex traditione Antiquitatis.

Insuper hæretici objiciunt: Commendat utriusque speciei communionem vetus traditio, & constans judicium antiquitatis. Servavit enim hoc de calice præceptum ultra mille annos Ecclesia universa. Testis est in altera Apologia Justinus, Cyprianus in Epistola ad Cæcilium, & in libro de lapsis, Chrysostomus hom. 18. in 2. Epistolam ad Corinthios, & alii. Prætermittendum non est decretum Gelasii de quibusdam calicem recusantibus, relatum à Gratiano cap. *Comperimus*, de Consecrat. dist. 2. num. 12. *Comperimus autem, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant. Qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Extat idem canon etiam apud Ivonem parte 2. n. 89. & Micrologum cap. 19. Paschasius lib. de corpore Domini cap. 15. post ea verba, *Accipite, & bibite ex hoc omnes*, inquit, *Tam ministri, quam & reliqui credentes. Hic est calix, &c.* Quo in loco frustra Joannes à Lovanio, & qui eum sequitur, Bellarminus lib. iv. de Euch. cap. 26. ad 16. pro *Bibite* reponunt *Edite*; nam reclamat ratio, quæ de calice additur.

24. Probat factum aliquando, non semper.

Resp. nil aliud ex prælaudatis Patribus inferri, nisi communionem utriusque symboli fuisse aliquando laicis administratam, quod minime negamus, eruentes ex ipsomet antiquitatis fonte frequentissimam fuisse sumptionem *unius speciei*, præsertim in communione domestica, atque in porrecta pueris, abstemiis, ægrotis, necnon in Missa προηγιασμένων, *Præsanctificatorum*. Reponunt hæretici controversiam nobis esse de conventibus publicis; additque Cassander communionem *unius speciei* fuisse extraordinariam, *præter legitimam consecrationem, & oblationem.* Hujus proinde viri testimonio nimium

gestiunt heterodoxi. At primo negamus privatum fuisse conventum illum, quo in Actibus Apostolicis convenie-bant fideles *ad frangendum panem;* & negamus pariter fuisse *extraordinariam* synaxim, quam *sub una specie* celebrabant Angli ante Bedam, Monachi vivente Bernardo, & ante Jacobellum Ecclesiæ complures. Deinde vel illa extraordinaria unius symboli sumptio erat *sacramentalis*, & proficiebat ad vitam, vel non. Si reponant hæretici non fuisse *sacramentalem*, nec vivificam; damnant ipsi potius universam antiquitatem, quæ nec extreme laborantibus dederit Sacramentum, & spiritalis vitæ alimoniam: & si fateantur proficuam, atque *sacramentalem*, concedere debent utrumque symbolum necessarium non esse, sive ad perceptionem sacramenti, sive ad consecutionem æternæ vitæ. Nonnihil difficultatis ingerit decretum Gelasii; sed occurritur duplici responsione. Prima est damnari eo decreto quosdam sacerdotes, qui post consecrationem sumebant corpus, sed abstinebant à sanguine, nam apud Ivonem, Micrologum, & Gratianum, capiti *Comperimus* hic præfigitur titulus, *Corpus Christi sine ejus sanguine sacerdos non debet accipere.* Utuntur autem hac responsione Glossa Decreti, Joannes à Daventria, Cochlæus, & Hoffmeisterus in Confessionem Augustanam, aliique ævi superioris. Altera responsio est recentiorum fere omnium, qui putantes decretum illud esse Gelasii primi, & latum adversus Manichæos (quod tamen incertum est) docent idcirco Gelasium præscripsisse communionem calicis, ut hoc indicio detegerentur iidem Manichæi, qui à vino tanquam à re mala, & diabolica, *sacrilega superstitione* abstinebant; unde etiam inferunt fuisse ante Gelasium liberum unicuique sumere aut unam speciem, aut alteram, aut utramque. Certe Manichæi, ut tutius in Urbe laterent, frequentabant Catholicorum mysteria, *sed sanguinem Redemptionis haurire declinabant*, unde S. Leo Magnus sermone IV. de Quadragesima ait, deprehensa hoc indicio sacrilega illorum simulatione, expellendos auctoritate sacerdotali *à sanctorum societate.* A moribus Manichæorum abstemias virgines dictas fuisse *Manichæas* observatum supra prop. 2. Hæc omnia reddunt postremam responsionem valde probabilem, sed etiam prima diluit objectionem, ac plana est, facilis, expedita. Paschasium accommodasse ea verba, *Bibite ex eo omnes*, ad usum sui temporis, censet Estius dist. XI. §. 8. Conjectura tamen Joannis à Lovanio, & Bellarmini de interpolato Paschasii codice redditur probabilis ex integra periodo, quæ ad hunc modum se habet: *Hic solus est, qui frangit hunc panem, & per manus ministrorum distribuit credentibus, dicens: Accipite, & bibite ex hoc omnes.* Addo Christum porrigendo calicem Matth. XXVI. 27. non dixisse, *Accipite, & bibite*, sed dixisse, *Bibite ex hoc omnes.* De pane duntaxat scriptum est superiori versu, *Accipite, & comedite*, Igitur & propter orationis syntaxim, & propter citati textus germanitatem legendum est in Paschasio, *Accipite, & comedite:* aut si retinendum est, *Bibite;* exponenda sunt verba de sanguine *sub specie panis* latente, & *per concomitantiam* permixto carni.

Denique opponunt: In Sacramento Eucharistiæ exhibetur fidelibus spirituale convivium. At convivium separatim constat cibo, atque potu. Ergo præter *speciem panis*, quæ ad cibum pertinet, dandus est communicanti potus, & calix Christi sanguine consecratus. Resp. in convivio spirituali idem esse quod continetur sub accidentibus panis, & quod adest sub speciebus vini, utrobique scilicet sumi totum, & integrum Christum, quod minime reperitur in partibus, quibus constat convivium corporale; quamvis & istud instrui posset una duntaxat re, veluti quando lacte nutriuntur infantes. Distinguenda est itaque minor, Convivium institutum ad nutrimentum corporis constat separatim cibo atque potu, transeat. Convivium paratum ad alimoniam spiritus, nego. Hinc colliges panem vinumque Eucharisticum rectius dici *species* sacri convivii, quam *partes*; cum utraque species etiam separata convivium sit plenum, & verissimum sit quod sess. XIII. cap. 3. ait Tridentinum, *tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri.*

25. Quarta sumpta ex ratione Convivii concidit ex dictis n. 15.

CAP. XVI.

CAPUT XVI.

Quibus exhibenda sit communio Eucharistica.

SUMMARIUM.

1. Quæstio est de variis hominum generibus.
2. Impii Christum verè manducant sacramentaliter.
3. Publicis tamen non concedendus.
4. Benè adhuc occultis publicè petentibus.
5. Nunquam ministranda Hostia non consecrata.
6. Infantibus & perpetuò amentibus non est danda Eucharistia: benè verò mutis, & surdis.
7. Sicut & Energumenis, nisi actu exagitentur.
8. Damnatis ad mortem olim alicubi denegatum viaticum.
9. Hodiè denegandum non est.
10. Non obstantibus quibusdam argumentis in contrarium.
11. Neque peccatoribus pœnitentibus in exitu mortis.
12. Quandoque mortuis dabatur
13. Varias ob rationes.
14. Nunc verò est prohibitum.

1. Quæstio est de variis hominum generibus.

INquiri solet hoc in loco quibus Eucharistia administranda sit: cumque ea sit Sacramentum *viventium* atque institutum ad animæ jam in vita spirituali constitutæ alimoniam ac nutrimentum, oritur prior quæstio, an ab Eucharistica mensa procul arcendi sint homines sceleribus inquinati. Deinde, cum varia sint hominum genera, quibus aliquando data est, aliquando autem denegata communio, de his etiam inquiritur singillatim. Sunt vero hi, parvuli, energumeni, damnati ad mortem, & qui post vitam contaminatam perveniunt ad vitæ extrema. Mortuis quoque data fuit aliquando Eucharistia, aut cum eorum exuviis in sepulcro recondita: de qua item consuetudine flagitabit, ut dicamus aliqua, studiosus, & sacræ eruditionis amator. Ergo hæc omnia suis distincta numeris explicabimus.

De Scelerosis, et impiis.

2. Impii Christum verè manducant sacramentaliter.

Certum est malos quoque, & sceleribus inquinatos re ipsa *sacramentaliter* manducare Christi carnem, quamvis oppositum tenuerint quidam veterum, ut refert q. 80. art. 3. S. Thomas, eamque sententiam postea amplexus fuerit Wiclefus, ut inquit Thomas Waldensis tom. 2. de Sacram. cap. 60. Etenim de singulis Apostolis, inter quos erat proditor Judas, legitur Marci XIV. 23. *Et biberunt ex illo omnes.* Apostolus in 1. ad Corinth. cap. X. 17. postquam ait panem, quem frangimus esse communicationem corporis Domini, subjecit, *Unum corpus omnes sumus, qui de uno pane participamus*, comprehendens proculdubio signo universali etiam malos, qui Ecclesiæ sunt membra, & quos monet, ut vitent idololatrarum consuetudinem, propterea quod nemo possit *calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Ac proximo cap. versu 27. indigne communicantes appellat reos *corporis & sanguinis Domini.* Docent similia Patres: nam Augustinus lib. v. de Baptism. cap. 8. num. 9. ait: *Indigne quisque sumens Dominicum sacramentum, non efficit, ut quia malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat in illis, quibus dicebat Apostolus, Qui manducat indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Extant eadem verba cap. *Sicut Judas*, de Consecrat. dist. 2. num. 68. Idem habetur cap. *Polluimus*, ejusdem distinctionis 84. quod Gregorio attribuitur, sed exscriptum est ex Comment. Hieronymi in cap. 1. Malachiæ, v. 7. His non opponitur cap. *Qui discordat*, ubi legitur, *Qui discordat à Christo, nec manducat carnem ejus, nec sanguinem bibit*, ead. dist. 2. num. 65. ita enim exponendum est, indignum non manducare Christi carnem *spiritaliter*, utiliter, & quoad effectum, qui est habere Christum in se permanentem, ut explicatum est supra pag. 177. & constat ex cap. *Qui scelerate*, in ipsamet distinct. num. 24.

3. Publicis tamen non dandus.

At licetne peccatoribus dare communionem? Si peccatores publici sint, nequaquam. Sacerdotibus enim hæc à Domino inculcantur Matth. VII. 26. *Nolite sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos.* Canes juxta Chrysostomum Hom. 24. in Matth. pag. 235. sunt homines perditissimi, & *in impietate viventes immedicabili*; *porci* vero, qui commorantur *in luto infrænis luxuriæ.* His ergo deneganda est Eucharistia, cujus particulas appellaverunt antiqui Patres *margaritas*, apud Lupum differt. de quibusdam Patrum locis cap. X. Ex cap. *Pro dilectione*, deprompto ex Epistola 61. aliàs

aliàs 2. S. Cypriani ad Fucratium, liquet denegandam esse communionem histrionibus, & magis, qui *in artis suis dedecore perseverant*. Idem dicendum de publicis usurariis, meretricibus, concubinariis. Obstringuntur eadem lege excommunicati, ac publice denunciati: & decreto Innocentii XI. an. 1683. etiam mulieres, quæ ad altare accedunt habitu ad lasciviam composito. Hujus rei manifesta est ratio, quod peccator publicus nullum jus habeat ad ea sacramenta, quorum perceptio exigit probitatem. Illum autem dicimus peccatorem *publicum*, cujus crimen notorium est, & in publicam notitiam venit, aut per evidentiam facti, quæ nulla tergiversatione celari potest, aut per judicium vel sæculare, vel Ecclesiasticum, in quo rei de peccato suo convicti fuerint. Ita in cap. *Tua nos*, & cap. *Quæsitum est*, de Cohabit. Cleric. ita Augustinus homilia ultima ex 50. nunc serm. 351. num. 10. Ita S. Thomas, cui Theologi omnes subscribunt, 3. p. q. 82. art. 9.

4. Benè tamen occultis, si publicè petant.

Quid verò, si crimen occultum sit, aut notum solummodo per confessionem? Eo in casu dum peccator publice petit, & coram aliis ad synaxim accedit, arceri non debet, quoniam *in facie Ecclesiæ non constat ipsum amisisse jus suum*. Ita præcitatus S. Thomas in IV. dist. 9. art. 5. q. 1. Ita docuit Salvator, qui Judæ corpus & sanguinem suum in ultima cœna minime denegavit. Legitur in vita S. Bernardi conscripta à Guilelmo Abbate, quæ postponitur in vetustioribus editionibus, ac præmittitur in recentiori, lib. 1. cap. XI. exemplum omnino in communitate servandum: *Agebatur solemnitas quædam præcipua, & frater aliquis, quem pro secreta culpa ab altaris sacri communione suspenderat, notari timens, & rubo-rem non sustinens, ad manum ejus cum cæteris nimium præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum, quoniam causa latens erat, repellere hominem noluit, sed intimo corde orabat Deum, ut de tanta præsumptione melius aliquid ordinaret.* Istiusmodi orationi addi potest, nisi res insolita ingerat suspicionem, efficax hortamentum, ut quisque probet se ipsum, nec sese efficiat reum Dominici corporis. Quod si peccator privatim communionem petat, ei deneganda est, quoniam nec ei fit injuria aliqua, nec irrogatur infamia, nec jure suo defraudatur; nam revera jus in se non habet, tametsi illud retineat, (quamdiu crimen non est publicum atque notorium) in conventu & judicio Ecclesiæ. Excipiendum tamen arbitramur casum, quando crimen notum est sacerdoti per solam confessionem, quamvis S. Thomas citato in loco scribat: *Si sacerdos sciat peccatum alicujus, qui Eucharistiam petit, per confessionem, vel quolibet alio modo, distinguendum est: quia aut peccatum est occultum, aut manifestum. Si est occultum, aut exigit in occulto, aut in manifesto. Si in occulto, debet ei denegare, & monere, ne in publico petat, &c.* Idem docent Durandus, & Estius in eandem dist. 9. §. 4. Videtur his accedere Natalis Alexander de Euch. cap. V. prop. 4. Reg. 3. Adhæremus tamen nos sententiæ oppositæ, quoniam Eugenius Papa cap. *Si sacerdos*, de off. Jud. Ordinarii inquit: *Si sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum alicujus criminis: vel si confessus fuerit, & emendare noluerit, nisi judiciario ordine quis probare possit, non debet eum arguere nominatim, sed indeterminate, sicut dixit Christus: Unus vestrum me traditurus est. Sed si ille, cui damnum illatum est, petierit justitiam, potest excommunicare auctorem damni, licet etiam ei confessus sit: sed tamen non nominatim potest eum removere à communione, licèt sciat eum esse reum; quia non ut judex scit, sed ut Deus, sed debet eum admonere ne se ingerat, quia nec Christus Judam à communione removit.* Ita 1. Decret. tit. 31. cap. 2. Adde confessionis sigillum, & curam maximam adhibendam, ne peccatorum confessio in contemptum, invidiamque trahatur. Subscribunt huic sententiæ Gabr. in IV. dist. 9. Sylvius in 3. p. quæst. 80. art. 6. Navarrus cap. 21. num. 55. Suarez disput. 97. sect. 3. Vanroy in Append. ad Tract. de Euch. art. 3. ac D. Thomam in opinione, quam junior adoptaverat, non perstitisse potest conjici ex art. 6. quæst. 80. ubi prætermissa sententia, quam tenuerat in IV. quamvis opportunum fuisset illam inserere articulo, laudat solummodo probatque auream Augustini regulam ex postrema homilia inter 1. nunc serm. 351. *Nos à communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo judicio Ecclesiastico, vel sæculari nominatum atque convictum.* Ita sentit Dominicus Soto in IV. dist. 12. q. 1. Sed regula Augustini, consensu omnium, est de peccatoribus occultis, qui publicè petunt; quorum famæ consulendum esse docet eodem art. 6. ad 2. Doctor Angelicus.

5. Numquam ministranda

Adverte non posse sacerdotem accedenti ad communionem pro corpore Domini

Hostia non consecrata.

Domini dare hostiam non consecratam, quando novit occultam ejus improbitatem, nec fas est eum repellere propter scandalum cæterorum. Docent id Theologi universi cum S. Thoma cit. quæst. 80. art. 6. ad 2. primum quia sacerdos quantum in se est tali in casu induceret adstantes in idololatriam; deinde quia admitti non debet hæc compensatio, *ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat*, ut inquit S. P. Augustinus q. 42. in Genes. præterea, quia non impeditur ea ratione sacrilegium animo accedentis patratum, nec injuria Domino illata: postremo, quia in cap. *De homine*, lib. 3. Decret. tit. 41. de celebrat. Missarum legitur impie se gerere sacerdotem, *qui propter sui facinoris conscientiam, Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis, quibus conficitur corpus Christi, panem & vinum tantummodo pure sumit*; ibique profertur hæc ratio, *Cum falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sint periculis graviora.*

De pueris, aliisque rationis usu carentibus.

6. Infantibus, & amentibus non est danda Eucharistia.

Quid asserendum sit de pueris colligitur ex hactenus disputatis. Datam enim aliquando parvulis statim post baptismum Eucharistiam diximus præcedenti cap. prop. 2. & 3. At illis necessariam non esse ostendimus cap. XIV. theoremate primo. Hinc infertur agi hic de re *ad solam disciplinam* spectante. Cum ergo à duodecimo sæculo desierit vetusta consuetudo, ut constat ex Hugone Victorino lib. x. de Sacrament. cap. 20. & ætate divi Thomæ, sæculo nempe tertiodecimo, invaluerit opinio affirmans pueris Eucharistiam porrigendam non esse, id in Occidentali Ecclesia servandum est. Græci enim, Syri, & Copti priorem adhuc retinent disciplinam; ob quam immerito à plerisque Orientales redargui, observat Dominicanus Auctor de Re Sacram. tom. 1. pag. 436. Non enim reprehendendum est, quod per plura sæcula universaliter obtinuit, & quod Romana Ecclesia in aliis patitur: nec fovenda sunt schismata ob variabilem disciplinam. Cur apud nos abolita fuerit pristina consuetudo, non una est causa. Prior est, quod pueruli non percipiunt quid sumant, & carent devotione; ac in re minime ad salutem necessaria, præponderare debet reverentia tanti Sacramenti augmento illi gratiæ, cujus defectu parvuli nullum patiuntur spiritale detrimentum. Altera est, quod infantes nequeunt *speciem* panis digerere, *speciem* autem vini facile vomendo ejicerent. Adde tertiam causam, nempe ut recentiori Ecclesiæ usu reprobetur eorum sententia, qui censent pueros baptismate regeneratos non posse absque Eucharistia salvari, eamque sententiam adscribunt Patribus, ut diximus cap. XIV. De amentibus, qui nunquam habuerunt rationis usum, eadem, ac de parvulis habenda est ratio: si autem fuerunt aliquando compotes sui, & erga hoc Sacramentum devotionem aliquam exhibuerunt, non debent in morte privari Viatico, ex canone 76. Concilii IV. Carthaginensis, inserto secundæ parti Decreti, XXVI. q. 6. cap. *Is, qui pœnitentium.* Mutis, surdisque, si per nutus ac signa præseferant conceptum de peccatis dolorem, piamque animi præparationem, non esse Eucharistiam denegandam suadet ratio, omnesque prorsus consentiunt.

Bene vero mutis ac surdis.

De Energumenis, et arreptitiis.

Energumenis denegatam aliquando Eucharistiam demonstrant antiquæ Liturgiæ, quæ docent Diaconum post exitum Catechumenorum alta voce clamasse, προελθέτε οἱ ἐνεργούμενοι, *Exite energumeni.* Vide lib. VIII. Constit. Apost. cap. 7. pag. novæ edit. 294. Canone etiam 29. Illiberitano præscribitur, neque energumeni *nomen ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum, ut sua manu in Ecclesia ministret.* Iste tamen canon de solis illis energumenis accipiendus est, qui ita à maligno spiritu exagitantur, ut subjecti sint diuturnæ perturbationi; nam additur, *Qui ab erratico spiritu exagitatur.* Hinc canone 37. ejusdem synodi Illiberitanæ permittitur communio iis, *qui à spiritibus immundis vexantur*: ac possunt optime hi duo canones invicem conciliari, sive distinguantur energumenorum genera, sive canon postremus accipiatur de energumenis lethali morbo correptis. Energumenis itaque, nisi actu exagitentur à dæmone, porrigenda est communio. Etenim Concilium I. Arausicanum anno 441. edidit hunc canonem num. 14. *Energumeni jam baptizati, si de purgatione sua curant, & se sollicitudini clericorum tradunt, monitisque obtemperant, omnimodis communicent, sacramenti ipsius virtute vel muniendi ab incursu dæmonii, quo infestantur, vel purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatior.* In Collationibus Cassiani collat. VII. cap. 29. pag. 457. Germanus ait energumenos à communione Dominica quibusdam in locis perpetuo abstinere, ac de iis accipiendum quod legi-

7. Sicut & energumenis, si actu non exagitentur.

tur in Evangelio, *Nolite sanctum dare canibus.* At Serenus proximo capite respondet: *Communionem iis sacrosanctam à senioribus nostris nunquam memini interdictam, quin imo, si possibile esset, etiam quotidie eis impertiri debere censebant; nec enim secundum Evangelii sententiam, quam incongrue huic sensui coaptatis, Nolite sanctum dare canibus, ad dæmonis escam sacrosancta communio, & non potius ad purgationem ac tutelam corporis, animæque pervenire credenda est: Quæ ab homine percepta eum, qui in membris ejus insidet, spiritum veluti quoddam exurens fugat incendium.* Id exemplis confirmans addit nuper curatum hoc modo abbatem Andronicum. Puellam Arabam liberatam à dæmone accepta Dominici corporis particula narrat S. Prosper lib. de Prædict. & promiss. Dei cap. 6. Habere eandem vim ad repellendam dæmonum infestationem, sacrificium Corporis Christi, colligitur ex iis, quæ narrat de Tribunitio Hesperio S. P. Augustinus lib. XII. de Civit. Dei cap. 8. Vide Petrum Thyræum in Opere de Dæmoniacis parte 2. cap. 28. num. 7.

De afficiendis extremo supplicio.

8. Damnatis ad mortem quædam Regiones denegarunt olim Viaticum.

Ultimo supplicio plectendis denegata est aliquando Eucharistia, in Gallia præsertim, & in Hispania. Hunc in Hispania servatum morem, ut damnati ad mortem priventur salutari Viatico, scribit Dominicus Soto in IV. dist. XII. q. 1. nunc vero ibi obtinere contrarium usum testatur Sylvius in 3. p. q. 80. art. 6. & nuper Guerrerus de Eucharist. §. VII. num. 174. In Galliis autem prior consuetudo perseverat: ejusque proferunt rationes quasdam Merbesius 3. p. quæst. 17. pag. 340. & Juenin quæst. VI. cap. 4. Præcipuæ hæ sunt, quoniam cruciarii, & furciferi plerumque scelera detestantur timore supplicii: unde merito dubitatur, an capaces sint sacramentalis absolutionis, quæ etiam summa benignitate illis impenditur. Deinde sunt illi monstra quædam ex omnium scelerum colluvione concreta, atque ut plurimum adeo perditi, ut neque Deum, neque homines revereantur. Præterea accepto mortis nuncio ita consternantur, ut destituti appareant rationis usu, & metu mortis mox oppetendæ de omni prorsus gradu dejiciantur. Injuria deinde est maxima, quæ irrogatur corpori Christi, si trajiciatur in corpus omni libidine conspurcatum, & sanguine cædibusque respersum. Turpissimum denique est, si cum dedecore, & ignominia tortoris manu corpus illud tractetur, quod nuper supremum Regem excepit.

9. Hodiè denegandum non est.

At non denegandam Eucharistiam extremo supplicio afficiendis persuadent nobis momenta, quæ sequuntur. Petitur primum ex cap. *Quæsitum* est, XIII. q. 2. num. 30. ubi definitur iis, qui pro suis sceleribus in patibulis suspenduntur, *communionem in finem secundum canonicum jussum dandam esse.* Idem habetur in canone 27. Concilii Moguntini an. 847. in can. 80. Concilii Wormaciensis anno 868. & in canone 31. Concilii Triburiensis an. 895. Gaspar Juenin ait accipiendos hos canones de absolutione Sacramentali, quæ *communio* aliquando dicitur, quoniam Wormaciensis synodus affert exemplum latronis, cui in morte peccata dimissa sunt. At fallitur vir doctus. Nam synodus Moguntina absolutionem à communione distinguit, & de ea communione loquitur, quam appellat *Eucharistiam*, & *communionem viatici*, concedendam in exitu mortis omnibus pœnitentibus, juxta canonem 26. ejusdem synodi. Triburiensis vero non solum ait strangulandis *communionis gratiam esse tribuendam*, sed monet præterea, ut adjuventur *sacrosanctis mysteriis*, laudatque canonem 12. Nicænum: *Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.* Quo in canone, etsi non jubetur, ut omnibus prorsus in exitu mortis detur communio; de communione tamen Eucharistica ex oblationibus consecratis percipienda sermo est: ideoque hanc singulis etiam suspendendis, dummodo pœnitentiam agant, dandam censent synodus Triburiensis. At Wormaciensis ideo exemplum latronis commemorat, ut illo admoneamur, *nullum pietatis officium denegandum esse morienti.* Confirmant deinde sententiam nostram praxis Italiæ, in Hispaniis, & fere ubique Gentium servata, edicta Belgica art. 10. historia Theodosii filii Mauritii Imperatoris, cui, priusquam jussu Phocæ necaretur, datam fuisse Eucharistiam narrat Cedrenus *in Phoca*, an. 1. Extat etiam Constitutio Caroli V. quæ mandat, ne Eucharistia damnato ad mortem negetur: atque, ne Gallias prætereamus, legimus Statuto XI. synodi Remensis an. 630. *Cur ad mortem condemnatis renuitur Eucharistia, cum iis maxime conducat ad spem, & securamen certi decessus, & præsentis agonis?* Præterea non videtur contraria

traria consuetudo retinenda ex rigore antiquioris disciplinæ, tum quia primis Ecclesiæ sæculis pœnitentibus cum reconciliatione dabatur Eucharistia, tametsi hæc consuetudo post Novatum cœperit immutari, ut lib. IV. de Pœnit. cap. 21. & 22. demonstrat Joannes Morinus: tum quia in Galliis ante annum 1396. denegabatur suspendio necandis absolutio quoque Sacramentalis, ut observat idem Morinus lib. X ejusdem operis cap. 1. & fatetur Tournely de Euch. q. 5. art. 3. hoc tamen postremum fuit citato anno abrogatum edicto Caroli VI. Denique S. Pius V. in Constitutione XCI. edita pro Confraternitate nationis Florentinæ institutæ in Urbe ab Innocentio VIII. ad confortandos sententiâ Judicis morituros, quæ Constitutio incipit, *Cum sicut accepimus*, §. 21. Cappellano ejusdem Confraternitatis concessit, ut si ei videatur damnatos ad ultimum supplicium esse dispositos ad recipiendum sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, possit *in eorum præsentia etiam de nocte in casu necessitatis Missam celebrare, & absolutionem ac indulgentiam plenariam in forma Jubilæi impendere, & dictum Eucharistiæ sacramentum eis ministrare.*

10. Non obstantibus quibusdam Argumentis in contrarium.

Nil vero probant argumenta contraria: non primum, quoniam timore perculsis potest Deus gratiam contritionis largini; & *quotiescunque peccata donantur*, tribui debet *Dominici corporis sacramentum*, ut ait Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 3. num. 18. & habetur cap. *Potest fieri*, de Pœnit. dist. 1. §. *Sicut semel*. Non secundum, quia apud Deum ablutus baptismi, aut pœnitentiæ lavacro, *super nivem* dealbatus est. Non tertium, quia cœlesti viatico subiturus supplicium corroboratur, ut possit cum morte luctari: neque nos dandam communionem asserimus insanienti, aut in furorem, vel desperationem dejecto. Non denique ultimum, quoniam exigui temporis intervallo mutantur Eucharisticæ *species*, ac potior est apud Deum salus morientis, quam mortis infamia; hanc enim & ipse subiit innocens pro redemptione animarum. A piis tamen judicibus ac magistratibus quibusdam in locis tribuitur capitis damnato, ne illa die afficiatur supplicio, qua sumpsit sacratissimum corpus Domini, quam consuetudinem laudat S. Carolus in V. Synodo Mediolanensi parte 1. Constitut. num. 9. Verum nequit hæc observari in iis locis, in quibus rei post acceptum mortis nuncium vix unius noctis breviun que horarum decursu confortantium sollicitudini committuntur.

De Pœnitentibus in exitu mortis.

11. Neque peccatoribus quibuscunque morti proximis, si ritè pœniteant.

Quod supra dixi de afficiendis supplicio, asserendum est de omnibus, quantumvis scelestissimis, qui morti proximi agunt pœnitentiam, nec ratione sunt destituti. Aliquando utique lapsis communio denegata est in extrema quoque periodo vitæ, sed indulsit pracitatus canon Nicænus, ut cuilibet in exitu poscenti communionis gratiam, si dignus judicetur ab Episcopo, Eucharistia tribuatur. In Concilio pater Agathensi anno 506. can. 15. legitur: *Viaticum omnibus in morte positis non est negandum:* & in canone 76. Concilii III. Carthaginensis an. 398. de illo, qui pœnitentiam in infirmitate petit, habetur: *Si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Gregorius III. in Epistola ad Bonifacium num. 7. scribit quæ ab Ivone inserta sunt Collectioni canonum p. X. cap. 179. *De his vero, qui patrem, matrem, fratrem, aut sororem occiderint, dicimus ut toto vitæ tempore corpus Dominicum non suscipiant, nisi in suo exitu pro viatico*, tom. VI. Concil. pag. 1469. Denique Innocentius III. cap. *Quod in te*, lib. V. Decret. tit. 38. de Pœnit. concessit, ut etiam tempore interdicti Clericis, & laicis detur *viaticum in extremis*, quamvis hoc decretum desideretur in epistolis Innocentii editis à Sirleto, & Bosqueto.

De mortuis.

12. Quondam dabatur mortuis.

Ori defunctorum non est ingerenda Eucharistia. Aliquando Eucharistiam fuisse datam mortuis, aut cum ipsis sepultam colligitur ex historiis. Etenim S. Amphilochius *in Vita S. Basilii* pag. 224. edit. Combefisii scribit: *Testamento sepeliri sanxit cum tertia portione ὑπὲ τῆς κυρίας δοθείσης αὐτῷ κοινωνίας, à Domino datæ sibi communionis.* Ambiguum quidem censebatur olim hoc Amphilochii opus, non solum à Coco, Blondello, Riveto, aliisque heterodoxis, sed etiam à Baronio ad an. 363. num. 70. à Bellarmino de Script. Eccl. an. 380. aliisque Catholicis: ut prodiit tamen operâ memorati Combefisii ad regios codices emendatum, non indignum ipso Amphilochio deprehenditur; ut in notis ejusdem Combefisii pag. 256 & in dissert. Historica Philippi Labbè de script. Eccles. in *Amphilochio*, apertissime demonstratur. Sepultam Eucharistiam, positamque jussu S. Benedicti supra pectus cujusdam Monachi, cujus corpus terræ

terræ mandatum sequenti die repertum est extra tumulum, narrat S. Gregorius Magnus lib. 2. Dialog. cap. 24. confirmatque plurima eruditione Mabillon in Annal Benedictinis lib. IV. cap. 8. num. 11. Aliquando usitatum fuisse, ut sacrum Christi corpus collocaretur supra pectus Episcopi vitæ functi, demonstrat ex Beda, & Amalario Fortunato eruditus Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii n. 680. Quo in loco etiam probat S. Benedictum facto superius narrato non violasse canones, qui prohibent Eucharistiam dari mortuis, cum adversetur quidem Conciliis communio mortuis porrecta, non vero collocatio Eucharistiæ supra pectora defunctorum: quod & annotarunt Mabillon citato in loco, & Patres alii S. Mauri in Editione Gregoriana tom. 2. pag. 255. Perperam ergo de hujusmodi historiis quidam dubitant, ut facit in suo Commen. de Sacram. q. 6. c. 5. Gaspar Juenin.

13. Varias ob rationes.

Originem dandi mortuis communionem repetit Cl. Lupus in canonem LXXXIII. Trullanum ex hisce causis: prima est, quam insinuant Dialogi S. Gregorii, & exempla producta, ne cadavera è sepulchro ejicerentur: altera, ne dæmones in defunctorum corpora baccharentur ac furerent: tertia, ut qui vivi Eucharistiam non perceperant, juvarentur saltem præsentia sacrosancti Viatici. Doctissimi viri conjecturas confirmo ex iis, quæ in eundem canonem Trullanum scribit Theodorus Balsamon: *Quod autem*, inquit, *sanctus Panis antistitibus post mortem tradatur, & sic sepeliantur, existimo hoc fieri ad avertendos dæmones, & ut per ipsum, tanquam Viaticum, deducatur ad cœlum, qui magna & Apostolica benedictione dignus est habitus.* Basilius Poncius parte 1. Variarum disput. p. 137. affert causam aliam, nempe, ut hoc ritu communionis avocarentur homines à superstitione Gentilium, qui mortuis obulum imponebant ori, Acheronti pro ratis naulo persolvendum; unde Juvenalis Satyra 3. de quodam paupere inquit:

Jam sedet in ripa, tetrumque novitius horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alvum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.

Ejusdem superstitionis profert vir doctissimus testimonia complura ex Luciano, Apulejo, aliisque scriptoribus Ethnicis.

14. Nunc verò est prohibitum.

Quæcunque fuerit origo ejusdem consuetudinis, vetat, ne communio detur mortuis, præcitatus canon 83. Trullanus his verbis: *Nemo mortuorum corporibus Eucharistiam communicet; scriptum est enim, Accipite, & comedite. Mortuorum autem corpora non possunt accipere nec comedere.* Extat consimilis canon in Codice Ecclesiæ Africanæ, & alius item synodi Antisiodorensis, quos omnes affert pag. 135. ejusdem Operis Basilius Poncius, necnon Parte 2. in Canones Christianus Lupus. Abiit pariter in desuetudinem mos collocandi Eucharistiam supra pectus defunctorum: ipsorumque quieti satis consultum est benedictione cœmeteriorum, quæ Pontifex benedicendo munit crucis signo, *ne dæmon accedat*, purgat lustrali aqua, ut mundentur *ab omni spurcitiæ inquinamento, & immundorum spirituum insidiis*, oratque ut defunctis ibi sepeliendis Deus tribuat *quietis sedem, & ab omni incursione malorum spirituum tutelam.* Vide Pontificale Rom. P. 2. tit. 6.

CAPUT XVII.

De dispositionibus ad sacramentalem Communionem, de hujus frequentia, & maxima utilitate.

SUMMARIUM.

1. Dispositio alia Corporis, alia Animi.
2. Communicantes sint Jeiuni ex præcepto Ecclesiæ
3. Etiam feria V. Majoris Hebdomadæ.
4. Ut petunt Canones plures.
5. Excipiuntur firmi periculosi, & pauci alii.
6. Et quidem Jeiunio Naturali.
7. Sint etiam mundi carne, saltem de consilio.
8. Non sunt repellendæ mulieres menstruales.
9. Sint corpore reverentes.
10. Et animo mundi à culpa lethali.
11. Præsertim à gravi inimicitia.
12. Olim Communio erat frequentissima.
13. Successivè pia consuetudo refriguit.
14. Exceptis Monachis.
15. PP. & Canones quidam suadent frequentem Communionem.
16. Alii nec laudant nec vituperant.
17. Omnes disuadent nondum depositio affectu peccandi.
18. Regulæ generales de frequentatione Communionis.
19. Effectus S. Communionis.

Plura

1. Dispositio alia Corporis, alia animi.

PLURA hoc uno in capite comprehendimus, quæ cum ad διδασκαλίαν, institutionemque pertineant, tali brevitate trademus, ut quæ in aliorum scriptis dispersa sunt, hîc simul occurrant, & recentiorum Theologorum præcepta, veteris etiam disciplinæ inserta notitia, proponantur, & illustrentur. Ad sacram itaque communionem accessuri debent esse corpore animoque dispositi. Ad corpus attinent jejunium, castitas, habitus: ad animum vero recta conscientia, injuriarum oblivio, aliarumque exercitia virtutum.

I.

2. Communicantes sint Jejun ex præcepto Ecclesiæ.

De communicantium jejunio primò scimus non esse illud divini præcepti, sed traditionis Apostolicæ: nam *liquido apparet, quando primo acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non accepisse jejunos*, ait Augustinus epist. 118. nunc 54. ad Januarium cap. 6. nec invenitur in sacris literis præceptum Domini, ut nonnisi jejuni communicent. II. At commendat idem jejunium Apostolica traditio, & præceptum Ecclesiæ. Hujus traditionis testem habemus Tertullianum scribentem lib. de Corona Militis, sumi Eucharistiæ Sacramentum *antelucanis, cœtibus*, & lib. 2. ad Uxorem cap. 5. *ante omnem cibum*. S. Cyprianus Epist. 63. ad Cæcilium, Basilius hom. 1. de Jejunio, Chrysostomus hom. 27. in Epist. 1. ad Corinth. & 9. ad Populum Antiochenum idem apertissime tradunt. Augustinus vero post præcitata verba eandem traditionem comprobat usu universalis Ecclesiæ, simulque demonstrat jure optimo fuisse institutam his verbis: *Nunquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod à jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi.* Afferunt Augustinianam rationem Magister in IV. Sent. dist. 8. S. Thomas 3. p. q. 80. art. 8. & quotquot subsecuti sunt Scholastici. III. Non repugnare hanc traditionem exemplo Christi demonstrat eo loci Augustinus subjiciens: *Neque enim, quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi, aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere. Namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat.* Reddit rationem alteram Cyprianus laudata ad Cæcilium Epistola scribens, *Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii* veteris Testamenti *ostenderet occasum.* Similia habet Paschasius in libro de Corp. Dom. cap. 20. ubi ait, voluisse Dominum prius pascha typicum complere, ut inde ad verum Paschæ Sacramentum transiret. IV. Recesserunt ab ea unversali consuetudine quidam Aegyptii, qui apud Sozomenum lib. VII. H. Ec. cap. 19. die sabbati sub vesperam convenientes jam pransi sacra mysteria percipiebant. Nonnulli etiam, licet aliis diebus communicarent jejuni, feria tamen quinta majoris hebdomadæ id faciebant cœnati, in commemorationem postremæ Cœnæ Domini; atque hunc morem in quibusdam Africanis Ecclesiis ætate sua adhuc perseverasse affirmat Augustinus citata ad Januarium Epistola cap. 7. ut recte observarunt viri doctissimi, Joannes Bona lib. 1. Rerum Liturg. cap. 21. num. 3. Schelstratius de Ecclesia Africana dissert. 3. cap. 7. num. 13. & Lupus in canonem 29. Trullanum tom. 2. pag. 911. Hunc tamen morem universalem non fuisse eo loci asserit sanctus Pater his subjectis verbis: *Hoc tamen non arbitror institutum, nisi quia plures, & prope omnes in plerisque locis eo die lavare consueverunt: & quia nonnulli etiam jejunium custodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia simul, & lavacra tolerare non possunt, ad vesperam autem propter jejunantes.* Irrepsit eadem consuetudo in Gallicanam Ecclesiam, ut constat ex can. 9. secundæ synodi Matisconensis. Alio autem perversoque fine Priscillianistæ sacrificabant, & communicabant soluto jejunio, scilicet quia dogmatizantes cum Marcione corpus Christi phantasticum, veram ipsius mortem negabant, & recolendam esse dicebant absque jejunii tristitia. Postremo consuetudinem communicandi post cœnam amplexi sunt hæretici Hussitæ damnati an. 1415. in synodo Constantiensi. V. At reprobarunt prænarratam consuetudinem Ecclesiæ canones. Trullanus XXIX. ad hunc modum se habet: *Carthaginensis synodi canon dicit* (is est 29. Synodi III.) *ut Sancta altaris nonnisi à sobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo cœna Domini peragitur; tunc fortasse propter aliquas in iis locis occasiones Ecclesiæ utiles sanctis illis Patribus hac dispensatione usis. Cum nihil ergo nos inducat, ut accuratam observationem relinquamus, statuimus Apostolicas, & paternas traditiones sequen-*

3. Etiam feria Vta Majoris Hebdomadæ.

4. Ut petunt Canones plures.

sequentes non oportere in Quadragesimæ postrema septimana quinta feria jejunium solvere, & totam Quadragesimam injuria afficere. Reliquos canones vide apud Bonam, vel Lupum citatis in locis.

5. Excipiuntur semper infirmi periculosi, & pauci alii.

VI. Ab hac lege jejunii excipiuntur sess. 13. Concilii Constantiensis, usuque Ecclesiæ infirmi in mortis periculo constituti; parvuli etiam, ubi apud Orientales communione statim post baptismum donantur: necnon sacerdotes, qui inter sacrificandum recordentur peracta consecratione se non esse jejunos, aut post sumptionem hostiæ advertant se calici non appositisse vinum, aut eis perficiendum consummandumque foret sacrificium alterius sacerdotis subito morbo correpti: de quibus, aliisque casibus accurate pertractant Suarez, & Sylvius in 3. p. q 80. art. 8. Toletus lib. VI. Instit. Sacerd. cap. 15. Natal. Alex. cap. V. art. 2. §. 2. & quotquot de Morali Theologia libros ediderunt. VII. Jejunium, de quo loquimur, est illud, quod appellant *naturale*, atque situm est in omnimoda cibi potusque abstinentia, etiam pharmaci sumpti valetudinis causa: quod constat ex omnium doctorum consensu, ex vetustissima Ecclesiæ praxi, & ex canone 2. Concilii VII. Toletani, præcipientis, ne celebretur Missa, aut percipiatur communio, *post cibum potumque quemlibet minimum*, & habetur cap. *Nihil contra*, Causa VII. quæst. 1. num. 16. Non frangunt autem naturale jejunium, (quidquid suadeat rudis, & nimia quorumdam anxietas) quæ interius per modum cibi aut potus minime trajiciuntur, ut manans à capite humor, & saliva post degustatum condimenti alicujus saporem, si statim illud expuatur, necnon pulvis aut fumigium nicotianæ, sive, ut inquiunt, *tabaci:* quod tamen adeo indecorum est, ut Limensis synodus sub mortali indixerit sacerdotibus, ne *tabacum* mandant, vel fumidum glutiant ante rem sacram; idemque synodus tertia Mexicana præscripserit singulis ad sacram communionem accessuris. De qua re vide Franciscum Henno disput. VIII. de Euch. q. 2. art. primo circa finem, Vanroy cap. 8. quæst. 1. & Monacellum in Formulario Legali tom. 1. Tit. 5.

6. Jejunium hoc debet esse naturale.

II.

7. Sint etiam mundi carne saltem de consilio.

Munditiem carnis ad communionem prærequiri demonstrat typus veteris Testamenti, in quo legimus *panes propositionis* datos tantummodo mundis *à mulieribus*, 1. Regum XXI. 4. Utitur hoc exemplo S. Hieronymus epistola 50. num. 30. ad commonstrandum, quod non debeat contingi panis ille, qui de cœlo descendit, ab his, *qui conjugalibus paulo ante hæsere complexibus:* & habentur verba Hieronymi cap. *Sciatis*, c. XXXIII. quæst 4. num. 1. Satis idem persuadet conditio hujus Panis, purissimi scilicet intemeratæ Virginis filii, cui ad synaxim sacram accedens exhibet corpus suum templum, atque habitaculum. II. Ut vir abstineat ante communionem à propria uxore *tribus*, *aut quatuor*, *aut octo diebus*, monet caput *Omnis homo*, de Consecrat. dist. 2. num. 21. exscriptum ex lib. V. Burchardi cap. 22. Eos item, qui matrimonio juncti sunt, *ut aliquot dies à concubitu uxorum abstineant*, hortatur Catechismus Romanus P. 2. cap. IV. n. 58. Non sunt tamen hæc monita absoluti præcepti; nam habetur cap. *Vir*, c. XXXIII. q. IV. num. 7. de sumendo corporis Dominici sanguinisque mysterio virum illum suo relinquendum esse judicio, qui conjuge *non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratia utitur.* III. Placet autem mihi admodum regula S. Francisci Salesii p. 2. aurei libri, quem *Philotheæ* nomine inscripsit, ubi cap. 20. docet à proxime communicaturo conjugale debitum non esse petendum, nil vero afferre impedimenti, si ei, qui petit, reddatur: nam ut inquit S. P. Augustinus in Ps. 149. *Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debetur uxori.* IV. Caute agendum περὶ τῆς τοῦ σπέρματος ἐκχύσεως: de qua legendum est cap. *Testamentum*, dist. VI. num. 1. depromptum ex Epistola Gregorii Magni ad Augustinum Anglorum Episcopum, quæ est 31. libri XII. In ea docet S. Pontifex illusionem non esse timendam, *cum ex naturæ superfluitate, vel infirmitate evenerit.* Secus dicendum, si oriatur ex crapula, ex turpi cogitatione, ex mulierum consortio, atque ex alia hujusmodi causa, libera ac voluntaria. Tali in casu à communione abstinendum, si absque ulla nota fieri possit, docent Theologi omnes cum S. Thoma 3. p. q. 80. art. 6. Aliàs, ut aiebat Theonas apud Cassianum Collat. XXII. cap. 5. pag. 816 *Si hostis nequissimus, ut nobis cœlestis remedii subtrahat medicinam, custodiam sopitæ mentis illuserit, ita duntaxat, ut nullo irreprehensibili interveniente pruritu, nullo contaminetur oblectationis assensu, sed egestionem, aut naturali necessitate propulsum, aut recte impugnatione diaboli absque sensu voluptatis elicitam, ad impedimentum nostræ sanctificationis obtenderit,*

devit, possumus & debemus ad gratiam salutaris cibi confidenter accedere. Docet similia Isidorus lib. 3. Sent. cap. 6. relatus dist. 6. cap. *Non est peccatum.* V.

8. Non sunt repellendæ mulieres menstruales.

Damnanda omnino est superstitio Sinensium, qui à sacramentis arcent mulieres menstruali morbo laborantes, ut damnavit decreto suo à Clem. XI. Benedicto XIII. & BENEDICTO XIV. auctoritate Apostolica confirmato Carolus Thomas Cardinalis de Tournon. Etsi enim aliquando in usum receptum fuerit, ut fluorem sustinentes non participarent *impolluta mysteria*; scimus tamen mulierem, quæ fluxum sanguinis patiebatur, post tergum Domini fimbriam vestimenti ejus tetigisse, & magnum Gregorium laudata ad Augustinum epistola illam superstitionem hisce verbis prædamnasse: *Fœminis namque & menstruus sui sanguinis fluxus ægritudo est; igitur bene præsumpsit, quæ vestimentum Domini in languore posita tetigit. Quod uni personæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus, quæ naturæ suæ vitio infirmantur?* Depromptum est ex eadem Epistola cap. *Ad ejus*, dist. v. num. 4. ubi prope finem legitur: *Sanctæ autem communionis mysterium, in eisdem diebus percipere non debet prohiberi: si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si percipiat, non judicanda.* Verum de Sinensium consuetudine, ejusdemque condemnatione plura in suo *Examine* cap. 13. Aloysius Maria Lucinius nuper ob doctrinam atque pietatem Vaticana purpura ornatus.

III.

9. Sint corpore reverentes.

Talis quoque in communicantibus requiritur cultus corporis, qui omnem reverentiam, honestatemque præseferat. Antiqui Tabenenses Monachi *ad Synaxim* ingredientes pellem deponebant ovinam, ut ex Historia Lausiaca Palladii annotat ad Collat. 23. Cassiani pag. 853. Alardus Gazæus. Balneo alii utebantur, apud Mabillonium Præf. 1. in sæculum IV. Benedict. S. Wilfridum sese nocturnis horis mundasse lustrali aqua scribit eo loci Mabillonius, & cap. 55. Concordiæ Regularum Monardus. II. Ex documentis S. Caroli P. 2. Act. Eccl. Mediol. pag. 240. debent mares accedere cum summa reverentia, manibus pectori admotis, depositis armis, humili ac decenti habitu, sed non sordido. Mulieres autem non sumptuosis vestibus, non intortis crinibus, non vultu pigmentis illito, non pectore nudo, aut velo translucido obtecto, sed permodesto habitu, demissoque super faciem denso velamine. Videsis Natalem Alexandrum de Euch. cap. 5. art. 2. & Genettum Tract. IV. de Sacram. cap. 11. quos nemo hac in re censet rigidiores.

IV.

10. Et animo mundo à culpa lethali.

Quid vero dicendum de præparatione animi? Necessaria profecto est *gratia sanctificans*, & animus taliter effectus, ut sibi non sit conscius alicujus lethalis culpæ. *Quicunque enim manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini*, inquit Apostolus 1. ad Corinth. XI. 27. id est, reus erit, *ac si occidisset, & effudisset*, ait eximius verbi Dei Præco S. Thomas à Villanova Conc. 3. in die Corporis Christi, pag. edit. Colon. 247. Præmittenda est itaque peccatorum confessio illis omnibus, *quos conscientia peccati mortalis gravat; quantumcunque etiam se contritos existiment; habita copia Confessoris*, ut definit sess. XIII. can. 11. sacrosancta synodus Tridentina. II. Si Sacerdos, cui ex necessitate incumbit celebrare, Confessario destitutus celebret urgente causa, *absque prævia confessione*; mandat eadem sancta synodus præcitatæ sessionis cap. 7. *ut quamprimum confiteatur.* Hoc vero præceptum esse, non consilium; ac præceptum omni solicitudine implendum, ubi primum Confessarii sit copia, constat ex propositione 38. ex confixis ab Alexandro VII. *Mandatum Concilii Tridentini, factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate, confitendi quamprimum; est consilium, non præceptum*; & proxima 39. *Illa particulâ* quamprimum *intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.* III. Studium præsertim est adhibendum, ne quis accedat ad communionem, quæ est *symbolum unitatis*, odio habens fratrem suum. Jubet quippe Evangelium Mat. v. 24. ut irato fratri reconciliemur, priusquam munus ad altare offeramus; quod multo magis præstandum est divina munera percepturis. Tertullianus de Orat. cap. 14. plura scribit adversus subtrahentes *osculum pacis*, dum vel adstant sacrificio, vel corpus Domini accipiunt: meritoque statuta nostra vetant, ne communicet, qui ex animi deliberatione fratrem aliquem non alloquitur, Const. p. 3. cap. 17. num. 6. Ut enim præclare inquit Augustinus Tract. XXVI. in Joannem num. 11. & cap. *Panem cœlestem*, de Consecr. dist. 2. num. 64. *Si dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est, non venenum. Sed vide, si dimittis.*

11. Præsertim à gravi inimicitia.

Nam si non dimittis, mentiris: & ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. IV. Non dicam de exercendis virtutibus singillatim; nam fidem exigit altitudo mysterii, pietatem ac dilectionem commemoratio passionis Dominicæ, humilitatem majestas Altissimi, timorem ipse Judex vivorum & mortuorum, spem denique pretium, quo redemptus est mundus. Non opus est, ut prolixius agatur de re ipsis quoque adolescentulis notissima. Juniores docet Salesius p. 2. cap. 21. operis præcitati: Monachos caput 34. Regularum breviorum Basilii, Jureconsultos cap. *Timorem*, de Consecrat. dist. 2. num. 25. Concionatores laudata oratio 3. Archiepiscopi Valentini, Parochos Catechismus p. 2. cap. 4. num 57. Theologos S. Thomas 3. p. q. 80. omnes denique Apostolus 1. ad Corinth. cap. XI.

V.

12. Olim Communio erat frequentissima.

Circa frequentem communionem dicam primo, quænam fuerit Ecclesiæ disciplina; deinde, quid canones Patresque tradiderint; demum, quæ regulæ in ea frequentanda servandæ sint, & quidem, ut rigor & laxitas vitentur, ex probatissimorum Scriptorum consensu. Frequentissimam itaque fuisse communionem, & sæpenumero quotidianam, cum exordio nascentis Ecclesiæ fideles convenirent *ad frangendum panem*, haud obscure colligitur ex Actibus Apostol. cap. 2. vers. 42. Justinus in Apolog. ad Antoninum scribit omnes, qui in agris, vel oppidis morabantur, unum in locum convenisse, conclusisque precibus percepisse Eucharistiam *die, qui solis dicitur*. Addit Tertullianus feriam quartam ac sextam, quibus diebus convenisse fideles ad sacram *Synaxim* docet etiam Epiphanius in Exposit. fidei num. 22. Eo loci *Synaxeos* nomine intelligendam esse Eucharistiam negat in libro de freq. Commun. cap. 9. Antonius Arnaldus; sed immerito: nam quamvis eo vocabulo significetur *conventus* & *collectio*, imo interdum modulatio Psalmorum, ut in Regula S. Columbani cap. 7. & apud Domnitium in Vita Mathildis lib. 1. cap. 21. ubi legitur,

More suo sanctis surgit cantare Synaxim;

nihilominus apud Græcos designari eadem voce divinæ participationem Eucharistiæ testatur Pachymeres non uno in loco in suis annotationibus ad Dionysium. Adde quod olim fidelium conventus sine communione Eucharistica, aut nunquam, aut perraro celebrabantur. Annumerat Basilius prædictis feriis sabbatum, dieque cultui Martyrum destinatos, in sua ad Cæsariam Patriciam epistola. II. Frigescente posthac devotione communio primum coarctata fuit ad singulos dies Dominicos, in quibus nunquam olim fuisse prætermissam scribit auctor sermonis XXV. inter adscriptos Ambrosio, & in libro de Divinis Off. cap. 120. Joannes Beleth; ubi ait etiamnum in Græcia sub anathemate eum puniri, *qui à tribus diebus Dominicis non communicaverit*. Atque hoc etiam in desuetudinem abeunte, indicta est communio sub præcepto in tribus solemnitatibus, ita ab eodem Beletho enumeratis, *Modo autem nos tenemur in tribus solemnitatibus, nimirum Paschate, Pentecoste, & Natali.* In cap. *Omnis*, de Consecrat. dist. 2. definitur, eum, qui iisdem tribus diebus à communicando abstinuerit, non esse *inter catholicos* connumerandum. Lateranense Concilium coarctavit postea communionis præceptum ad Resurrectionis Domini solemnitatem, ut dictum est supra. III. At Monachi semper consueverunt ad Eucharistiam accedere semel in hebdomada, aut singulis saltem mensibus. De Tabennensibus dixi paulo supra ex Alardo Gazæo, qui ex Palladio, & Cassiodoro etiam refert abbatem Hellen vectum à crocodilo transmeasse ingentem fluvium, ut sacerdotem accerseret, ne diutius monachi divino cibo carerent. Vivente S. Benedicto monachos omnes in solemnioribus diebus simul communicasse demonstrat Mabillon Præf. 1. in sæcul. IV. num. 168. Idem servant instituti nostri fratres, juxta Ordinis Constitutiones parte 1. cap. 9. Ut monachi *in prima Dominica mensis cujuslibet semper communicent*, statuit Clemens V. in Viennensi Concilio, sive caput, *Ne in agro Dominico*, Clementinarum lib. 3. tit. 10. num. 1. §. *Sane*. Atque hæc sunt, quæ ad disciplinam & consuetudinem spectant.

13. Successivè pia Consuetudo refriguit.

14. Exceptis Monachis.

VI.

15. PP. & Canones quidam suadent frequentem Communionem,

Suadent vero Patres, & canones communionis frequentationem, Cyprianus præsertim in libro de Orat. Dominica, Basilius prælaudata ad Cæsariam Epistola, Chrysostomus hom. V. in primam Epist. ad Timoth. Horum testimonia, cum ea collegerit Natal. Alex. lib. 2. Theolog. Moral. cap. 5. gratia brevitatis prætermitto. Ad frequentem præterea communionem hortatur Tridentina synodus sess. XXII. cap. 8. S. Gregorius VII. in epistola ad Comitissam Mathildem conscripta an. 1073. Theodulphus Aurelianensis in

Capitul.

Capitul. num. 44. jam ab anno 797. exaratis. Virginum præsertim, qui nondum lascivientis ætatis vitio labefactantur, ac provectæ ætatis hominum, qui peccare desinunt, juxta Concilium quoddam Cloveshoviæ an. 747. canone 23. usus communionis debet esse frequentior. Idem docuit postea Salesius parte 2. cap. 21. adhibito exemplo cerasi Aproniani, mali armeniaci, fragorum, aliorumque fructuum, qui saccharo confecti diutius servantur.

16. Alii nec laudant, nec vituperant.

II. Quidam Eucharistiæ frequentationem nec laudant, nec reprobant. Laudantur Augustini nomine, etiam citato in loco à Salesio, hæc verba cap. *Quotidie*, de Consecr. dist. 2. num. 13. *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec vitupero. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor: si tamen mens sine affectu peccandi sit.* Hæc verba sunt Gennadii in libro de Eccles. Dogmat. cap. 53. qui falso adscribitur Augustino. Sunt tamen sancti Patris, & excripta ex Epist. 54. ad Januarium cap. 3. verba, quæ in eodem cap. *Quotidie*, sequuntur, parum præcedentibus absimilia: *Faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam suscepisset Dominum, alter dixerit, Non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Addit paulo post Augustinus hanc similitudinem, *Quod in primo populo unicuique manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat:* & concludit, *Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium.* Adhibuit eandem moderationem S. Hieronymus, qui Epistola 30. aliàs 50. ad Pammachium ait: *Scio Romæ esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant; quod nec reprehendo, nec probo. Unusquisque enim in suo sensu abundat.*

17. Omnes dissuadent nondum deposito affectu peccandi.

III. Cæterum Patres docent illis à communione esse abstinendum, qui adhuc habent voluntatem peccandi, ut constat ex præcitato cap. *Quotidie*, necnon eis, qui eadem die utuntur uxoriis amplexibus, de quibus loco nuper laudato Hieronymus: *Eorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant, & juxta Persium noctem flumine purgant.* Alludit Hieronymus ad Satyram 2. Persii, qui de profano lumine ad sacra post nocturnum inquinamentum accedente:

> ..... *Tiberino in gurgite mergis*
> *Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.*

Ac ne repetam, quæ dixi secundo paragrapho, iis, qui scelerate vivunt, atque in eadem peccata prolabuntur, Eucharistiæ perceptionem *nil ad emundationem proficere*, docet lib. 1. Sent. cap. 24. S. Isidorus relatus in cap. *Qui scelerate*, de Consecrat. dist. 2. n. 24.

VII.

18. Regulæ generales de frequentatione Communionis.

Verum quid ex varia hac disciplina, atque ex his Patrum documentis pro frequentatione communionis infertur? Principio illud quidem, quod utilius est frequentius communicare, quam à communione desistere; perniciosum autem contemnere, aut fastidire cibum mannâ præstantiorem. Atque id commonstrant consuetudo nascentis Ecclesiæ, & Conciliorum ac Patrum monita saluberrima. Adde, quod ex parte Sacramenti semper est utilissimum, si sumatur, ut docet q. 80. art. 10. S. Thomas verbis Ambrosii lib. IV. de Sacram. cap. 6. num. 28. quæ etiam extant in Decreto, de Consecrat. dist. 2. num. 14. *Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.* II. At ex parte sumentium, si desint prænarratæ dispositiones, nulla utilitas ex Eucharistia percipitur, sed, si sumatur sacrilege, maximum detrimentum, & reatus sceleris omnium gravissimi. Etiam in dispositis, ut docet Augustinus, commendari potest *Centurionis humilitas*, si nempe censeant sese indignos, qui Christum recipiant: quamquam, ut recte animadvertit Sylvius in præcit. art. 10. tom. IV. pag. Venet. edit. 276. abstinentia communionis oriri solet ex timore, frequentatio autem ex amore: atque sunt, quæ ex amore procedunt, reliquis operibus laudabiliora. III. De frequenti autem communione has regulas trado. Prima est Salesii Philotheam alloquentis parte 2. cap. 20. ut qui caret affectu peccati, atque sacræ synaxeos desiderio inflammatur, ad eam *singulis Dominicis diebus* accedat. Altera est S. Bonaventuræ in IV. dist. 12. part. 2. q. 3. ut qui innocenter vivit, virtutemque sectatur, atque imitari studet nascentis Ecclesiæ pietatem ac devotionem, (quod nullus debet de seipso præsumere) arbitrio prudentis Confessarii etiam *quotidie* communicet. Tertia est pii doctique Scriptoris Ludovici de Ponte Tract. XIV. de Christiani hominis perfect.

cap. 6. §. 4. ut qui cœlibem agit vitam, & sedulo in Dei obsequium incumbit, proficitque plurimum in exercitatione virtutum, sectetur consuetudinem supra à Basilio laudatam, servatamque à monachis sub Apollo abbate, ut refert Palladius cap. 48. communionem sacram percipiendi *ter*, *aut quater* in eadem hebdomada. Regula IV. est, ut conjugati Deum timentes, sed officiorum suorum gravati onere, & soluti etiam, qui alteri famulantur, nisi queant frequentius, communicent *quintodecimo die*, aut semel in mense; prout monet eò loci Salesius. Postrema tandem, & certissima regula est, ut quisque sequatur docti prudentisque Confessarii consilia: is vero memor sit Dominici præcepti non absque causa dati in Exodo c. XVI. 16. de manna, *Colligat unusquisque quantum sufficit ad vescendum*; & moniti, quod legitur Proverbiorum XXV. 16. *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud.* IV. Postremo à rigidioribus Confessariis memoria tenendæ sunt propositiones duæ ab Alexandro VIII. anno 1690. proscriptæ: prima num. 22. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint*: altera num. 23. *Similiter arcendi sunt à sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

VIII.

19. §. Communionis effectus.

Reliquum est, ut dicamus de sacræ communionis effectibus. Horum primus est gratia: quæ nos Deo vehementiori charitate conjungit, infirmitatem corroborat, confirmat fidem; spem erigit, ac spiritali gaudio perfundit. De hac gratia legitur in Clement. de Reliq. & Ven. Sanct. lib. III. tit. 16. *Dedit igitur nobis se in pabulum, ut quia per mortem homo corruerat, per cibum relevaretur ad vitam: cecidit homo per cibum ligni mortiferi, relevatus est homo per cibum ligni vitalis: in illo pependit esca mortis, in isto pependit vitæ alimentum. Illius esus meruit læsionem, istius gustus intulit sanitatem: gustus sauciavit, & gustus sanavit. Vide quia unde vulnus est ortum, prodiit & medela; & unde mors subiit, exinde vita evenit. De illo siquidem gustu dicitur, Quacunque die comederis - morte morieris: de isto vero legitur, Si quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic est cibus, qui plene reficit, vere nutrit, summeque impinguat: non corpus sed cor, non carnem sed animam, non ventrem sed mentem.* Hæc Richardus in IV. dist. 9. art. 1. q. 2. his complexus est versibus.

Inflammat, memorat, sustentat, roborat, auget
Hostia, spem reficit, purgat, vitam dat; & unit;
Confirmatque fidem, munit, fomitemque remittit.

Aliquando Eucharistiâ conferri *per accidens* primam gratiam, ostendi lib. XXX. cap. 21. num. 2. Delet deinde communio venialia peccata, præservatque à futuris; ac proinde appellatur à Tridentino sess. XIII. cap. 2. *Antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur.* His accedit, ut testatur Ecclesia, *pignus futuræ gloriæ.*

CAPUT XVIII.

De variis ritibus in Sacramentali Communione servatis.

SUMMARIUM.

1. De quibus ritibus sit sermo.
2. De fractione.
3. De distributione olim usitata.
4. De dispensatione sub certa verborum formula.
5. Quid de modo?
6. Præsertim in Missis defunctorum?
7. Aut in nocte Sancta &c.
8. Quid in feria V. Cœnæ Domini.
9. Quid in Communione privata?
10. Et Communione infirmorum?
11. De ritu pontificio speciali.

1. De quibus ritibus sit sermo.

Ubi de sacræ communionis ritu pertractatum erit, finem imponam dissertationi de Eucharistiæ Sacramento. Pertinet autem ad illius ritus notitiam fractio panis, distributio, verborum formula, & subsequens ceremonia; peculiaris item modus communicandi in Missa cum simplicis sacerdotis, tum Pontificis, præsertim feria V. majoris hebdomadis, deinde extra Missam, ac demum quando Eucharistia deferenda est ad infirmos. De his vero ii, quibus notationes hæ nostræ minime satis erunt, poterunt perlegere Josephum

Vice-

Vicecomitem, Menardum, Lupum, Martenium, BENEDICTUM XIV. aliosque viros doctissimos, quorum opera, & loca singulatim commemorabo.

I.

2. De fractione.

Igitur quantum spectat ad panis *fractionem*, Christus manibus suis panem fregit, priusquam illum singulis distribueret, Matth. XXVI. 26. Divinat autem Hospinianus, qui parte 1. de Re Sacram. pag. 31. putat verisimilius Dominum confregisse panem in duas partes, quarum unam dederit illi, qui proximus ei accumbebat ad dexteram, alteram illi, qui ad sinistram, ut ipsi deinceps proxime accumbentibus porrigerent, donec singuli particulam sibi decerpsissent. Rabbini antiquarum rerum Judaicarum periti tradunt azymos panes coqui solitos *incisionibus in particulas plures signatos*, ut ad esum non sit opus illas incidere, sed solum frangere. Vide Baronium ad an. 58 Et revera Dominum panem *fregisse* innuit Evangelista. Vossius disput. XX. thesi 8. multiplici eruditione demonstrat incisos eodem pacto fuisse panes, quos Græci vocabant à βλωμὸς, *exigua buccella*, βλωμιλίες, Latini autem *buccellatos*; cujus generis erant panis militaris & nauticus. Consuescunt autem Græci oblationem partiri ferro, quod λόγχην, *lanceam*, dicunt, idque etiam servant Aethiopes; ut narrant Nicolaus Cabasilas in Exposit. Liturg. cap. 5. Humbertus Cardinalis in disput. de Azymo adversus Græcos, & Gaspar Sanctius in Act. Apost cap. 2. vers. 42. Consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quæ pro communione parat tenues, exilesque *particulas*, esse perantiquam constat ex dictis pag 200. Tenuissimam sacræ oblationis partem in communione sumendam, ut sciamus, quod *non satietati, sed sanctimoniæ deservit*, scribit quoque Gelasius Cyzicenus apud Lupum Volum. V. pag. 407. Partitio ante consecrationem facta id etiam affert commodi, quod minora conterantur fragmenta, dicta à Patribus *margaritæ*.

II.

3. De distributione usitata olim.

Nunc *de distributione*. Tradebatur olim panis in manus laicorum. Perspicua sunt de hac re testimonia apud Nazianzenum Orat. in laudem Gorgoniæ, Cyrillum Jerosolymitanum Catech. V. Mystag. Chrysostomum Hom. 3. in cap. 1. ad Ephesios, Hieronymum epist. 39. aliàs 62. ad Theophilum, & Augustinum lib. 2. contra literas Petil. cap. 23. num. 53. Huc spectat quod legitur de Novato apud Eusebium H. E. lib. VI. cap. 43. pag. edit. Valesii 245. in distributione Sacramenti coegisse miseros homines ad jusjurandum, apprehensis manibus, quibus adhuc tenebant Eucharistiam, his verbis, ὄμοσον μοι κατὰ τὸ σώματος καὶ τὸ αἵματος τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, μηδέποτε με καταλιπεῖν, καὶ ἐπιστρέψαι πρὸς Κορνήλιον, *Jura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam me deserturum, nec reversurum ad Cornelium.* Refert etiam Cyprianus de Lapsis p. 381. iniquum quemdam pro Eucharistia, quam acceperat, apertis manibus cinerem invenisse. II. At mulieres mundo linteamine manus quibus acceptura erant corpus Christi, cooperiebant; atque anno 578. Antiochodorensis synodus edidit hunc canonem num. 36. *Non licet mulieri nuda manu sua Eucharistiam sumere*: & canone 42. statuit eadem synodus, ut unaquæque mulier, quando communicat, accipiat corpus Domini mundo linteo, quod appellat *Dominicale*. Idem docet S. Cæsarius serm. 229. in Appendice Augustinianorum. Plura de his Martenius lib. 1. de Antiq. Eccl. Ritib. c. IV. art. 10. n. 8. Menardus in Sacrament. Gregorii Not. 1042. & Lupus in can. 101. Trullanum tom. 2. pag. 1065. Ex hoc canone intelligimus nonnullos communionem excepisse *vasculis aureis*: quod eo loci damnat Trullana synodus. III. Perperam Hospinianus lib. 2. de Re Sacrament. p. 33. Theodorus Beza Epist. 2. ad Tilium, & Vossius disput. XXI. thesi. 4. & 5. præferendam ajunt illam consuetudinem alteri, qua Eucharistia in os laicorum ingeritur. Primo enim orta est vetustior consuetudo ex necessitate, quam sævientibus persecutionibus habebant fideles deferendi secum Eucharistiam. Deinde etiam Græci illam consuetudinem reprobarunt more inducto sumendi Eucharistiam cochleari, non manu: quem morem illustris Lupus tom. V. pag. 411. institutum putat à S. Joanne Chrysostomo. Obtinuit præterea præsens dispensandæ communionis modus ante magni Gregorii tempora, ut liquet ex lib. III. Dialog. cap. 3. Eandem insuper consuetudinem confirmatam invenimus sæculo nono statutis Concilii Rothomagensis. IV. Quod inquiunt heterodoxi derivatum nostri ævi morem *à superstitiosa veneratione signorum*, calumnia est singularis: nam & veteres qui manu symbola excipiebant, ad ea junctis manibus accessisse, exhibito Eucharistiæ latriæ cultu, diximus supra. Ministrabatur autem populo *ex sublimi loco*, teste

Hiero-

Hieronymo in Altercatione Lucif. & Orthodoxi tom. IV. pag. 290. Hunc locum Græci *Soleam* dixere apud Goarium pag. 18. in Notis ad Euchologium. Ad eum locum acceſſiſſe percepturos communionem *conjunctis manibus*, refert S. P. Auguſtinus lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 7. num. 13. Communicaſſe flexis genibus putat Joſeph Vicecomes lib. V. de Rit. Bapt. cap. 27. pag. 367. At negant Habert, Valeſius, Thierſius, Martenius. Stantes communicabant, quoniam accedebant ad limen Sanctuarii; & extra cancellos poſiti vix flexis genibus oblata dona percipere potuiſſent. *In adorationis* tamen ſignum accedebant corpore proni, inquit Catech. V. Cyrillus Jeroſolymitanus; ſtabant *demiſſis oculis*, ait Chryſoſtomus Orat. in Encœnia, atque *adinſtar Seraphim* expandebant alas charitatis, inquit Hom. in Seraphim idem Chryſoſtomus.

III.

4. De diſpenſatione ſub certa verborum formula.

Utebantur ſacri miniſtri Euchariſtiam diſpenſantes, & utuntur etiamnum aliqua verborum formula. Tempore S. Gregorii hæc erat in uſu, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet animam tuam*, ut conſtat ex ejus Vita conſcripta à Joanne Diacono lib. 2. cap. 41. Profert Alcuinus hanc aliam, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam.* Illyrici utuntur iſta, *Corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit tibi in remiſſionem omnium peccatorum, & in vitam æternam.* In Galliis hæc olim obtinuit, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ſalus animæ, & corporis.* Græci ex Euchologio pag. 82. hanc adhibent, Μεταδίδωμι σοὶ τὸ τίμιον, καὶ ἅγιον, καὶ ἄχραντον σῶμα τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, εἰς ζωὴν αἰώνιον, *Impertior tibi pretioſum, ſanctum, & illibatum corpus Domini, Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, in vitam æternam.* Ea formula, quam nos proferimus, nota eſt ſingulis. II. Particulam *Amen* pronuntiatam olim ab iis, qui Euchariſtiam ſumebant, dixi pag. 163. hujus Voluminis: aperta ſunt autem teſtimonia Cyrilli præcitata Catech. 5. Myſtag. Ambroſii lib. IV. de Sacram. cap. 5. Hieronymi Epiſt. ad Theophilum, aliorumque. Menardus not 1046. in Sacram. Gregorii, Goarius in Miſſam Chryſoſtomi pag. 150. & Lupus in VII. Concilium Romanum tom. V. pag. 529. erudite de ipſamet particula pertractarunt. Sectarores Novati, ut refert cit. lib. Euſebius, loco *Amen* dicebant: *Non deinceps ad Cornelium revertar.* III. Mos eſt pervetuſtus, ut communicaturi imitantes humilitatem Centurionis dicant verba, quæ apud nos ante prædictam formulam tertio à ſacris miniſtris repetuntur, *Domine non ſum dignus, &c.* hujuſque vetuſtatis Durantus lib. 2. de Ritib. Eccl. Cathol. cap. 55. num. 21. & Cardinalis Bona lib. 2. Rerum Liturg. cap. 17. num. 1. aliique complures, teſtes proferunt Origenem, & Chryſoſtomum. De Communione calicis, de Intincta, & de ritu ſignandi pretioſo Sanguine organa ſenſuum, quoniam in variis hujus libri locis pertractavi, nil modo repetam. IV. Conſuetum fuit olim, dum Euchariſtia diſtribuebatur, pſalmum aliquem canere, cujus rei gratia antiphonam Miſſæ appellari *Communionem* præmonui capite 14. Præcitato in loco eruditiſſimus Bona comprobat conſuetudinem iſtam ex Liturgia S. Jacobi, ex Ordine Romano, ex Miſſa Aethiopum, & ex Auguſtino lib. 2. Retract. cap. 11. Canebatur, dum ſacra ageretur Synaxis, præſertim Pſalmus XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore*; eſt enim de panibus propoſitionis, & de Davide, qui immutavit vultum ſuum coram Abimelech: & recte, inquit Micrologus Eccl. Obſervat. cap. 18. *Euchariſtiæ accommodatur.* Actæ denique gratiæ, *ſicut & Chriſtus celebrata Cœna cum diſcipulis hymnum dixit*, ait S. Thomas 3. parte, quæſt. 83 art. 4. At de hoc etiam *hymno* pertractatum eſt capite 3. hujus libri pag. 116.

IV.

5. Quid modo?

Fere omnia quæ diximus, ſervantur in communione, quæ ex Miſſali & Rituali Romano, ſi fiat in Miſſa, ut faciendam monet ſynodus Trident. ſeſſ. 22. cap. 6. fieri debet *poſt communionem celebrantis ante purificationem.* Non eſſe adminiſtrandam communionem *poſt miſſam* à ſacerdote celebrante, docuerunt Brancacius, Thierſius, Le Brun, laudati à BENEDICT. XIV. de Sacrif. Miſſæ p. 4. ſect. 2. num. 160. At ſapientiſſimus Pontifex ſacrificio peracto adminiſtrandam docet, ſi magnus ſit communicantium numerus; quoniam adſtantes poſſent tædio affici, aut agendarum rerum urgeri ſollicitudine: quod & docuit Gavantus in Theſ. ſacrorum Rituum p. 2. tit. 10. In hujus ſententiæ confirmationem addo Concilium v. Mediolanenſe, in quo tom. XV. Concil. pag. 587. præſcribitur, ut ſacerdos, ſi communicare velit peracta jam Miſſa, utatur iiſdem veſtibus,

vestibus, quibus in eadem Missa usus est, *casula tantum deposita, & manipulo item.* Idem legitur in Sacramentali Ambrosiano pag. 74. extatque de communione *post Missam* facienda præscriptio in Antiq. Rit. Eccles. Salisburg. pag. 61. Permittitur eadem communio decretis Sacræ Congreg. Visit. Apostolicæ, latis sedente Urbano VIII., ea tamen cautione, ut Sacerdos *nec planetam, nec manipulum deponat:* profertque eadem decreta Cajetanus Meratus Observat. 29. in prælaudatum Gavanti titulum. II. Etiam in Missa defunctorum posse Eucharistiam administrari sententia probabilior est, eamque tenent quamplurimi, quibus subscribunt doctissimus Pontifex citat. loco num. 161. ac duobus sequentibus, & Meratus num. 28. nec aliud censet in Cerimoniali Ordinis nostri Hispanice edito Antonius de Castro pag. 445. Sancta enim Tridentina synodus citato in loco peroptat, *ut in singulis Missis* fideles communicent, iis, quæ aguntur pro defunctis, nequaquam exceptis. In his quoque Sacerdos ait in Canone, *Ut quotquot ex hac Altaris participatione, &c.* & in Rubricis Agendæ pro defunctis pariter legitur: *Si qui sunt communicandi, eos communicet, antequam se purificet.* Atque his præsertim rationibus permoti, recedunt viri docti ab opposita aliquorum sententia, innixa cuidam decreto S. R. Cong. an. 1701. quod tamen eadem Congregatio die 21. Martii an. 1711. vetuit, ne deinceps promulgaretur. III. Quæri potest, an communio administrari valeat in nocte Nativitatis Domini, & feria VI. ac sabbato majoris hebdomadæ. In nocte Nativitatis Salvatoris nostri communicant in solemni missa Clerici omnes Vaticanæ Basilicæ sacerdotio nondum initiati: & communicabant olim Carthusiani, & antiqui monachi: sed decreto S. Rit. Congregationis die 7. Sept. 1641. cautum est, ne post decantatam Missam aliæ celebrentur, & in eis communio exhibeatur fidelibus eam desposcentibus. Feria VI. in Parasceve *solis infirmis* dandam communionem sancivit eadem S. R. C. die 19. Februarii 1622. In sabbato etiam sancto à communione abstinendum commonstrat praxis Ecclesiæ, quam vetustissimam esse colligitur ex quo in Missa illius diei non cantetur antiphona, quæ appellatur *communio.* Vide in præcitata sect. 2. num. 14. præstantissimum, doctissimumque Pontificem.

6. Præsertim in Missis defunctorum.

7. Aut in Nocte Sancta, feria item VI. & Sabbato Hebdom. M.

8. Quid in feria V. Cœnæ Domini?

V.

In *Cœna Domini* fit ex antiqua consuetudine solemnis totius Cleri communio; quam laudant in Capitul. Theodulphus Aurelianensis Episcopus scriptor x. sæculi, Joannes Abrincensis auctor sæculi XI. & Ordo Romanus; eamque ex prisco more servari à Græcis tradit lib. III. de Eccles. Occidentalis & Orient. consensu cap. 17. Allatius. In Cerem. Episcoporum lib. 2. cap. 23. præscribitur, ut sacerdotes deferant *stolam à collo pendentem supra coctam.* Antiqui Monachi ea die communionem sumebant de manu Abbatis, prout observat Martenius de Antiq. Monach. ritib. lib. 3. cap. 13. num. 44. Decreto S. Rit. Cong. 2. Sept. 1608. omnes de Clero Eucharistiam sumere debent de manu Celebrantis, quamvis sint Canonici. Altero ejusdem Congreg. decreto. 8. Aug 1643. administrare eam debet Episcopus per se ipsum. Commendat hujus communionis ritum, prima sacrosanctæ Eucharistiæ institutio, ipsiusque facta duodecim Apostolis dispensatio, cujus tunc anniversaria commemoratio recolitur. Quidquid ad Communionem hanc spectat, collegit, produxit, & explicavit Notificat. diei 26. Februarii an. 1735. prælaudatus Romanus Pontifex.

VI.

9. Quid in Communione privata?

De Communione privata, quæ extra Missam administratur, iis, quæ traduntur in Rituali Romano, addi possunt perpauca. Meratus tom. 1. pag. 614. docet, quod paranda sint mappa munda, & vasculum cum vino, vel aqua ad purificationem, ac danda sit benedictio pyxide jam reposita, clausoque Tabernaculi ostiolo. Manuale Cameracense pag. 52. advertendos docet ignaros, purum ibi contineri vinum, aut puram aquam; quo i tamen quisque deprehendit ex quo vasculum extra altare confiatur, neque à Diacono, sed à minori clerico porrigatur. Sacramentale Ambrosianum ex documentis sancti Caroli pag. 71. præcipit, ut communio primò ministretur maribus, tum fœminis, nullo habito conditionis discrimine, & loco (de laicis sermo est) remotiori aliquantulum ab altari. Decreto demum Congregationis Concilii confirmato an. 1679. ab Innocentio XI. indicitur, ne uni major, alteri minor hostia præbeatur, cum idem Dominus etiam sub minima contineatur, nec apud Deum sit personarum acceptio.

VII.

10. Quid in Communione infirmorum?

Cum de Eucharistia pro infirmorum Viatico servanda prolixe egerim capite XII. theoremate 2. nil aliud dicendum remanet, nisi sacrosanctam Eucharistiam deferendam ad infirmos à sacerdote *in decenti habitu, superposito mundo velamine,*

mine, honorifice ante pectus, cum omni reverentia, & timore semper cum lumine præcedenti. Verba hæc sunt Honorii III. cap. *Sane*, 3. Decret. tit. 41. num. 10. Remensis synodus jam ab anno 852. definierat rem esse *horribilem ac detestabilem*, si ab alio, quam à presbytero ad infirmos Corpus Domini deferatur. Vide caput, *Pervenit*, de Cons. dist. 2. num. 29. Decentem habitum esse *superpelliceum cum stola*, demonstrat ex Ecclesiasticis definitionibus tom. 3. in Decret. pag. 816. eruditus Gonzalez. Cætera singulis nota sunt. Ad ægrotos, qui ob morbi gravitatem nequeunt sacram Communionem accipere, nullatenus deferenda est Eucharistia, ut illam adorent & venerentur, cum id Ecclesiastica decreta prohibeant, repugnante etiam praxi & disciplina; quæ juxta Pastorum statuta est accurate, diligenterque servanda.

VIII.

11. De Ritu Pontificis speciali.

Unum restat solummodo, quod forte à me quæret aliquis, cur Romanus Pontifex solemniter celebrans ratione à sacerdotibus aliis diversa communicet: etenim, postquam ad altare consecravit oblata, in Pontificali solio sumit dimidium *hostiæ*, distributa parte altera inter Cardinalem Diaconum, & Subdiaconum, sugitque pretiosum Sanguinem aurea fistula. Verum de hoc ritu dissertationem edidit noster Angelus Rocca, quæ extat Volum. 1. Operum ejus, pag. 15. Prætermissis autem omnibus, quæ eo loci afferuntur, arridet mihi plurimum ea ratio, quod Pontifex in altari symbolum gerit Redemptoris nostri, quatenus in Cœna postrema Eucharistiam fregit, & consecravit; in sublimi autem solio communicans confractam hostiam, & facie ad omnes conversa, gerit typum ejusdem Redemptoris palam in cruce immolati, & lancea clavisque transfixi. In memoriam quoque passionis, & calami, quo Jesus degustavit fel & acetum, utitur fortasse Pontifex ea fistula; quam tamen apud veteres invenimus aliquando adhibitam ad Sanguinem facilius exsugendum. Vide, si lubet, quæ de eodem ritu literis consignarunt etiam Innocentius III. lib. 6. Myst. Missæ cap. 9. & Guilelmus Durandus lib. IV. Rat. Divin. Offic. cap. 54. nam ego de Eucharistia, quatenus *Sacramentum* est, pro modulo ingenii mei hactenus pertractavi.

CAPUT XIX.

Demonstratur in Missa offerri Deo verum ac proprium *sacrificium.*

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Dolus Confessionis Augustanæ.
3. Quid sub nomine sacrificii intelligatur?
4. Institutio Christi in ratione sacrificii.
5. Præceptum Christi.
6. Et quidem in ratione sacrificii proprie talis, ut probant I. Scripturæ.
7. II. Elicitur ex confessione hæreticorum.
8. III. Ex traditione.
9. IV. Ex Liturgiis.
10. V. Ex ipso nomine Altaris.
11. Ratione.
12. Ob: I. Liturgias esse opera humana.
13. Et id non obesse.
14. II. Non legi nomen sacrificii in Evangelio.
15. Et legi sat clarè.
16. Non repugnat Sacramento sacrificium.
17. Nec unitas sacrificii Christi.
18. Supposita enim debita explicatione
19. Tota difficultas fit plana.
20. Non obstante distinctione Pauli.
21. Et longè minùs textu Joan. 4. v. 24.
22. Quô pluries abutuntur hæretici.
23. Hostia in sacrificio mactanda.
24. Quomodo hoc intelligendum.
25. Item.

1. Status Quæstionis.

JAM vero de Eucharistia, *quatenus sacrificium est*, in hac dissertatione agendum erit: qua in re, cum Theologi omnes in hoc amplissimo argumento versentur, moderate saltem necessaria, & graviora attingemus. Quoniam vero huc attinent quæ dicta sunt de oblatis, de consecratione, hujusque ministro, necnon alia plura in superioribus pertractata; illam instituo in præsentia quæstionem, an in Missa verum offeratur Deo sacrificium. Inter eos, qui negarunt in nova lege sacrificium esse offerendum, Carolus V. & Catholici Principes in respons. ad Confess. Augustanam connumerarunt Arianos, *de quibus Augustinus* (inquiunt in Harm. Confess. pag. 469.) *ait negasse faciendam oblationem pro vivis & mortuis.* At nihil tale apud Augustinum invenies. Scribit solum S. Pater Arianos dixisse, *offerri pro dormientibus non oportere*, observatque de hæresib. num. 53. id Arianum proprio marte addidisse ad dogmata Arianorum. Auctores itaque illius responsionis similitudo vocabulorum fefellit.

Inter

Inter veteres hæreticos invenies perpaucos, qui de medio substulerint sacrificia. Hoc tamen scelus attentarunt Petrobrussiani, Albigenses, atque hos subsecuti cæteri Novatores. Nam Lutherus in *Formula Missæ* edita anno 1523. oblationem Missæ appellat *abominationem*. Oecolampadius in resp. ad Confes. Luth. vocat altaria *impias lapidum congeries*. Eadem Petrus Martyr adversus Gradinerum part. 3. ad object. 16. comparat aræ Baal; ac similia effutiunt reliqui tum Calvinistæ, tum Lutherani.

2. Dolus Confessionis Augustanæ.

Quæret forte aliquis, qua ratione in Confessione Augustana tam primum edita anno 1530. quam post annos decem reformata scripserint hæretici: *Falso accusantur Ecclesiæ nostræ, quod missam aboleant: retinetur enim missa apud nos, & summa reverentia celebratur*. Ergone falsas in illos calumnias impingimus? Absit. Celebrant utique nonnulli hæreticorum Missam, sed cum velint homines sola in Christum fiducia justificari, nefarias consecutiones trahentes, ex quo Scriptura doceat ipsum Christum factum esse oblationem & sanctificationem pro totius mundi peccatis, atque una oblatione consummasse sanctificatos omnes, affirmant inferri injuriam passioni Christi, si alia repetatur oblatio, negant aliud sacrificium præter immolatum in cruce vim aliquam habere *propitiationis*, & concludunt ad hoc tantum deservire Missam, ut facta Dominici transitus commemoratione, & fiducia excitata sacramentum Eucharistiæ credentibus porrigatur. Negant igitur hæretici revera Missam, *quatenus sacrificium est*. Eam ob rem Lutherus in præcitata Missæ *formula* omnes Liturgiæ partes delevit, quæ spectant ad oblationem. Calvinus pariter docuit Genevenses, & Zuvinglius Helveticos, ne ullatenus *oblationis* nomen usurparent; & quidam pro altari lapideo posuerunt in templis ligneam mensam, retinentes communionem sacrificio rejecto. Atque ob eandem rationem *privatas* Missas, in quibus populus non communicat, damnant abusus, & nefariæ superstitionis. Idcirco in Confessione Augustana paulo post verba citata legitur: *Cum missa sit communicatio sacramenti, servatur apud nos una communis missa, singulis feriis, atque aliis etiam diebus, si qui sacramento velint uti, ubi porrigitur sacramentum his, qui petunt*. Et in Confess. reformata an. 1540. additur: *In institutione cœnæ Domini non mandat Christus, ut offerant sacerdotes pro aliis vivis ac mortuis. Qua igitur auctoritate hic cultus, tanquam oblatio pro peccatis, sine mandato Dei institutus est?* Quare, ut adversus hæreticos recta methodus teneatur, principio investigandum est, an Christus Eucharistiam instituerit etiam *ut sacrificium*, quod in Missa proinde sit offerendum: deinde, an sacrificium istud sit etiam *propitiatorium*, id est, offeratur pro peccatis, & pœnis peccatorum remittendis; ac præterea, num probandum sit sacrificium absque adstantium communione, hoc est, *Missa*, quæ dici solet *solitaria*, aut *privata*. Quæ hoc, & duobus proximis capitibus discutientur, nam reliqua ad hanc materiam spectantia tradentur postea.

3. Quid sub nomine sacrificii intelligatur?

Prænotandum est autem *sacrificii* nomine minime nos intelligere qualecunque opus bonum, quod eatenus sacrificium appellatur, quatenus ex bona voluntate procedens acceptum est Deo, ejusque indignationem avertit, & promeretur benevolentiam; quo sensu Ps. XLIX. 14. legitur: *Immola Deo sacrificium laudis*. Ps. L. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; & apud Augustinum lib. x. de Civit. Dei cap. 6. *Sacrificium verum est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreatur Deo*; sed intelligimus *sacrificii* nomine externum religionis officium, quo Deo tanquam supremo universorum Domino fit aliqua rerum sensibilium oblatio, ut cum in lege naturæ, vel scriptæ in ara à sacerdotibus immolabantur fruges, effundebantur libamina, mactabantur pecudes, & holocausta cremabantur. Definitur autem sacrificium à Theologis omnibus, *Externa oblatio à legitimo ministro facta soli Deo, qua in ejus cultum, & supremi dominii argumentum res aliqua sensibilis ritu mystico consecratur, & immutatur*. Ex qua definitione percipimus, in sacrificio offerendam esse rem aliquam extra nos positam, non voluntatem duntaxat, animique affectum: oblationem hanc non à quocunque, sed ab iis, quibus id muneris commissum est, & religioso ritu esse perficiendam; rem denique oblatam, ut quodammodo suprema Dei potestas resplendeat, esse *mystice* destruendam, aut absumptione ignis, aut divisione partium, aut liquidorum effusione, aut rerum oblatarum consummatione: alioqui, nisi talis mutatio intercedat, habebitur quidem oblatio, sed non sacrificium. Interim hæc prænotasse sufficiat; nam varia sacrificiorum genera initio proximi capitis afferentur.

4. Institutio Christi in ratione sacrificii.

Prop. I. Christus instituens Eucharistiæ sacramentum, obtulit in ea sacrificium.

Hæc propositio, quæ in hac controversia caput est cæterarum, demonstrata est auctoritate Scripturarum, ac Patrum libro XXVII. cap. 7. ubi etiam soluta sunt objecta hæreticorum. Summa autem illius capitis hac brevi argumentatione comprehenditur: Christus à Davide Ps. CIX. 4. & à Paulo ad Hebræos VII. 15. appellatur *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*: atque, ut docent Patres, & ratio suadet, hujus appellationis hæc est causa, quod idem Christus obtulit sacrificium juxta ritum & similitudinem sacerdotii Melchisedech, qui Genes. XIV. 18. dicitur *sacerdos Dei altissimi*. Atqui hujusmodi ritus, ac similitudo sacerdotii Melchisedech in eo sita est, quod sicuti Melchisedech *obtulit panem & vinum*, quæ erant typus ac symbolum Eucharistiæ, ita Christus Dominus sacerdotio functus est, dum ipsam Eucharistiam *sub speciebus panis & vini* instituam consecravit, & obtulit. Igitur Christus Eucharistiæ Sacramentum instituens verum & proprium obtulit sacrificium. Vide tom. V. p. 210. & sequentibus.

5. Præceptum Christi idem.

Prop. II. Christus Eucharistiam instituens præcepit Apostolis, ut illam in sacrificium offerrent.

Demonstratur proximis argumentis. Principio ait Dominus ad Apostolos Lucæ 22. 19 *Hoc facite in meam commemorationem*; at ipse obtulit sacrificium, ut alibi demonstratum est: igitur jussit, ut Apostoli idem sacrificium offerrent. Hinc apparet jure meritoque Tridentinam synodum sess. 22. cap. 1. hæc docuisse: *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit; & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, &c.* II. Probatur traditione Patrum. Etenim S. Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium non solum ait Christum fuisse sacerdotem, & obtulisse *hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem*; sed etiam ait pag. 230. novæ edit. *Si Jesus Christus Dominus & Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei Patris, & sacrificium Patri se ipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur, & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.* Irenæus lib. IV. cap. 32. ex dist. Massuet. 17. num. 5. postquam Eucharistiæ institutionem commemoravit, *Novi Testamenti*, inquit, *novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.* S. Joannes Chrysostomus Hom. 24. in 1. epist ad Corinth. pag. 533. aperte de Eucharistia, & de pane, quem frangimus, verba faciens, *Pro cæde brutorum* (inquit) *Christus se ipsum jussit offerri, ipsumque sacrificium mutavit,* τὴν θυσίαν ἀντὶν ἀμείψας; ἢ ἀντὶ τῶν ἀλόγων σφαγῆς ἑαυτὸν προσφέρειν κελεύσας. Eusebius Cæsariensis Demonstrationis Evangel. lib. I. cap. 10. docet pariter Christum in cœna *admirandam hostiam* Patri sacrificando immolasse *memoriam nobis tradendo, ut nos vice cruenti sacrificii eandem in perpetuum sacrificemus,* μνήμην ἡμῖν παραδοὺς ἀντὶ θυσίας τῷ θεῷ διηνεκὲς προσφέρειν. Similia Oecumenius in Paulum, ubi exponens ea verba, *Tu es sacerdos in æternum*, inquit, *Deditque ipsis Apostolis in cœna illa mystica modum ejusmodi sacrificii:* ἢ παραδοὺς αὐτοῖς ἐν τῷ μυστικῷ δείπνῳ τὸν τρόπον τῆς αὐτῆς ἱερουργίας. Theodoretus quoque in Epistolam ad Hebræos tom. 3. pag. 431. quærens, cur novi testamenti sacerdotes *mysticam Liturgiam* peragant, *Quoniam*, ait; *id nobis præcepit ipse Dominus dicens, Hoc facite in meam commemorationem:* τοῦτο γὰρ ἡμῖν αὐτὸς ὁ δεσπότης προσέταξε; τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Addamus post Græcorum testimonia, quædam inter Latinos præstantissimorum Antistitum. Ac Cypriani quædam exscripsimus paulo supra. Ambrosii in libro de Benedict. Patriarch. cap. 9. num. 38. Hæc sunt verba: *Panem dedit Apostolis, ut dividerent populo credentium, hodieque dat nobis eum, quem ipse quotidie sacerdos consecrat suis verbis:* & in Psalmum 38. num. 25. *Sequimur principem sacerdotum ut possimus sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium: etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio; quia etsi Christus nunc non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: imò ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium quod offertur.* S. Hieronymus lib. 3. Dialogi adversus Pelag. tom. IV. pag. 545. ait: *Sic docuit Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio audeant loqui, &c.* & infra pag. 547. *Recurre ad Genesim, & Melchisedech regem Salem, hujus principem invenies civitatis:*

vitatis: qui jam tunc in typo Christi panem, & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Salvatoris sanguine & corpore dedicavit. S. P. Augustinus Enarrat. 1. in Ps. 33. num. 5. ita loquitur: *Erat autem, ut nostis, sacrificium Judæorum ante secundum ordinem Aaron in victimis pecorum, & hoc in mysterio: nondum erat sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod fideles norunt & qui Evangelium legerunt; quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum.* Demonstrat deinde hoc sacrificium esse *secundum ordinem Melchisedech*, qui Deo panem vinumque obtulit. Habet similia lib. xvi. de Civit. Dei cap. 22. lib. 1. contra Adversarium legis & Proph. c. 20. epist. 95. num. 177. ad Innoc. n. 12. aliisque in locis compluribus.

6. Et quidem in ratione sacrificii propriè talis, ut probant imò Scripturæ.

Prop. III. Sacrificium, quod Christus instituit, & in Ecclesia offerendum præcepit; non est sacrificium improprie acceptum, atque, ut contendunt hæretici, sola Dominici Corporis distributio & communio, sed vera oblatio habens proprii sacrificii rationem.

Demonstratur primo ex antiquis figuris ac vaticiniis. Inter quæ mitto sacrificium Melchisedech, quod non fuisse nudam oblationem cibariorum factam Abrahamo, comprobatum est alibi. Prætermitto etiam immolationem Paschalis Agni, de qua disserui Volum. IV. pag. 48. nam & Paschalem agnum figuram fuisse Eucharistiæ, inde constat, quod Apostoli in cœna corpus Domini sacramentaliter manducarunt; ideoque præcessit hujus corporis immolatio; quoniam, ut inquit Theophylactus in cap. 28. Matth. οὐδεὶς ἐσθίει τι ἐὰν μὴ πρότερον ἐσφαγμένον ᾖ, *Nemo quidquam edit, nisi prius fuerit immolatum.* Etiam omitto typos alios veterum sacrificiorum, quos accurate expendit doctissimus Bellarminus lib. v. de Eucharistia c. 8. Ad revincendos enim hæreticos sufficit celebre vaticinium Malachiæ cap. 1. *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ est enim *oblatio* facta Domino ubique locorum, nisi Missæ sacrificium? De hoc utique sacrificio Patres omnes vaticinium illud interpretati sunt. Justinus in Dialogo cum Tryphone, Irenæus præcitato capite 17. Joannes Chrysostomus in Ps. 95. Hieronymus, & Theodoretus in Malachiam, S. Pater Augustinus lib. 19. de Civitate Dei cap. 23. & in primo contra Adversarium legis cap. 18. Damascenus lib. IV. Orthodoxæ fidei c. 14. & alii plurimi. Quorum testimoniis, cum obvia sint, & in unum collecta à Lindano tom. 2. Apologetici, à Bellarmino cap. 10. citati libri, & ab omnibus Polemicæ Theologiæ tractatoribus, addi possunt veteres omnes Rabbini, qui apud Galatinum lib. XI. cap. 9. Malachiæ verba explicarunt de vero sacrificio absque victimarum cruore; & sine loci coarctatione, offerendo. Perspicue enim vocabula Hebraiba מנחה מהורה, *Minchach meorà*, quæ Latinus reddidit, *Oblatio munda*, significant externum aliquod sacrificium; ac præsertim *oblationem similæ*, & molitæ farinæ, Levit. 11. 2. nec alia est vis Græcarum dictionum, θυσία καθαρά, *sacrificium mundum.* Etiam Drusius 2. p. tom. IV. Criticorum Anglicanorum pag. 801. interpretatur hæc verba, *Munus, quod offertur ex farina mundissima*: & Hugo Grotius tom. 1. Comment pag. 567. *Oblationes fidelium, ex quibus & Eucharistia fievat.* Præterea multæ aliæ fuere ejusdem sacrificii vaticinationes, ut Isaiæ XIX. 19. prædicitur altare in Ægypto erigendum, & cap. ult. 21. necnon Jeremiæ XXXIII. 22. prænuntiantur Sacerdotes & Levitæ alterius generis ab Aaronicis. Huc etiam spectat versus 16. Psalmi LXXI. *Et erit firmamentum in terra, in summis montium*; etenim in hoc codice Hebraico habetur pro *firmamento*; פשת בר Pissath bar, *placenta frumenti*, & Chaldaicus legens יהי קרבן דבורא בארעא בריש טוריא כנישתא id est, *Erit sacrificium frumenti in terrâ, in capite montium Ecclesiæ*, quo in loco prænuntiarum fuisse sacrificium Messiæ, *in placenta frumenti*, offerendum, tradunt antiqui Rabbini apud Raymundum Martinium in Pugione fidei 3. p. dist. 3. cap. 15. Petrum Galatinum lib. 10. cap. 4. & Josephum de Voisin de Lege Divina cap. 4. Jam vero sacrificium extra Jerusalem, in regionibus Gentium, super altaria in Ægypto, aliisque in locis constructa, & à ministris in sacerdotium electis immolandum, & offerendum, esse verum propriumque sacrificium, diversum ab Aaronico, necnon à cruento Christi peracto in Golgotha, res est clarior luce meridiana.

7. 2dò elicitur ex confessione hæreticorum.

II. Fatentur hæretici Eucharistiam in ultima cœna datam Apostolis, eamque nascentis Ecclesiæ fideles frequentasse, quod evidentissime historia Evangelica, Acta Apostolorum, & Paulus scribens ad Corinthios memoriæ posterorum tradiderunt. Sed commendant hæc omnia Eucharisticum sacrificium. Enimvero

quantum ad cœnam attinet, in ea Christus Eucharistiam appellavit *Pascha*, dicens: *Desiderio desideravi, hoc Pascha, &c.* Nam etsi hæc verba etiam ad Agnum typicum referri possunt; tamen verba proxima, *Ex hoc non manducabo illud, &c.* nonnisi ad Pascha Christianum, scilicet Eucharistiam, possunt accommodari, ut animadvertit Calmet in Lucam XXII. 16. & Estius in IV. dist. 12. §. 11. Etiam Theophylactus in Evangelia pag. 513. ea verba refert ad mysteria τὰ τῆς καινῆς διαθήκης, *quæ sunt novi testamenti.* Porro *Pascha* sacrificium est, ut demonstravi pag. 179. docetque Apostolus 1. ad Corinth. v. 7. ideoque in Eucharistia Christus verum obtulit sacrificium. Eapropter gratias egit, benedixit symbola, segregavit, & saltem *mystice* sanguinem separavit à corpore, quæ sunt actiones sacrificiorum. Spectat etiam ad sacrificii consummationem quod ipsemet Christus sumpserit Eucharistiam, atque, ut fieri solebat in sacrificiis pacificis, distribuerit eam discumbentibus. Ajebat propterea Cyrus Theodorus Prodromus in Matthæum pag. 119.

Θύεις τὸ θῦμα, καὶ τὸ δεῖπν' ἐσθίεις
Καὶ κλᾶς τὸν ἄρτον ἄρτε, καὶ κρατῆς πίνεις,
Ἄμφω γὰρ εἶς σὺ, καὶ θυτὴς καὶ θύσια.

Tu, qui sacrificium es, sacrificas; qui cœna, comedis;
Qui panis es, panem frangis: qui calix es, bibis;
Utrumque enim es, & Sacerdos, & hostia.

In Actibus Apostolicis XIII. 2. legimus: *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus, &c.* ubi pro *ministrantibus* est Græce λειτουργούντων, *sacrificantibus.* Hunc utique locum Theophylactus in Acta pag. 118. & Oecumenius pag. 110. interpretantur, τετέλεσι κηρυττόντων, *hoc est prædicantibus:* sed Græca vox omne *ministerium*, & præcipue *sacrificium* significat, nec Theophylactus & Oecumenius hoc excludunt. Ii siquidem, qui Domino ministrabant, erant sacerdotali charactere insigniti, etenim Saulo & Barnabæ manus imposuerunt; ideoque *prædicare* erat ministerii ipsorum pars tantum una. Si ergo λειτουργόντων accipiatur pro munere sacerdotum præcipuo; bene redditur *sacrificantibus*, ut explicarunt Sanctius, Estius, Lorinus, A Lapide. Adde Erasmum, qui reddidit, *Operantibus sacra*, & H. Stephanum, *Dantibus operam rebus divinis.* Præterea subjicitur τῷ κυρίῳ, *Domino:* at *prædicatio*, licet divinum opus sit, hominibus potius impenditur, quam Deo. Est in Syriaco participium מתכשפין, *Methchaschpin*, quod in Polyglottis Waltonianis tom. v. pag. 566. vertitur, *dum preces auspicarentur:* sed adverte Guidonem Fabricium Boderianum in Lexico Syrochaldaico explicare idem participium, Methchaschpin, *Exercentes actionem, qua vel sacrificent, vel preces concipiant.* In Bibliis denique Roberti Stephani edit. Parisiensis an. 1532. legitur in margine, *Sacrificantibus*; ideoque rectissime utuntur hoc testimonio adversus hæreticos Pontificii Theologi: quorum argumentationi non abs re erit has breves notulas adjecisse. Ut nunc ad Apostolum veniamus; is ad Corinthios 1. cap. x. 18. ut ab idololatria fideles averteret, inquit: *Videte Israel* (nota quarti casus vocem esse τὸν Ισραὴλ, in quod multi impegerunt) *secundum carnem: nonne, qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Mox vero: *Sed quæ immolant gentes dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Ex hoc loco appareret in mensa Domini, scilicet Eucharistia, absumi rem aliquam prius sacrificio immolatam. Illius enim argumenti hæc vis est: Israelitæ, ut sacrificii fierent particeps, admittebantur ad comedendum de hostiis Deo oblatis: atque idem fieri solet in sacrificiis Gentilium, qui proinde edentes victimas dæmoniis mactatas, communicant & ipsi sacerdotum suorum immolationibus. At vos, qui mensæ Domini participes estis, & communicatis sacrificio, quod offertur Domino, non potestis manducare quod immolatur idolis, nisi velitis pariter communicare sacrificiis idololatrarum. Atque hoc argumentum supponit in mensa Eucharistica sumi sacra munera jam sacrificio immolata, ideoque Eucharistiam esse sacrificium, quod prius offertur, deinde sumitur; quemadmodum fiebat in sacrificiis Judæorum, atque Gentilium. Præclare itaque Tridentini Patres sess. XXII. cap. 1. de Sacrificio Missæ ita loquuntur: *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: & quam non obscure innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes*

ticipes fieri: per mensam altare utrobique intelligens &c. III. In Eucharistia fieri sacrificium, & oblationem à communione sacramenti distinctam demonstrat vetusta, & perpetua traditio. Atque hujus traditionis exhibet testimonium Nicena Synodus, quæ canone 18. vetat, ne Diaconi sacramentum porrigant sacerdotibus, *cum nec regula nec consuetudo tradiderit, ut hi, qui potestatem non habent offerendi,* μητὲ ἐξουσίαν ἔχουσι προσφέρειν, *his, qui offerunt, dent Christi corpus*: ubi aperte *communio* ab Eucharistiæ *oblatione* secernitur. Protulit quoque adversus Oecolampadium Cutbertus Tonstallus vetustissimum ejusdem canonis fragmentum, in quo legebatur sumi in altari immaculatum Dei Agnum, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον, *incruente & sine mactatione immolatum*: atque hujus fragmenti, si revocetur in dubium αὐτογραφία, nequit in dubium revocari vetustas. Accedunt Patres, qui non solum in Eucharistia *sacrificium* agnoscunt, ut præcedenti propositione dictum est; sed ulterius in hoc sacrificio à distributione, & communione sacramenti distinguunt *oblationem* Deo factam. Nam Justinus prælaudata ad Antoninum Apologia pag. 97. ait prius deferri panem & poculum vini & aquæ ei, qui fratribus præest: ab ipso deinde offerri τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, *Patri universorum per nomen Jesu Christi, & Spiritus sancti*; & peracta Eucharistia, seu gratiarum actione, panem & vinum distribui unicuique præsentium. Quo in loco *oblatio* populi, *sacrificium*, & *communio* apertissime distinguuntur. Addit paulo post sanctus Martyr hoc idem fieri per imitationem docuisse pravos dæmones *in mysteriis & initiationibus Mithræ.* Μίθραμ Gentiles appellabant solem, ut docent Kircherius in Obelisco Pamphilii fol. 282. & Daniel Clasenius de Theolog. Gentili lib. 1. cap. 7. ac Mithræ immolabatur animal in editissimis montibus, utpote cœlo proximioribus; & post immolationem sacerdos singulis, qui intererant sacrificio, distribuebat frustum carnis. Quod utique reddit verba Justini planissima. Deprehenditur etiam *oblatio* in aliis Patrum testimoniis paulo supra productis: à quibus propterea repetendis abstineo; addens tantummodo quod lib. 2. Qq. Evangelicarum q. XXXIII. num. 5. ait Augustinus de vitulo saginato, epulisque à Patrefamilias resipiscenti filio paratis: *Et istæ epulæ atque festivitas nunc celebrantur per orbem terrarum Ecclesia dilatata, atque diffusa. Vitulus enim ille in corpore, & sanguine Dominico & offertur Patri, & pascit totam domum.* IV. Eruitur idem ex omnium fidelium populorum Liturgiis. In illis enim, quibus utuntur Græci, ac præsertim in Missa Chrysostomi pag. Euchol. 77 peracta consecratione Sacerdos alta voce ait: τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν, *Tua ex tuis*, scilicet donis, *tibi offerimus.* In Missa Aethiopum, cujus Canonem Latinum reddidit Petrus Paulus Gualterius Arretinus legitur: *Offerimus tibi hunc panem & hunc calicem, tibique gratias agimus, quod per hoc sacrificium dignos nos fecisti standi in conspectu tuo, & sacerdotale officium coram te exequendi.* Habentur similia in Liturgia Syriaca, quæ prodiit Romæ juxta vetusta exemplaria an. 1594. In Missali Maronitico, ut vertit Simonius in notis uberioribus ad Apologiam Severi, hæc habentur: *Deus, qui recepisti oblationem Abelis in campo, & Noachi in Arca, & Abrahami in vertice montis, & Davidis in area Doronis Jebusæi, & Eliæ in monte Carmelo, & minuta viduæ in Gazophylacio, suscipe oblationes istas, &c.* Liturgia Armeniorum ex typographia Congr. de Propag. fide pag. 8. *Et tua*, inquit, *hæc ab his tuis, tibi offerimus secundum omne, & pro omnibus*: quæ verba consimilia sunt præcitatis ex Missa Chrysostomi; & in quæ editi Commentarii S. Germani, Marci Ephesini, Nicolai Cabasilæ, aliorumque agnoscunt veri, propriique sacrificii rationem. Verum est tamen, quod *essentia* sacrificii, juxta communiorem Theologorum sententiam, non consistit in oblatione facta prædictis Liturgiarum verbis à Sacerdote, suo, & totius Ecclesiæ nomine; sed potius *in consecratione*, cujus verbis, quasi spirituali quodam gladio, exhibetur Christi sanguis ut effusus, & separatus à corpore, atque ita nomine Christi offertur victima salutaris, ut paulo post explicabo. At Liturgiæ omnes illam quoque consecrationem, & *oblationem* præscribunt: ad quam consequitur oblatio verbis expressa, qua Ecclesia offert, oratque, ut acceptabile fiat sacrificium eadem consecratione immolatum. Ex quibus apparet hæreticorum, qui Liturgias mutilarunt, temeritas & audacia. V. Valent plurimum ad id confirmandum *Altaria* ab exordio Ecclesiæ pro sacrificiis erecta. Quamquam enim per *catachresin* altare aliquando sumitur pro acervo lapidum, aut monumento in testimonium rei, non ad sacrificium erecto, ut Josue XXII. 10. attamen eo vocabulo absolute pronuntiato significatur *Ara*, aut potius *superior Aræ pars*, in qua

8. 3tiò ex traditione.

9. 4tò ax Liturgiis.

10. 5tò ex ipso nomine *Altaris.*

qua Deo fiunt sacra, ut etiam Festus apud Vossium in Etymologico, Servius in Eclogam v. Virgilii, & scriptores plurimi tradiderunt. Sacræ utique literæ vocabulum illud hac significatione accipiunt trecentis in locis : nec obstat è libro Josue citatus, in quo *altaris* nomine significari tumulum positum ad divisionem, non ad rem sacram agendam, constat ex textu : nam molem illam appellat Hebraicus Codex, מִזְבֵּחַ גָּדוֹל לְמַרְאֶה *Altare magnum ad videndum*, Græcus *Aram spectatu maximam*, βῶμον μέγαν τῷ ἰδεῖν, Vulgata *Altare infinitæ magnitudinis.* Altaria igitur proprie dicta, id est, pro sacrificiis in nova lege constructa, commemorat Apostolus scribens ad Hebræos XIII. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt* : ibique Græci legunt θυσιαστήριον, *altare* scilicet *pro sacrificio*, nam θυσία *sacrificium* est, *victima*, *hostia.* Horum autem altarium vetustatem comprobant sacra antiquæ Romæ monumenta, ubi adhuc visitur in *Catacumbis* altare lapideum vetustissimum ; aliud existit in Titulo Equitii, in quo rem sacram faciebat sanctus Silvester : consecratum alterum ab eodem Pontifice in Vaticana Basilica XIV. Kal. Decembris, tradunt MSS. antiquiora Lateranensis Archivi : constructa denique altaria supra Martyrum sepulchra commemorat S. P. Augustinus serm. 313. num. 5. & 318. num. 1. S. Paulinus Nat. 3. Prudentius in Hymno S. Hippolyti. & in altero S. Eulaliæ, aliique apud Bosium, Aringhium, Boldetium. Diximus & nos nonnulla de Altaribus Tom. VI. atque in hoc VII. pag. 206. Quæ de altari diximus, confirmat ordo Ecclesiasticæ Hierarchiæ, in qua extiterunt semper Pontifices, ac Sacerdotes, & quidem veri, proprie dicti, atque consecratione initiati, quod volumine altero demonstrabimus. At sicut altaria pro sacrificiis eriguntur ; ita *omnis Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur*, ut inquit Apostolus ad Hebræos VIII. 3. Sacerdos etiam, Isidoro teste, *à sacrificando* nomen habet. VI. Postremo nihil in Missa desideratur, quod necessarium sit ad sacrificium constituendum. Adest enim *minister legitimus*, & consecratus cum impositione manuum Presbyterii : offertur Deo *res sensibilis*, id est, Christi corpus & sanguis sub panis vinique speciebus : est etiam *mystica* quædam immolatio & mactatio, & quædam *mystica* effusio sanguinis, dum calix consecratur separatim ab alio symbolo, seu à pane in Christi corpus transubstantiato, unde Lucæ XXII. 20. de poculo sanguinis legitur, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *quod pro vobis funditur* : quæ verba nequeunt intelligi de sanguinis effusione facta duntaxat in Cruce, tum ob participium præsentis temporis, tum ob orationis syntaxim, nam τὸ ἐκχυνόμενον, *quod funditur*, refertur ad τὸ ποτήριον, *poculum*, casus recti, non ad ea verba, *in sanguine meo*, ἐν τῷ αἵματι μου, ut constat Græca inspicienti. Atque hinc apparet etiam in consecratione *Panis* participium διδόμενον, *quod datur*, præsentis temporis, referendum esse ad corpus Christi existens sub specie panis, unde Apostolus 1. ad Corinth. XI. 24. pro διδόμενον posuit κλώμενον, *quod frangitur* ; quoniam idem Christi corpus, quod immolatum est in Cruce, frangitur in altari, non quidem in se, sed ratione *specierum*, ut dixi pag. 183. Tandem in sacrificio nostro est etiam *rei oblatæ consumptio*, quæ fit, dum sumitur Eucharistia, & à Sacerdote utraque species deglutitur : neque huic consummationi obstat, quod reservetur ex oblatis pro communione fidelium, & pro infirmorum viatico ; nam & olim de victima oblata servari aliquid poterat in diem alteram ; & aliquando sacrificium igne absumebatur, aliquando comedebatur ab offerente, aliquando partim igne cremabatur, partim vero cedebat in cibum offerentium, & Levitarum.

11. Ratione.

OBJECTORUM REFUTATIO. 12.

Objicitur imò, Liturgias esse opera humana.

Quæ faciunt adversus Christi sacerdotium, & sacrificium in ultima Cœna peractum, refutata sunt lib. XXVII. cap. 8. Remanent nunc diluenda, quæ adversus incruentum Missæ sacrificium objiciuntur : quorum unum est, Missam humanum esse institutum, non Christi mandatum. Nam Sacrificii *ordinem* primi ediderunt Jacobus, & Marcus : & horum quoque Liturgia, si non *apocrypha*, dubia est saltem. Theodorus enim Balsamon libro V. Juris Græco-Romani illam in dubium revocat, & Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis Liturgiam Jacobi precum additione *locupletatam* esse fatetur. Nec suspicione carent, quæ circumferuntur sub Chrysostomi, & Basilii nomine ; nam à multis Proclo Constantinopolitano Archiepiscopo tribuuntur. In his præterea Græci à nobis dissentiunt circa *formam* consecrationis, in qua potissimum sita est, juxta Pontificios Scriptores, ratio sacrificii.

13. Respon. id non obesse

Respondeo, nil concludi adversus sacrosanctum & incruentum sacrificium ex his, quæ hæretici de sacris Liturgiis commentantur. Primo, quia licet Apostolorum successores divino *ministerio* preces addiderint, & ritus ac ceremonias immutarint

mutarint; non sequitur ab Ecclesiæ incunabulis non fuisse immaculatum Agnum Christum in altari immolatum, neque sacrum ministerium & sacrificium peractum in mensa Domini; cum oppositum doceant Acta Apostolica, Paulinæ Epistolæ, antiquus scriptor Justinus, universorumque Patrum consensio. Deinde ex his, quæ de Liturgiis affimant, ita hæreticos ipsos perstringimus: Quemcunque auctorem variæ Liturgiæ habeant, antiquissimæ sunt tamen, & quæ sub Basilii & Chrysostomi celebrantur nomine, obtinebant quarto Christiani nominis sæculo. Tunc ergo temporis in Ecclesia Christi incruentum sacrificium offerebatur. Sed nec probabile est Basilium, Chrysostomum, aut alium quempiam novum sacrificium adversus Patrum traditionem invexisse, universa Ecclesia approbante. Habent præterea antiquæ Liturgiæ invictum testimonium ex canone 32. Trullano, in quo legitur, *Nam & Jacobus Christi Domini nostri secundum carnem frater, cui Hierosolymitanæ Ecclesiæ thronus primum est creditus, & Basilius Cæsareensium Ecclesiæ Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis in scriptis tradito Sacrificio, ita consecrandum in divina Missa ex aqua & vino sacrum calicem ediderunt.* In unaquaque deinde Ecclesia vetus aliqua Liturgia custoditur, recepta ab immemorabili tempore, & longe antequam Lutherus & Calvinus prodirent. Possunt denique omnia, quæ de Liturgiis controvertuntur, facile componi, si dicamus Apostolos quemdam itum instituisse, ut sacrificium Eucharisticum certis precibus perageretur, quo in ritu contineri *Orationem Dominicam* scribit Hieronymus lib. 3. Dialogi contra Pelagianos: Jacobum preces alias addidisse pro Hierosolymorum Ecclesia; idem præstitisse pro Ecclesia sua Institutores alios; Basilium deinde, Chrysostomum, ac forte etiam Proclum, ex Liturgiis variis unam aliquam collegisse; ita, ut si prior Liturgiæ origo spectetur, auctores habeat Apostolos; si ampliatio, aut collectio, sanctissimos, & præstantissimos Episcoporum. De *forma* autem consecrationis dictum est supra.

14. 2dò Non legi nomen sacrificii in Evangelio.

Oppones 2. Innititur dogma de incruento Missæ sacrificio institutioni Cœnæ, in qua creditur Dominus Jesus sacrificasse corpus, & sanguinem suum sub panis, vinique speciebus, declarans se ipsum ratione rerum oblatarum Sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech.* Verum id falsum est: legimus quippe in Evangelio, Dominum cum Apostolis sedisse, fregisse panem, distribuisse discumbentibus: obtulisse sacrificium non legimus.

15. Resp. legi sat clarè.

Resp. falsum esse, quod Christus in ultima cœna non obtulerit sacrificium. Principio enim quod ajunt hæretici, id non legi in Evangelica historia, est argumentum negans, & nullius ponderis: deinde & obtulisse legitur, & ulterius præcepisse Apostolis, ut offerrent. Legitur obtulisse, in veteris, novique Testamenti locis, quæ eum appellant sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*: & legitur etiam in verbis Institutionis, ubi calicem porrigens inquit: τοῦτο τὸ ποτηριον ἐκχυνόμενον, *Hoc est poculum, quod funditur*, quæ, ut diximus, præsentis sunt temporis, & referuntur ad calicem pretioso sanguine plenum, ideoque fuit in cœna immolatio, & mystica effusio sanguinis. Deinde, quamvis verba hujusmodi non legerentur; aperte tamen legitur Christum consecrasse calicem seorsim à pane, illumque appellasse calicem sanguinis sui: quod sufficit ad sacrificium comprobandum. Nostræ enim communionis Theologi docent *essentiam* sacrificii sitam esse in consecratione; & quamvis nonnulli addant etiam fractionem specierum, earumque sumptionem, non tamen hæc duo spectare censent ad sacrificii substantiam, sed unum ad repræsentationem passionis Christi, alterum ad consumptionem rei oblatæ. Etenim eo ipso, quod Christi sanguis exhibetur, ut separatus à corpore, *mystice* mactatur, & immolatur, ideoque in ea separata consecratione potissimum sita est ratio sacrificii, & *oblatio*, non quidem verbis expressa, qualis habetur in Liturgiis paulo supra commemoratis, & quæ supponit oblationem factam nomine Christi, sed oblatio actu perfecta, sive, ut inquiunt Scholastici, *in actu exercito*, eo ferme pacto, quo ipsa mactatio victimarum erat oblatio sacrificii, etsi forte Levita non dixerit, *Offero, sacrifico, macto.* Vide Estium dist. XII. §. 12. Sylvium in quæst. 83. art. 1. Bellarminum de Euch. lib. v. cap. 1. Juenin dissert. v. quæst. 2. cap. 2. &c. Cum igitur Christus separatim symbola consecraverit; verum obtulisse sacrificium infertur ex ipsa consecratione in Evangeliis narrata.

16. Non repugnat Sacramento sacrificium.

Rursus oppones: Eucharistia sacramentum est; igitur non est sacrificium. Repugnat enim, quod eadem res sacrificii & sacramenti rationem habeat: siquidem sacramentum nobis exhibetur, & sacrificium offertur Deo.

Respondeo, falsam esse consequentiam, hujusque probationem inanem & ludicram: siquidem nulla repugnantia est,

quod eadem res sub diversa ratione sit simul & sacramentum, & sacrificium; sacramentum, prout institutum est tanquam signum efficax nostræ sanctificationis; sacrificium vero, quatenus mystico ritu à nobis offertur supremo Domino. Etenim agnus Paschalis sacramentum erat ut Christum præsignabat, & sacrificium ut Deo immolabatur: ac fatentibus hæreticis idem Christi corpus vere à nobis comeditur in Eucharistia, & vere pro nobis fuit immolatum in cruce. Fieri præterea non potest, ut Deo offeramus aliquid, quod non sit datum nobis ab ipso Deo: nam, ut Dominum alloquebatur sanctus David 1. Paralip. xxix. 14. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

17. Nec unitas sacrificii Christi.

Præterea opponet: Unicum & singulare est sacrificium Christi, atque illud est, quod obtulit in cruce, factus pro nobis hostia, sanctificatio, & redemptio. Nullum ergo sacrificium, illo uno excepto, agnoscendum est. Probatur antecedens ex Epistola Pauli ad Hebræos. In ea cap. VII. 23. novum Testamentum præfertur veteri, quod in veteri multi extiterint sacerdotes, quorum unus alteri vita functo succederet; in novo unus sacerdos sit, immortalis, & successorem non habens: *Et alii quidem plures* (ait Apostolus) *facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem, eoquod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Si ergo nullus est sacerdos præter Christum, nullus est etiam minister legitimus, qui offerat sacrificium. Pergit Apostolus commonstrare nullum aliud sacrificium, præter cruentum crucis, esse admittendum, ex quo istud semel oblatum à Pontifice, qui sanctus erat, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, longe superaverit sacrificia quælibet vetera, propterea quod ipse Pontifex, cum esset innocens, non tenebatur offerre hostias pro peccatis suis, & alias rursus hostias pro peccatis populi; & cum esset excelsior cœlis, & filius Dei, ac præterea obtulerit semetipsum, hostiam scilicet summi pretii, non opus erat aliud adjicere sacrificium: *Qui non habet*, verba sunt Pauli, *necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel se ipsum offerendo.* Qui ergo incruentum sacrificium propugnant, maximam sacrificio Crucis irrogant injuriam, quasi fuerit aut sacerdotis peccato obnoxii, qui priorem illam hostiam pro se immolaverit; aut sacerdotis exigui meriti, cujus unicum sacrificium non valuerit ad omnia totius populi expianda delicta. Proximo capite nono ejusdem Epistolæ versu 12. legitur: *Introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa:* versu 26. *Semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit:* versu 28. *Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata:* & demum cap. X. 14. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Hæc vero quomodo possunt explicari ab iis, qui sacrificia quotidiana commendant? Si Christus cruenta crucis immolatione invenit redemptionem æternam, si hæc una oblatio exhaurire potest universa peccata, si ab hac una perficitur omnis justitia, omnis sanctitas; nonne quælibet alia oblatio inutilis prorsus est, & cedens in Crucis injuriam, & contumeliam? Atque hoc est præcipuum in hac controversia argumentum.

18. Supposita enim debita Explicatione.

Ut vero facilius solvatur, tria sunt breviter explicanda: primum, quomodo Christus sit *Sacerdos in æternum*, neque aliquem habeat successorem; alterum, qua ratione oblatio ejus sit una; tertium, quid præstet efficiatque oblatio sacrificii incruenti. Est igitur Christus *sacerdos in æternum, ratione personæ*, quia ipse ministerio sacerdotum semper sacrificium offert: *ratione officii*, quia semper vivit ad interpellandum pro nobis; & *ratione effectus*, quia per sacrificium crucis factus est singulis hominibus causa redemptionis & salutis æternæ. Neque in Sacerdotio aliquis Christo succedit, quia *successor* ille dicitur, qui subrogatur in locum alterius vel amoti, vel abeuntis, vel mortui; Christus autem per ministros suos erogat fidelibus verbum prædicationis, sacramenta, & corpus ac sanguinem suum, quem semel in cruce obtulit. Quare sacerdotes novæ legis non sunt *successores* Christi, quemadmodum Aaroni successit Eleazar, Eleazaro Phinees, atque ita deinceps; sed sunt potius *ministri*, & *dispensatores mysteriorum Dei*, sicut in prima ad Corinthios cap. IV. 1. ait Apostolus. Hac itaque ratione Christus est Pontifex permanens *in æternum*, & cui nullus succedit. Sacrificium autem à Christo oblatum unum est, quatenus in uno crucis sacrificio pretium solutum fuit pro redemptione hominum universorum, neque alia hostia necessaria est ad exhaurienda peccata, cum illa infiniti sit pretii, & quidquid nobis gratiarum impenditur, descendat ex illius sacrificii merito, & efficacia. Ex quo tamen incruentum sacrificium minime excluditur; quoniam istud

non

non offertur, ut redimatur mundus, aut solvatur salutis pretium, sed ut virtus passionis nobis applicetur per sacrificium, quod in ejusdem passionis commemorationem peragitur. Neque enim oblatio crucis excludit media, quibus ejus virtus & effectus hominibus applicetur: alioquin & baptismus, & pœnitentia, & bona opera, & cætera salutis media superflua forent, & Crucis sacrificium his quoque mediis adhibitis maxima afficerent injuria. Quod ergo diximus pertractantes de Christi Redemptione lib. XVII. & XXVIII. aliud esse oblationem pretii, aliud actualem ejus applicationem, quemadmodum aliud est, quod à medico paretur saluberrimum remedium, aliud quod applicetur ægrotis, tenet etiam in casu; siquidem per sacrificium crucis pretio soluto, & condigna satisfactione redempti sumus, & per sacrificium incruentum ad nos pretium illud, & gratiarum copia derivat: quod utique cedit in sacrificii cruenti laudem & commendationem; quemadmodum laudatur medicus, ejusque commendatur remedium, quotiescunque applicatur infirmis, atque his impertitur pristinam valetudinem. Denique sacrificium crucis, & sacrificium Missæ, licet attento oblationis modo diversa sint, spectato tamen primo ac summo Sacerdote, id est, Christo, & considerata hostia, quæ offertur, ipsius nempe sacratissimo corpore, & sanguine, idem sacrificium sunt, sive unum est alterius applicatio. Hæc omnia tradit sacrosancta synodus Tridentina sess. XXII. cap. 2. his verbis: *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur.*

19. Tota difficultas fit plana.

His præmissis ad primum Apostoli testimonium respondeo, loqui illum de sacerdotibus summis, id est Pontificibus, quorum unus eligebatur mortuo altero, ut liquet ex illis verbis, *Idcirco quod morte prohiberentur permanere*: Sacerdotes enim alii, summo Pontifici subjecti, plures simul ministrabant. Id non solum interpretes nostri tradunt unanimiter, sed etiam editores Bibliorum Londinensium tom. v. pag. 862. qui lectionem Syriacam reddiderunt, *Multi fuerunt Pontifices*, & Grotius qui in hunc locum scripsit: ἱερεῖς, *Sacerdotes, id est, per excellentiam* ἀρχιερεῖς, כֹּהֲנִים גְּדוֹלִים *Pontifices magni.* Ex quo autem Christus successores non habeat, non sequitur plures non habere ministros; atque inter istos unum quoque cæteris sublimiorem, qui *Maximus* appelletur in ordine ministrorum, vicarius Christi, & Petri successor, non autem *successor* Christi, ut inquit in suis ad hanc Paulinam Epistolam annotationibus Jacobus Cappellus. Deinde ex quo Christi sacerdotium *æternum* sit, potius infertur, quod in Ecclesia à Christo per ministros, ipsius personam gerentes usque in finem sæculi debeat exerceri; ut recte ratiocinatur Estius disp. XII. §. 13. ad 3. Egregie autem ratiocinationem Estii confirmat Oecumenius in hanc Epistolam pag. edit. Sohnii 348. scribens: *Neque enim de ea, quæ semel à Deo facta est oblatio, & hostia, dixisset; in æternum: sed respiciens ad præsentes ministros, per quos medios Christus sacrificat, & sacrificatur:* δι' ὧν μέσων χριστὸς ἱερουργεῖ, καὶ ἱερουργεῖται. Quod opponitur ex versu 27. ejusdem capitis, diluitur ex dictis. Semel enim Christus obtulit semetipsum in cruce, & illa unica oblatio efficax fuit ad omnium peccatorum remissionem: at inde non sequitur inutilem esse oblationem aliam, per quam applicetur nobis effectus illius primæ oblationis; nec sequitur unam cedere in alterius injuriam; præsertim cum sacrificium incruentum offeratur in commemorationem cruenti, atque ut offeratur, præceperit ipse Dominus. Quis enim dixerit affici aliquem injuria, dum præcipuum ac præstantissimum ejus opus celebratur, & colitur, atque executioni mandatur, quod ipse præcepit; cum in iis etiam, quæ non continent religionis actum, non afferunt utilitatem, nec augent meritum obedientiæ, *Consentienti, & volenti*, ut fert commune proloquium, *nulla fit injuria?* Ad ea pariter, quæ subjiciuntur ex cap. 9. & 10. responsio patet ex dictis. Fatemur enim & nos sufficere ad redemptionem, & sanctificationem universorum, unicum crucis sacrificium; sed negamus excludendum esse sacrificium incruentum, quod ratione *rei oblatæ* cum ipso crucis sacrificio est unum, & idem; atque institutum est, non ut alia hostia pro nobis immoletur, sed ut illius, cruentæ scilicet immolationis, à nobis fructus percipiatur, quemadmodum inquit Tridentinum Concilium paulo supra laudatum.

20. Non obstante distinctione Pauli.

At dices: Si etiam in novo testamento iteratur sacrificium, igitur tollitur distinctio à Paulo inter utrumque testamentum facta, atque inde petita, quod sacerdotes Aaronici plures hostias mactaverint, Christus vero unam, eamque semel obtulerit.

Respondeo falsam esse consequentiam: persistit enim statutum à Paulo discrimen, etiamsi à nobis iteretur sacrificium: nunquam enim Levitæ offerebant eandem numero hostiam, & sæpenumero mactabant victimam diversi generis, puta vitulum, ovem, turturem. Deinde una victima non offerebatur pro expiatione omnium peccatorum, neque deservire poterat pro holocausto, & pro hostia pacifica: & insuper pro peccato offerebatur vitulus, aut hircus, aut capra, pro legali immunditia agna, vel turtures, aut columbæ, &c. Præterea nulla oblatio vel ex se, vel ex alia ejusdem testamenti habebat vim sanctificandi & remittendi peccata. Econtra in novo Testamento immolatur semper eadem numero *Hostia*, hæc una est omnis sanctificationis origo, per hanc unam delentur omnia peccata, & ab hac una semel in ligno crucis oblata, vim habent quotidianæ oblationes, per quas fidelibus applicatur Dominicæ passionis virtus.

21. Et longè minus textu Joan. 4. v. 24.

Insuper oppones: Legitur Joannis IV. 24. *Eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare;* quo in loco adorationis nomine intelligitur quilibet cultus Deo exhibitus, præsertim vero sacrificium, nam his verbis demonstrat Christus advenisse finem à Prophetis prænuntiatum veterum sacrificiorum, quæ à Judæis in Templo Jerosolymitano, à Samaritanis in monte Garizim immolabantur. In lege ergo Evangelica nullum offerendum est sacrificium præter spirituale, & internum.

22. Quo pluries abutuntur hæretici.

Resp. perperam abuti hæreticos hoc loco ad excludendum non sacrificium tantummodo, sed etiam usum templorum, peregrinationes, cæremonias, omnemque Dei cultum externum. Nam Christus quoque adoravit in templo, ibique post ipsius ascensionem quotidie orabant discipuli; & sacræ ædes, ritus, oblationes, ac preces non solum corde, verum etiam ore prolatæ quovis sæculo obtinuerunt. Evangelicæ itaque sententiæ sensus est, quod sublato errore Samaritarum sacrificantium in monte Garizim, & sublatis etiam cruentis victimis, quæ Jerosolymis mactabantur, offerenda erat *oblatio munda* ubique locorum, in spiritu, & veritate, non in figura, & futurorum typo, sed in fide, & spiritali devotione, non exclusis tamen vel loco, vel externa actione, vel oblatione rei sensibilis, quæ hominibus animo & corpore constantibus, visibili congregationi fidelium, & religionis Christianæ officiis sunt necessaria. Atque his adde sacrificium nostrum *spirituale* esse, quatenus externo ritu, & sub aspectabilibus symbolis immolatur victima salutaris, quæ non videtur, sed creditur; non jugulatur gladio, sed immutatur verbis; non absumitur dilaniata, sed spiritaliter manducatur, sensu exposito cap. IX. Regula IV. & VIII.

23. Hostia in sacrificio occidenda.

Postremo objicies: Hostia, quæ in sacrificium offertur, debet occidi; Christus in Eucharistia non occiditur: igitur Christus in Eucharistia non offertur in sacrificium. Neque huic argumento satisfit respondendo in Missa etiam Christi sanguinem fundi, ut supra dictum est: siquidem Græcum participium τὸ ἐκχυνόμενον, in Latina quoque vulgata redditur, *Quod effundetur*, futuri temporis: eodem modo pronuntiatur in Canone Missæ, quo utitur Romana Ecclesia, atque à Cypriano ad Cæcilium scribente. Ea versione nos pariter usi sumus pag. 182. ad probandum in calice contineri verum Christi sanguinem effusum in cruce. Nulla ergo in altari intervenit effusio sanguinis; imo nec hostiæ immutatio, necessaria ad sacrificii rationem.

24. Quomodo hoc intelligendum?

Resp. primo negando majorem; nam quamvis in sacrificiis *cruentis* effunderetur victimarum sanguis, plura tamen fuerunt sacrificia *incruenta* absque sanguinis effusione, ac talis fuit etiam oblatio sacerdotis Melchisedech, cujus *ordinem*, ac similitudinem oblatio nostra imitatur. Appellat propterea Cyrillus Jerosolymitanus hanc oblationem Catechesi V. mystagogica τὴν πνευματικὴν θυσίαν, τὴν ἀναίμακτον λατρείαν ἐπὶ τῆς θυσίας τὲ ἱλασμᾶ, *spirituale sacrificium, cultumque incruentum super ipsa propitiationis hostia* peractum: & Chrysostomus hom. 52. in S. Eustathium Antiochenum, *Est*, inquit, *sacrificium etiam sine sanguine: sciunt hi, qui mysteriis initiati sunt, quod dicitur,* ἐστι θυσία καὶ χωρὶς αἵματος. ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ λεγόμενον. Gregorius quoque Nazianzenus carmen XII. ad sacerdotes Constantinopolitanos sic incipit:

Ω θυσίας πέμποντες ἀναιμάκτους ἱερῆς,
O Qui sacra Deo offertis non tincta cruore.

25. Item.

Deinde respondeo, fundi etiam sanguinem in Eucharistiæ sacrificio *mystice*, dum calix consecratur separatim; qua consecratione *vi verborum* ponitur *ut à corpore effusus*, licet per *concomitantiam* cum sanguine adsit etiam corpus, ut sæpe diximus: atque hæc mystica effusio sufficit ad sacrificium, quod non est *cruentum*, sed sacrificium cruentum in *symbolis* repræsentat. Demonstratur eadem effusio mystica in participio præsentis temporis, quo in Consecratione calicis usus

usus est Christus: quod absque ulla contradictione Vulgata, Canon Missæ, & Cyprianus proferunt, *Quod effundetur;* quoniam etiam in cœna & in poculo Eucharistico effusus est *mystice*, sive ratione symboli, idem Christi sanguis, qui fundendus erat in sacrificio cruento crucis, *in remissionem peccatorum.* Relucet in hac mystica immolatione etiam mutatio victimæ, ut explicatum est supra, & consummatio in specierum absumptione, quæ est incruenti sacrificii pars *integralis*, & complementum.

CAPUT XX.

Demonstratur, sacrificium Missæ esse sacrificium *Propitiatorium.*

SUMMARIUM.

1. Varietas sacrificiorum.
2. Captata ex hac ansa Novatorum.
3. Sacrificium Missæ verè propitiatorium docet Scriptura. Trid. & Traditio Majorum.
4. Etiam pro defunctis est offerendum.
5. Non tamen pro Sanctis, aut damnatis.
6. Soli Deo à nobis offertur.
7. Potest offerri pro omnibus vivis.
8. Non excommunicatis regulariter loquendo.
9. Quomodo pro Catechumenis.
10. Cohærentia & diversitas fructuum.

1. Varietas sacrificiorum.

PLura sacrificiorum fuerunt genera, quæ à Theologis dividi solent vel ratione legis, vel ratione rei oblatæ, vel ratione ritus, vel denique ratione finis. Ratione legis alia sunt sacrificia *legis naturæ*, qualia obtulerunt Abel, Enos, Noe, Abraham, & Melchisedech: alia *legis scriptæ*, quæ juxta Levitici mandata obtulerunt Aaron, & filii ejus: aliud sacrificium *legis novæ*, de quo disserimus in præsentia. Ratione rerum oblatarum aliud est *Hostia*, seu victima, aliud *Immolatio*, aliud *Libamen*. *Hostia* appellabatur res animata, ut vitulus, ovis, hircus: *Immolatio* erat rei inanimatæ ac solidæ oblatio, ut similæ, hordei, farris, aliarumque frugum, quæ torrebantur igni, mola frangebantur, & conspergebantur sale: *Libamen* autem oblatio liquidorum, ut sanguinis, vini, olei. His verò sacrificiis utebantur etiam Gentiles, æmulante dæmone, ut sæpe diximus, veræ Religionis mysteria. Conferas secundum caput Levitici cum primo libro Fastorum Ovidii, ubi legitur:

Victima, quæ cecidit dextra victrice, vocatur.
Hostibus à domitis hostia nomen habet.
Ante, Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.

Spectato ritu, sive oblationis modo, aliud erat *Holocaustum*, aliud *Hostia pacificorum.* In *holocausto* tota comburebatur victima, quod demonstrat ipsum vocabulum ab ὅλον, *totum*, & καύω, *uro.* Fundebatur in holocausto sanguis victimarum per altaris circuitum, deinde illæ adolebantur super altare, juxta caput primum Levitici; & de gentium itidem holocaustis in IV. Aeneidum Virgilius:

Et solida imponunt taurorum viscera flammis.

In *hostiis pacificorum*, sanguine effuso, una pars igni consumebatur, altera cedebat in usum sacerdotum, vel offerentium. Atque hinc apparet hostiarum & victimarum sacrificia *cruenta* fuisse: immolationum autem, vel libaminum *incruenta.* Ratione denique finis sacrificium vel est λατρευτικὸν, *Latreuticum*, quod spectat ad Dei obsequium, sic appellatum à λατρεύω, *servio*, *colo*: vel εὐχαριστικὸν, *Eucharisticum*, quod offertur in gratiarum actionem, dictum ab εὐχαριστέω, *gratias ago*: vel *Impetratorium*, oblatum pro beneficiis obtinendis; vel *Propitiatorium* pro remittendis peccatis, aut pœnis, suppliciisque peccato debitis.

2. Captata ex hac ansa Novatorum.

Igitur Novatores, postquam coacti sunt confiteri Patres universos commendasse Eucharistiæ *sacrificium*, ne prorsus errorem pristinum retractarent, in Apologia Confessionis Augustanæ dixerunt fideles in actione cœnæ *conscientia fide erecta gratias agere pro beneficio & passione Christi, & uti ipsa ceremonia ad laudem, ut hac obedientia gratitudinem ostendant, & testentur se magnificare dona Dei: atque ita fit ceremonia sacrificium laudis. Hinc extitit appellatio Eucharistiæ in Ecclesia, &c.* Quibus verbis fatentur admitti posse sacrificium *Eucharisticum*, & *Latreuticum*, sed non *propitiatorium* & *impetratorium*: quamvis revera nullum proprium sacrificium admittant, quia nullam agnoscunt obla-

tionem Deo factam; atque his verbis nil affirmant aliud, nisi in Eucharistia laudari Deum, & ei reddi grates. Nos itaque certissima fide tenemus valere plurimum Eucharistiæ sacrificium etiam ad remissionem, aliaque beneficia obtinenda; unde consequitur offerri jure, meritoque non solum *pro conscientiarum consolatione*, & *gratiarum actione*, *seu laude*, ut legitur in citata Apologia, verum etiam pro aliis, tam viventibus, quam defunctis, quibus potest Christi passio applicari. Quamquam vero hæretici id præfracte negantes, ne oblationi crucis irrogetur injuria, refutati sint capite superiori; majoris tamen dilucidationis gratia proximas addo propositiones.

2. Sacrificium Missæ verè propitiatorium docet Scriptura,

Prop. I. Incruentum Missæ sacrificium est vere *Propitiatorium*.

Sacrificium enim propitiatorium est, quod offertur ad supremum Numen placandum, & pro remittendis peccatis, & peccatorum pœnis suppliciisque avertendis. Tale esse sacrificium Eucharistiæ demonstrant ea verba Lucæ XXII. 20. *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur:* quæ verba ob participium præsentis temporis, ἐκχυνόμενον, & Græcæ orationis syntaxim referuntur *ad poculum* Eucharisticum. Igitur Eucharistiæ sacrificium vere propitiatorium est. II. Idem probatur definitione Tridentini Concilii, cujus extat canon 3. sess. XXII. *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.* III. Non recessit Tridentinum in hoc statuendo canone à traditione Majorum: nam ex Græcis Cyrillus Jerosolymit. præcitata Catech. v. appellat hoc sacrificium θυσίαν τῆς ἱλασμοῦ, *hostiam propitiationis:* & Joannes Chrysostomus lib. VI. de Sacerdotio cap. 4. ait Sacerdotem, qui offert juge sacrificium, *legatum & deprecatorem esse apud Deum, ut propitius fiat* ταῖς ἁπάντων ἁμαρτίαις, ὁ τῶν ζώντων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀπελθόντων, *omnium peccatis, non viventium modo, verum & mortuorum.* Ambrosius, ut recenseam nonnullos quoque Latinorum, in Exhortat. ad Virgines c. XIV. num. 94. sacrificium, quod in templis offertur, appellat *hostiam salutarem, per quam peccatum mundi hujus aboletur.* S. P. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium de sacrificiis altaris cap. 110. inquit: *Pro valde bonis actiones gratiarum sunt, pro non valde malis* (loquitur de defunctis) *propitiationes sunt.* Habet similia quæst. 2. num. 4. ad Dulcitium. IV. Idem Augustinus q. 57. in Levit. num. 4. rationem suppeditat pro hac propositione firmanda: sacrificia enim legis veteris erant propitiatoria. Igitur tale est *à fortiori* sacrificium Eucharisticum in illis præfiguratum: *Illis sacrificiis*, inquit, *unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum.*

Tridentinum,

& Traditio Majorum.

4. Etiam pro defunctis offerendum.

Propos. II. Non pro viventibus tantum, verum etiam pro iis, qui cum pietate defuncti sunt, hoc *propitiatorium* sacrificium debet offerri.

Ita definit præcitato can. 3. Synodus Tridentina. Ac demonstratur primo, ex quo defunctorum complures *à peccatis* solvi possint, ut inquit Judas Machabæus lib. 2. Machab. cap. 12. qui etiam pro iis, qui in prælio ceciderant, obtulit sacrificium: de qua re alibi. Interim sufficiat advertere ex Machabæorum libris commendari *sacrificium pro mortuis oblatum*, ut ait S. P. Augustinus in libro de Cura pro mortuis gerenda cap. 1. num. 3. Deinde, cum Augustinus eo loci scribat, *Etsi nusquam in scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas;* propositio ex Ecclesiæ consuetudine comprobatur. Apparet ea consuetudo ex Christianorum populorum Liturgiis; nam in Basiliana & Chrysostomiana sacerdos orat: ὑπὲρ μνήσθητι πάντων τῶν κεκοιμημένων ἐπ' ἐλπίδι ἀναστάσεως ζωῆς αἰωνίου, *Et memor esto omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ:* & infra, dum singulatim eos commemorat, pro quibus offertur, ait, ὑπὲρ ἀναπαύσεως καὶ ἀφέσεως τῆς ψυχῆς τοῦ δούλου σου, *Pro quiete, & remissione animæ servi tui, N.* Vide Eucholog. pag. 78. & 170. In Liturgia etiam, qua utuntur Syri latine reddita ab Andrea Masio, legitur: *Memento Domine ad aram tuam cœlestem eorum omnium, qui transierunt de hoc mundo angustiarum pleniissimo. Erue ipsos ex tenebris & caligine, appareatque eis facies tua pacifica, neque intres cum ipsis in judicium, &c.* Similia in Liturgiis aliis habentur. His accedunt *diptycha*, quæ olim tempore sacrificii à Diaconis legebantur; quorum alia comprehendebant nomina Episcoporum, qui laude sanctitatis inclaruissent; alia viventium Antistitum, Regum, eximiorumque virorum; & alia defunctorum, qui in communione decessissent, ut erudite demonstrat

strat lib. 3. de Eccles. Occiden. & Orient. Consens. cap. xv. num. 4. Allatius. Eandem consuetudinem exempla illustria confirmant: etenim in funere Constantini Episcopos, ac sacerdotes precationes, & ceremonias peregisse, *Ut populo Dei in Ecclesia sociaretur, divinisque liturgiis, & mystico sacrificio, atque sanctarum precum communione potiri mereretur*, narrat Eusebius in illius Vita lib. IV. cap. 71. pag. edit. Valesii 562. S. Ambrosius obtulit sacrificium pro anima fratris sui Satyri, ut liquet ex libro I. de hujus excessu num. 80. atque de Obitu Valentiniani num. 56. inquit: *Date manibus sancta mysteria, pio requiem ejus poscamus affectu: date sacramenta cœlestia, animam Nepotis nostris oblationibus prosequamur.* De sancta matre Monica hæc Augustinus scribit cap. ultimo libri IX. Confess. *Namque illa imminente die resolutionis suæ non cogitavit suum corpus sumptuose contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulchrum patrium. Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione jervierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, &c.* Neque audiendi sunt hæretici, quorum aliqui cum Melanchthone negant locutam Monicam de propitiatione sacrificii, aliqui cum Calvino ajunt, id condonandum vetulæ mulieris simplicitati, & aliqui cum Bucero dicunt, viguisse consuetudinem hanc in sola Ecclesia Africana. Nam, ut prætermittam quæ adversus istiusmodi effugia profert lib. IV. Panopliæ cap. 53. Lindanus, Monicam hæc postulasse, *ligando animam suam vinculo fidei ad pretii nostri sacramentum, ne se interponeret vi aut insidiis leo & draco, atque esset in pace cum viro*, tradit ibidem Augustinus; oratque ipsum librum legentes, ut ad altare Monicæ, & Patricii, dulcissimorum Parentum suorum, reminiscantur. Atque id rogasse Monicam, & Augustinum literis consignasse, juxta fidelium omnium consuetudinem, constat ex dictis. Adde non in Africa, sed apud Ostia Tiberina parentem piissimam obiisse. Pro Augustini item anima oblatum sacrificium commemorat in ejusdem vita cap. 31. sanctus Possidius; appellatque Cassianus Collat. 2. cap. 5. sacrificia pro mortuis *memoriam & oblationes pausantium.* Vetustæ consuetudini, de qua hactenus, accedit sanctorum Patrum traditio, ipsorum testimoniis firmata. Ex Græcis Cyrillus Catech. v. pag. 539. interprete Grodecio ait: *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius, & tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.* Epiphanius hæresi 75. pag. edit. Petavianæ 908. connumerat inter errores Aerii, quod negaret *sacrificia pro mortuis*, quod etiam scribit Augustinus de hæresibus; & in Anchorato ait idem Epiphanius: ἐν ἁγίᾳ ἑβδομάδι ἐξ ὀνόματος τὰς μνήμας ποιοῦντας τῶν τελευτησάντων προσευχὰς τελοῦντες, καὶ λατρείας, καὶ οἰκονομίας, *In sancta hebdomade nominatim defunctorum memoriam faciunt, offerentes preces, cultum, & sacrificium.* Joannes Chrysostomus hom. 3. in Epistolam ad Philippenses asserit ab Apostolis legem fuisse constitutam, *ut in venerandis, atque horrificis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt*, subjiciens, πῶς οὐ δυσωπήσομεν ὑπὲρ τούτων τὸν θεὸν παρακαλοῦντες; *Quomodo Deum non placabimus pro istis orantes?* Ac Theophylactus in cap. 12. Lucæ ait non omnes, qui moriuntur, mitti in gehennam, quod à se dici testatur, διὰ τὰς ἐπὶ τοῖς κεκοιμημένοις γενομένας προσφορὰς, *propter factas pro mortuis oblationes.* Quid vero Latini? Sacrificia pro mortuis commemorat Tertullianus de Corona Militis cap. 3. his verbis: *Oblationes pro mortuis annua die facimus.* Cyprianus epist. 66. statutum refert ab antecessoribus Episcopis de illo, qui ad tutelam vel curam Clericos nominaverit, *ne offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* Postremo Augustinus (hos enim sufficit laudavisse) præcitato cap. 110. Enchiridii concludit: *Neque negandum est defunctorum animas pietate fuorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur.* Rationem, qua denique propositio suadetur, commonstrat ipsemet Augustinus lib. XX. de Civit. Dei cap. 9. ubi ait: *Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiamnunc est regnum Christi; alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi;* ex quibus verbis eruo ratiocinationem istam: Cum sacrificium Missæ, ut propitiatorium est, pro iis applicetur, qui possunt percipere fructus passionis Christi, debet pro iis offerri, qui spectant ad Christi regnum, id est corpori ejus mystico conjuncti sunt, & remissione ac propitiatione indigent. Sed plurimorum defunctorum animæ, quæ nimirum cruciantur in purgatorio, spectant ad regnum Christi, ejusque corpori mystico sunt conjunctæ, atque egent condo-

condonatione, & remissione pœnarum, quibus excruciantur. Igitur sacrificium propitiationis pro iisdem animabus offerri debet.

5. Non tamen pro Sanctis aut damnatis.

Propositio III. Neque pro damnatis, neque pro Sanctis in cœlo regnantibus offerri potest sacrificium tanquam *Propitiatorium:* pro sanctis tamen civibus cœlestis Jerusalem aliis ex causis peragitur.

De damnatis probatur auctoritate Augustini scribentis in libro de Origine Animæ cap. 9. *Quis offerat corpus Christi, nisi pro iis, qui membra sunt Christi?* Confirmatur exemplo Christi Domini, qui etsi pro omnibus in cruce oravit, & sanguinem fudit, non tamen mortuus est pro iis, qui usque ad mortem cor impœnitens habuerunt, & jam in parte diaboli computantur, ut docet, idem S. Pater lib. xxi. de Civit. Dei cap. 24. Demonstratur denique ratione, quoniam in perpetuum separatis à Christo, & in carcerem, ubi nulla est redemptio, detrusis, applicari nequit Dominicæ passionis fructus; qui ad eos tantum extenditur, qui vel ei uniti sunt, vel saltem uniri possunt, quemadmodum demonstravimus lib. xvii. & xxviii. differentes de universorum hominum redemptione. De Sanctis pariter thesis probatur ex Augustino, qui serm. 159. aliàs 17. de verbis Apostoli inquit: *Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari,* & Tract. 84. in Joan. *Ad ipsam mensam non sic eos commemoramus quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus: sed magis, ut orent ipsi pro nobis.* Accedit ratio: qui enim Beati sunt, nullam habent peccati maculam; & nulla excruciantur miseria, à qua per sacrificia oblationesque liberentur. Plura de utraque hujus propositionis parte lib. iii. cap. 9. ubi pertractavi de præsenti statu animarum sanctarum, & libro x. cap. 17. in quo disserui de pœnis dæmonum & damnatorum hominum sempiternis. In memoriam tamen, & honorem sanctorum sacrificium multiplici ex causa offertur. Præcipuas tradit Synodus Tridentina sess. 22. c. 3. id est, ut de illorum victoriis Deo gratias agamus: ut eorum patrocinium imploretur: ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Habentur similia in Liturgia Missæ, in Catechesi v. Cyrilli Jerosolymitani, in libro 22. de Civit. Dei S. P. Augustini cap. 10. in Epistola 34. Cypriani, & in Catechismo Romano P. 2. cap. 4. num. 73.

Præcedentium consectaria.

6. Sacrificium hoc soli Deo à nobis offertur.

Ex dictis quædam inferuntur notatu digna. Ac primo, nunquam à nobis sacrificium offerri Sanctis, sed Deo, Domino universarum rerum supremo: unde Augustinus lib. viii. de Civit. Dei cap. 27. ait: *Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & sanctis suis angelis cœlesti honore sociavit: ut ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoriæ renovatione adhortemur?* Fere eadem leguntur in prælaudato capite tertio Tridentini Concilii. Risu propterea excipienda est miserrima illa hæreticorum comparatio, qua sacrificia in honorem beatissimæ Virginis Mariæ Deo oblata solent iis æquiparare, de quibus Jeremiæ vii. 18. *Mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis.* II. Præterea sequitur, sacrificium *propitiatorium* pro omnibus viventibus esse offerendum, omnes enim vel uniuntur Christo, vel possunt uniri: ideoque etiam pro infidelibus sceleratissimisque hominibus in sacrificio rogamus, quoniam & pro omnibus mortuus est Christus, & pro omnibus orandum esse docet Apostolus, & id commendat Cyprianus ad Demetrianum scribens, & legimus olim sacrificia peracta pro Nabuchodonosor, pro Heliodoro, pro Spartiatis, & denique pro omnibus orat Ecclesia in sancto die Parasceves. Dum enim oramus, ut convertantur impii, ut catechumeni regenerentur baptismo, ut pagani & infideles Dominum nostrum agnoscant; non tam pro his rogamus, quam pro Ecclesia Catholica, ut augeatur, & tranquilla pace fruatur. III. Quid vero de Excommunicatis? Pro his sacrificium *nominatim & publicæ oblatione* offerre nefas est, ut constat ex cap. *Anobis,* de sent. Excommunicat. num. 28. & ex cap. *Sacris,* eodem tit. num. 38. sed licet tamen privatim pro eis orare, ut redeant ad unitatem, & communionem fidelium, uti docent gravissimi Theologi, Soto dist. 22. quæst. 1. Suarez in 3. p. q. 83. art. 3. Sylvius in eundem articulum q. 9. Cardinalis Gotti de Sacrif. 1. q. 2. dub. 2. §. 2. & alii. Qui vero oppositum censent, ni fallor, accipiendi sunt de oblatio-

7. Potest offerri pro omnibus vivis

8. Non Excommunicatis: regulariter loquendo.

tione facta pro Ecclesia ejusque membris, cujus excommunicati nequeunt esse participes, si vitandi sint, nec tolerati ab eadem Ecclesia. IV. Movent nonnulli quæstionem de Catechumenis, & de excommunicatis, si moriantur, priusquam illi baptizentur, & isti reconcilientur Ecclesiæ; sed attendendum est, quomodo obierint: nam si Catechumeni fuerint in numero *Competentium*, & decesserint cum voto baptismi, computantur inter fideles; secus si fuerint in classe *Audientium*, & regenerationis sacramentum neglexerint. Facile conciliantur hac distinctione sententiæ, non re, sed nominetenus oppositæ. Pro excommunicato, si antè ejus mortem *manifesta pœnitentiæ signa præcesserint*, offerendum sacrificium tradidit Innocent. III. præcitato cap. *A nobis*, hac producta ratione, *Quia etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus religionis, sed necessitatis articulus impedivit.* Quoniam tamen, licet quoad vinculum culpæ solutus sit apud Deum, non absolvitur apud homines, nisi quando sententiæ vinculum relaxatur; priusquam pro tali excommunicato sacrificii *publica oblatio* fiat, debet ei etiam defuncto beneficium absolutionis impendi. Refert S. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 23. corpora duarum monialium, quas ob linguæ intemperantiam S. Benedictus excommunicatione innodaverat, clamante diacono, *Si quis non communicet, det locum*, de sepulchro exisse, & à S. Benedicto absolutas, iterum monumentum ingressas, sacræ oblationis fuisse participes. V. Certum est pro iis, quibus sacrificium est propitiatorium, etiam *impetratorium* esse, scilicet, offerri pro pace, pro tranquillitate, pro pestilentia avertenda, pro peregrinantibus, pro infirmis, & pro omnibus, qui egent auxilio. Certum quoque est, sacrificium pro sanctis oblatum partim esse *Eucharisticum*, partim *propitiatorium*, ut recte Ettius dist. XII. §. 15. eodem quippe sacrificio aguntur Deo gratiæ pro sanctorum glorificatione ac triumpho, nobisque impetratur venia eorundem sanctorum intercessionibus. At quæri solet, an comparate ad sanctos possit sacrificium appellari etiam *impetratorium*: quod multi quidem affirmant, quoniam sanctis, ut diximus Volum. 1. pag. 166. majorem in Ecclesia cultum, & *accidentalem* gloriam apprecamur. Verum hoc non est proprie aliquid impetrare pro sanctis, sed potius impetrare nobis gratiam, ut sanctos digno honore prosequamur; quemadmodum non oramus pro Deo, ut ei aliquid impetremus, quando frequentissime dicimus, *Sanctificetur nomen tuum.* Vide Sylvium in prælaudatum articulum quæst. XI. tom. 4. pag. Venet. edit. 229.

9. Quomodo pro Catechumenis?

10. Cohærentia & diversitas fructuum.

CAPUT XXI.

De Missis *privatis*, quæ aguntur sine adstantium communione.

SUMMARIUM.

1. Quid Missa privata?
2. Non est illicita ex præcepto Christi.
3. Aut ex obligatione sacrificantium.
4. Vel ex ratione sacrificii.
5. Malè una tantùm Missa præscribitur.
6. Aut finis plurium Miss. carpitur.
7. Fundamenta adversa
8. Solvuntur.
9. An privatim celebrans teneatur communicare petentes?
10. Resolvit novissimè modernus Pontifex.

1. Quid Missa privata?

Missa nunquam proprie loquendo *privata* est, nam quælibet missa est commune & publicum sacrificium, à publico & ligitimo ministro peragitur, ritu publico & probato ab Ecclesia offertur, & pro publica commoditate, id est, pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebratur. Invaluit tamen usus, ut *privatæ* dicantur eæ Missæ, in quibus solus sacerdos *sacramentaliter* communicat, & quæ vel aguntur absque publico conventu populique frequentia, vel celebrantur à presbytero absque sacrorum ministrorum, clericorumque comitatu. *Solitariæ* etiam hæ Missæ dici solent, atque ut habetur cap. *Et hoc attendendum*, de Consecrat. dist. 2. num. 52. *Missæ peculiares.* Privatas ergo Missas damnant communiter Novatores, eoquod negantes veri sacrificii oblationem, velint Missam eo tantum fine institutam, ut porrigatur sacramentum his, qui petunt: eas autem missas, in quibus non ministratur communio, & cæteras omnes, præter unam communem & publicam, porrigendi sacramenti gratia servatam, nonnisi quæstus causa inductas esse, ajunt hæretici Confessionis Augustanæ tertio articulorum, in quibus recensent quæ ipsi mutarunt.

tarunt. Lutherus *de abroganda Missa privata* librum edidit dæmone instigatore, ut ipsemet testatur tom. VII. pag. 228. edit. Vittemb. eique postea Novatores alii accesserunt. Scripserunt autem pro Missis privatis Joannes Cochlæus in præcitatum articulum 3. Conf. Augustanæ, Bellarminus de Euch. lib. VI. cap. 9. Veranus tom. 3. Theologiæ Polemicæ l. VIII. cap. 10. Bona lib. 1. Rerum Liturgic. cap. 14. Estius in IV. dist. XII. §. 17. Sylvius in 3. p. q. 83. art. 5. ut mittam alios recentiores innumeros, in quibus nil occurrit, quod fuerit ab illis prætermissum. Nos, ut undequaque hæreticos exagitemus, primò demonstraturi sumus *privatas* Missas agendas esse; deinde male hæreticos, iis sublatis, statuisse unam tantum Missam communem ad ministrandum fidelibus sacramentum; posthac multitudinem Missarum non esse inductam quæstus causâ, aut pravo aliquo fine. Addemus postremo quæstionem nuperrime exortam, quasi hujus disputationis mantissam.

2. Non est illicita ex præcepto Christi.

PROP. I. Missæ *privatæ* nullo Theologico argumento demonstrari possunt illicitæ.

Si enim illicitæ forent, id esset, quoniam istiusmodi Missis aut violaretur Christi præceptum, aut intrusa esset consuetudo repugnans veterum institutis ac traditionibus, aut profanaretur Ecclesiasticum ministerium; ad hæc enim capita reducuntur hæreticorum calumniæ & mendacia. Atqui nulla harum rerum evincit *privatas* Missas esse illegitimas; sed hisce potius capitibus apparet retinendas esse, & summopere commendandas. Igitur ex nullo capite *privata* Missa demonstratur illegitima, illicita, & reprobanda. Probatur minoris propositionis pars prima. Nullum in sacris literis invenitur præceptum, ut sacerdotes publice tantum, & in conventu Ecclesiæ offerant sacrificium, neque ut à communicando abstineant, quando nullus adest laicorum, qui ex eorum manibus percipiat communionem. Duntaxat Apostolis mandatum est, ut etiam non consecrantibus distribuant Eucharistiam; sed ut distribuant semper, & quotiescunque sacrificant, tantum abest quod præscriptum sit, quin vetitum est, ne dent *sancta canibus*, neque indignis porrigant sacramenta, ideoque si peragant rem divinam, ipsorum est dispensandæ communionis dijudicare locum, tempus, atque opportunitatem. II. Probatur ejusdem minoris pars altera. Quemadmodum semper fuit liberum fidelibus accedere ad communionem, vel ab ipsa abstinere; ita semper liberum Sacerdotibus, non urgente necessitate, publice, aut privatim offerre: nam Marcellum Papam rem divinam peregisse in domo Lucinæ commemorant ipsius acta: Gregorius Nazianzenus Orat. 19. in laudem Patris sui, asserit illum in cubiculo privatim egisse sacrum: Ambrosius Romæ in quadam domo trans Tiberim, auctore Paulino in ejus Vita, obtulit sacrificium: S. Paulinus Nolanus paucis ante obitum horis, Uranio teste, idem fecit in altari ante lectulum suum præparato: Lucianus martyr attritus vulneribus, & ara destitutus supra pectus suum, ut narrat lib. 2. Hist. Eccl. Philostorgius, sacra mysteria peregit: Theodoretus sacrificium obtulit in cellula Maris monachi, ut ipsemet narrat capite Historiæ Religiosæ vicesimo. Ex omnibus hisce exemplis apparet saltem celebratam fuisse missam absque cœtu fidelium; & ex his, quæ dicta sunt de Patre Gregorii Nazianzeni, de Paulino Nolæ Episcopo, & de Luciano, etiam infertur in sacrificiis prælaudatis neminem, sacerdotibus exceptis, communicasse. Demonstrant autem vetustissimam *privatarum* Missarum consuetudinem argumenta alia complura; quorum tria tantum producam. Sit primum: Non omnes fideles Chrysostomi ætate, & subsecutis temporibus quotidie communicabant, cum tamen multi Sacerdotes quotidie sacrificarent, nemine ad sacram communionem accedente: nam Chrysostomus adversus eos, qui tantum in Quadragesima ad sacra accedebant mysteria, Hom. 3. in Epist. ad Ephesios inquit: *Frustra est quotidianum sacrificium: frustra adstamus altari: nemo est, qui participet*: εἰκῇ θυσία καθημερινή, εἰκῇ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδεὶς ὁ μετέχων, & hom. 17. in Epist. ad Hebræos, *Multi*, inquit, *hujus sacrificii sunt participes semel toto anno: alii autem bis: alii vero sæpe*, πολλοὶ τῆς θυσίας ταύτης ὅπαξ μεταλαμβάνουσι τὲ παντὸς ἐνιαυτὸς, ἕτεροι δὶς, ἄλλοι πολλάκις. Cassium Narniensem quotidie celebrasse, sive adessent, sive non adessent communicantes, scribit S. Gregorius Hom. 37. in Evangelia. Quotidie pariter sacrificasse sanctum Goar anachoretam, S. Geremarum abbatem Flaviacensem, Licinium Andegavorum Episcopum, aliosque quamplurimos sæculo 6. ac 7. demonstrat Præf. in 2. Benedict. Joannes Mabillon. Illo itaque tempore Missarum *privatarum* numerus erat maximus. Sit vero argumentum alterum: Leontius Cyprius in Vita S. Joannis Eleemosynarii cap. 41. hæc beati viri profert verba:

3. Aut ex obligatione sacrificantium.

Ego

Ego propter vos descendo in sanctam Ecclesiam: nam poteram facere mihimet missas in Episcopio. Adeas Vitas Patrum Ros Weydi pag. 201. Igitur testimonio hujus Archiepiscopi Alexandrini, laudibus Romani Martyrologii XIII. Januarii, Græcorumque Menologii XII. Novembris, multorumque scriptorum celeberrimi, scilicet, Joannis, manifestum est licitas esse *privatas* Missas, ac publice agi ob solum commodum populorum. Sequitur argumentum tertium: Anno 506. Concilium Agathense canone 18. jussit, ut sæculares communicarent ter in anno, id est, *in die Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes*: canone autem 47. mandavit, ut *singulis diebus Dominicis* ipsimet sæculares Missam audirent. Sexto itaque seculo ineunte debebant Pastores animarum singulis Dominicis Missas agere, quamvis nemo laicorum vellet sacramentum percipere; ideoque tunc temporis Missæ sine adstantium communione frequenter peragebantur.

4. Vel ex ratione sacrificii.

III. Probatur tandem minoris propositionis pars tertia. Quotiescunque offertur Deo verum ac perfectum sacrificium, quo redditur cultus ipsi Deo, quo celebratur Sanctorum memoria, quo fidelibus vivis atque defunctis pax, venia, requies, omniaque bona impetrantur; non profanatur, sed summo honore afficitur sacerdotale ministerium. At in sacrificio Missæ, tametsi nullus laicorum mysteria sacra percipiat, offertur Deo sacrificium hujus generis, ut demonstratum est duobus præmissis capitibus. Igitur in sacrificio Missæ *privatæ* honore afficitur, non profanatur Ecclesiasticum ministerium. Recte idcirco Carolus V. & Catholici Principes præcitatum tertium articulum Confessionis Augustanæ hac animadversione perstrinxerunt: *Super omnia reprehensione dignum est, quod missæ privatæ in quibusdam locis desierunt. Hac enim abrogatione missarum cultus Dei minuitur, sanctis subtrahitur honor, ultima voluntas defunctorum corruit & irrita fit, debitis defuncti spoliantur suffragiis, & vivorum devotio aufertur & frigescit.* Vide Harmoniam Confessionis Augustanæ edit. Coloniæ anno 1573. pagina 469.

5. Malè una tantùm Missa præscribitur.

Prop. II. Impie, & sacrilege hæretici unam tantum Missam communem, reprobatis cæteris, commendant & prædicant.

Hujus impietatis & sacrilegii enormitatem refellit principio audacia, qua unius sacrificii, in locum omnium veterum subrogati, repetitas oblationes, cum tanto Christianæ pietatis divinique cultus detrimento de medio tollunt, atque etiam novum & singularem illum ritum, quem alii *Cœnam*, alii *communem Missam* appellant, absque vera celebrant oblatione: quod utique quam scelestum sit, quam sacrilegum atque nefarium, evidentissime apparet ex dictis. Deinde, cum ad majorum consuetudines provocent, (qui aliàs dum sua interest, nil habent magis solemne, quam parvipendere traditiones majorum) comprobat missarum multitudinem ingens numerus sacerdotum: inter quos lege Honorii & Theodosii, in sola Constantinopolitana Ecclesia constituti sunt *nongenti & quinquaginta decani*, ut constat ex Cod. Justiniani tit. de Sacrosanctis Eccles. l. *Non plures*, atque in Ecclesia Romana initio schismatis Novatiani, prout scribit S. Cornelius apud Eusebium lib. VI. H. E. cap. 43. pagina Valesianæ editionis 244. connumerabantur, clericis aliis exceptis, *presbyteri quadraginta*. Præterea ab Ecclesiæ incunabulis consuetum fuit alios præter Parochos & Ecclesiarum rectores ad sacerdotium promovere: quæ sane promotio fuisset frustranea, si præter unam communem Missam à Parochis pro commoditate populi agendam, celebratæ non essent absque *collecta* & *synaxi* Missæ solitariæ ac privatæ. Rursus non leve pro Missarum multitudine argumentum desumitur ex privatis Oratoriis, quorum duo in summitate Cassini montis ædificavit S. Benedictus, quatuor in suo Monasterio S. Maurus ejus discipulus, alia plura laudant lib. I. Institut. Laicalium Jonas Aurelianensis, cæterique Ecclesiastici Scriptores apud Eminentissimum Cardinalem Bonam citato in loco. Permultas deinde Missas eodem die celebratas demonstrat idem præstantissimus Auctor ex Constitutionibus Angelberti Abbatis, ex antiquitatibus Fuldensium, ex multitudine altarium in eadem Ecclesia, atque ex monumentis aliis Ecclesiasticæ eruditionis, ex quibus satis est hæc tantummodo produxisse.

6. Aut finis plurium Missarum carpitur.

Prop. III. Frustra calumniantur hæretici multitudinem Missarum pravo fine fuisse introductam.

Ut jure à se abrogatas fuisse *privatas* Missas persuadeant gregariis suis hæretici pestilentissimi, has obtendunt causas, quod collatæ sint ad quæstum, & celebrentur tantum propter mercedem atque stipendium: quod à nobis Missæ fiant pro quotidianis delictis; & quod agantur etiam pro mortuorum suffragiis. At vero postremæ duæ causæ paulo supra refutatæ sunt: & in hoc potius hæretici maximo detinentur errore, quod repetunt à sola fide justitiam, contemnunt sacrificia,

ficia, & pessime sentiunt de statu animarum à corpore separatarum. Quod pertinet autem ad stipendium, nemo nostrum pecuniam, aut rem aliquam recipit *tanquam sacrificii pretium*; nec est qui ignoret simoniacum & damnatum esse pro spirituali opere mercedem repetere temporalem. Verùm stipendium recipere, non tanquam pretium sacrificii, sed ratione *propriæ sustentationis*, res est Apostolicis testimoniis, Ecclesiæ praxi, & omni jure probata. Etenim Apostolus in priori ad Corinthios IX. 13. ait: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant?* Deinde stipendia hæc, sive potius eleemosynæ pecuniariæ succesere oblationibus, quæ initio Ecclesiæ fiebant non tantum pro sacrificii materia, verum etiam pro usu ministrorum & pauperum. Nemo præterea est, qui non laudet pietatem ac religionem aut Caroli Francorum Regis cognomento Calvi, qui Monachis S. Dionysii pro Missis agendis dedit villam *Scindeliciarum*, aut Ludovicii Pii, qui pariter eo fine Parochialibus, & viris religiosis territoria legavit, aliorumque plurium, de quibus legendi sunt Grodegandus in Regula Canonicorum, Bona laudato in loco, Mabillon Præf. 1. in sæculum 3. num. 63. Du-Cangius v. *Eleemosynæ*. Ratio denique postulat, ut quisquis officium suum impendit aliis spiritualia ministrando, temporalibus adjumentis, stipendiis, ac privilegiis fruatur, spectatis quoque legibus Imperatoriis, de quibus dixi libro XX. cap. 17.

7. Fundamenta adversa

At objiciunt hæretici: Christus ait, *Hoc facite in meam commemorationem*: sed ipse quando consecravit, distribuit: ergo sacerdotes, dum consecrant, debent Eucharistiam distribuere. Rursus Apostolus ad Corinth. X. 16. appellat panem, quem frangimus, *participationem corporis Domini*, & cap. XI. 20. scribit, manducari *Dominicam cœnam* in Ecclesia, ubi in unum conveniunt plures; ideoque privata Missa, in qua Eucharistia non frangitur, nec distribuitur, & ad quam non conveniunt communicantes, non est *Cœna Dominica*. Præterea in Latinorum Liturgia habetur, *Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus & sanguinem sumpserimus*, ibique leguntur alia verba, quæ significant adstantium communionem, in omnibus fere precibus, quas ob præsentium multitudinem *Collectas* dicimus. Deinde Orientales, ut constat ex eorum Liturgiis, quæ nullo negotio ab omnibus consuli possunt, nunquam sine communicantibus Missas agunt. Ad hæc canon decimus inter Apostolicos privat communione fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, *nec sanctam communionem percipiunt*; ita enim legitur in vetere Conciliorum editione Petri Crabbii, & in primo Volumine Conciliorum editionum cæterarum. Insuper Chrysostomus citata Hom. 3. in Epistolam ad Ephesios ait, *frustra* fieri quotidianum sacrificium, *si nemo sit, qui participet*: additque comparationem ejus, qui ad convivium invitatus, si manus laverit, & accubuerit, deinde particeps non fuerit mensæ, eum, qui invitavit, afficit contumelia. Ad quæ non aliud habemus quod respondeamus, quam hæc κατ' ὑπερβολὴν dicta esse, ut lib. 2. de Missa cap. 10. ait Bellarminus. Ulterius S. Franciscus in Epistola ad Sacerdotes sui Ordinis inquit: *Moneo præterea & exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur fratres, una tantum Missa celebretur in die, secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ; si vero in loco plures fuerint sacerdotes, sit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione sacerdotis alterius.* Unam ergo Missam in die commendat vir sanctitate clarissimus, idque secundum institutionem Romanæ Ecclesiæ. Rursus Walafridus Strabo lib. de Rebus Ecclesiasticis cap. 22. circa finem, & Humbertus Cardinalis in Responsione ad Nicetam cognomento Pectoratum docent legitimam esse Missam, perfectamque Cœnæ Dominicæ commemorationem, in qua est fractio, benedictio, & distributio, intersunt autem sacerdos offerens, respondens, & communicans. Denique in esu Agni plures ad eandem cœnam conveniebant, ut habetur capite Exodi duodecimo: erat autem Agnus ille typus convivii Eucharistici; quod proinde institui non debet absque cœtu fidelium, & convivarum.

Resp. ad primum impleri à sacerdotibus mandatum Christi, etiam dum celebrant *privatas* Missas, quantum attinet ad sacrificium, & hostiæ consecrationem, oblationem, & consumptionem: in eo autem præcepto *Hoc facite*, &c. distinguenda sunt quæ pertinent ad substantiam rei, & quæ ad loci, vel temporis circumstantias: ad substantiam spectat, quod agantur Deo gratiæ, benedicantur & consecrentur oblata, de his participet qui sacrificat, & hæc omnia fiant in commemorationem passionis Christi, his enim constat Eucharistici sacrificii finis, ratio, & *essentia*: quod vero huic sacrificio adsit populus, communionem petat, & porrigatur illi una,

8. Solvuntur.

vel

vel utraque species, idque fiat in hujus, vel alterius loci, aut temporis circumstantiis, istud non attinet ad sacrificii *substantiam*, & arbitrio Rectorum Ecclesiæ relictum est: alioqui, si omnia, quæ Christus fecit, caderent sub præcepto; post cœnam, semel in anno, à discumbentibus, fœminisque seclusis, Eucharistia esset percipienda. Distinguenda est itaque prima propositio, Christus ait, *Hoc facite in meam commemorationem*, omnia, quæ fecit, eadem ratione præcipiens, nego: relinquens Pastorum dispositioni quæ non spectant ad sacrificii substantiam, concedo, Huic communi responsioni aliam addo: Christus in ultima cœna non solum communionem distribuit, ut objiciunt hæretici; sed etiam instituit verum sacrificium, ut demonstratum est supra. Jussit utique, ut in ejus memoriam idem fieret in Ecclesia, sed non jussit, ut utrumque fieret *simul*; ideoque potest communio distribui & sacrificii tempore, & extra: & quemadmodum populus frequenter percipit à sacerdote communionem, licet sacerdos tunc non offerat sacrificium; ita sacerdos potest sacrificium offerre, etiamsi nullus è populo percipiat communionem. Ex Apostolo nihil aliud colligitur, nisi communione percipi *corpus Christi*, & istud fidelibus distribui *convenientibus in unum*; at hinc non sequitur idem corpus nunquam fuisse oblatum absque conventu, & participatione fidelium; quemadmodum non sequitur fidelium quamplurimos nunquam privatim, & absque congressu, aliorumque conventu idem sacratissimum corpus manducavisse. Cœna autem Dominica communis dicitur, quoniam pro omnibus est instituta, omnibus legitime petentibus ministratur à Parochis, omnesque eundem omnino panem accipiunt. Quod sequitur de Liturgiis hac ratione diluitur. Sacerdos etiam in Missis privatis, in quibus nullus alius communicat, pronuntiat numero multitudinis ea verba, *Ut quotquot ex hac altaris participatione*, &c. quoniam multi sæpenumero, etsi non semper, de altari participant, nonnulli communicant spiritualiter; & sacerdos suo, aliorumque fidelium nomine offert, & orat. Cæterum ab hæreticis illud petendum est, qua fronte ipsi talia verba objiciant, quæ sacrificii oblationem, & uberrimum fructum expresse significant, & quæ proinde hæreticos ipsos confodiunt, ac premunt. *Collectas* vero esse orationes solius Missæ publicæ scripserunt Micrologus, Honorius Augustodunensis, Innocentius III. & alii apud Lupum de Præscript. pag. 752. nec probabilitate caret, fuisse olim prætermissas in sacrificiis privatis: sed jure, meritoque in his etiam recitantur, cum sacerdos fungatur legatione pro populo, & oret pro Ecclesia universa. Proxima objectio petita ex moribus Orientalium facit plurimum contra adversarios: Græci enim sæpissime offerunt sine populi communione, quamvis finita publica Missa soleant præsentibus distribuere *panem*, unde excisa est oblata, & quem non Eucharistiam appellant, sed ἀντίδωρον, quasi *loco sacramenti* datum. *Qui non credit* (ait Allatius increpans mendacia Chytraei lib. 3. Consens. Ecclesiarum cap. 15. num. 3.) *adeat ipsas Græcorum Ecclesias ubicunque terrarum constitutas: in omnibus sacerdotes ut plurimum, nulla interveniente communione, tum privatim, tum publice celebrant.* Proximum argumentum ex canone x. inter Apostolicos, solvendum est ab hæreticis, qui negant fideles obstringi præcepto aliquo Ecclesiastico. Deinde non damnantur eodem canone, qui in Missis singulis non communicant, sed qui, dum communicant alii, consuetudinem Ecclesiarum perturbant & aspernantur, quod in Ecclesiæ primordiis erat occasio scandali: atque id manifestum est ex verbis, quæ subjiciuntur, *veluti inquietudines Ecclesiæ commoventes*, sive, ut est in Græco, & apud Dionysium Exiguum, ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντες τῇ ἐκκλησίᾳ, *ut confusionem afferentes Ecclesiæ.* Ex eodem Græco textu eruitur responsio altera, nam canon ille Apostolicus ita in Græco extat: Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς, καὶ τὰς γραφὰς ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας καὶ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντες τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή. *Quicunque fideles Ecclesiam ingrediuntur, & scripturas audiunt, neque usque ad preces & sanctam communionem permanent, eos tanquam qui ordinis in Ecclesia perturbationem inducant, à communione arceri oportet.* Atque hæc versio est Haloandri, & collatione 2. canonis Antiocheni, necnon interpretatione Zonaræ probatur à Vossio disput. 22. thesi 2. ubi idem Vossius concludit: *Itaque sententia canonis erit, non ut quisque, quoties adest, communicet, sed ne, nec dum peracta communione discedat.* Objectio pariter deprompta ex verbis Chrysostomi valet ad hæreticos revincendos: nam si ille quotidianum offerebat sacrificium, quamvis nullus perciperet communionem, nisi bis, aut semel in anno; optime profecto noverat hujusmodi sacrificii oblationem non esse illicitam, aut illegitimam. Non est ergo cur hæretici subiraseantur

doctissimo Bellarmino agnoscenti in oratione Chrysostomi rethoricam quamdam hyperbolem. Adde sanctissimum & eloquentissimum Archiepiscopum reprehendere negligentiam eorum, qui perraro communicabant, & parabolam invitantis ad mensam, ad eos esse directam, qui nec dominicis diebus, nec quando ille ad communionem hortabatur, sese corpore Domini reficiebant: nam Hom. XVII. in Epistolam ad Hebræos, quam supra laudavimus, profitetur à se neminem compelli ad quotidianam synaxim, neque se magis acceptare, qui semel in anno, quàm qui sæpius, aut qui raro communicent: optare tamen, ut accedant qui mundo sunt corde; hi vero, qui tales non sunt, nunquam id audeant. Quæ proxime sequitur objectio, à Joanne Eckio in Enchiridio, & à Bellarmino lib. 2. de Missa cap. 10. solvitur negando illam epistolam revera conscriptam fuisse à divo Francisco, aut, si genuina est, de alia die accipiendam, quam de feria v. majoris hebdomadæ. Wadingus, aliique exponunt Seraphici Patris verba de Missa conventuali. Cardinalis Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. IV. num. 6. ait ea verba, *secundum formam Romanæ Ecclesiæ*, ad ritum Missæ, non ad consuetudinem, quæ eo temporis obtinuerit, esse referenda, virumque sanctissimum humilitatis causa fratres monuisse, ut uni adessent oblationi, ne ex frequentiori celebratione fierent tepidiores. Videtur hæc postrema responsio planior, & cæteris præferenda. Joseph Vicecomes volum. 3. de Rit. Missæ cap. 29. pag. 279. demonstrat ætate beati Francisci in Ecclesia Romana celebratas fuisse *privatas* Missas complures, & fuisse tantum in more positum apud aliquos Cœnobitas agere Missam unam, ad quam omnes convenirent: quod de Carthusianis, aliisque Monachis affirmat ipsemet Bona cap. XVIII. ejusdem libri. Hinc eruo aliam responsionem, traditæ ab Eminentissimo Scriptore non repugnantem, probatam vero ab Eman. Gonzalez in 3. Decretal. tit. 41. pag. 796. scilicet, Seraphicum Patriarcham adhortatum fuisse (non tamen mandasse) ut sui in agendis Missis consuetudini potius aliorum Cœnobitarum, quam cæterorum Presbyterorum sese accommodarent. At proxima argumentatio hæreticorum nullius est ponderis: quamquam enim in distributione Eucharistiæ repræsentetur aliqua Christi actio peracta in ultima cœna, ut docent Walafridus & Cardinalis Humbertus: tamen in Missa (etsi fiat absque tali distributione) continetur quidquid spectat ad *essentiam* sacrificii, in postrema illa cœna instituti, & repræsentatur passio Domini, & Sanguinis ejus effusio, imo, ut docent qui Missæ exponunt mysteria, quidquid Christus Jesus pro humani generis redemptione peregit. Ultima quoque objectio solvitur quamfacillime; tum, quia necessum non est, ut figuræ per omnia respondeant veritati: tum, quia totus Agnus non poterat ab uno manducari, & Christus integer sumitur tam à singulis, quam ab uno: tum denique, quia nec cœna Paschalis erat *una communis*, sed per singulas domos familiæ ad esum Agni conveniebant, juxta præceptum Domini, Exodi XII. 3.

APPENDIX.

9. An privatim Celebrans teneatur communicare petentes?

In quæstionem cadit, an sacerdos *privatim* Missam celebrans teneatur laicis petentibus Eucharistiam distribuere. Videntur præstantissimi Theologi supponere non adesse tale præceptum, nisi qui celebrat, sit Parochus. Nam Bellarminus præcitato lib. 2. de Missa c. 10. num. 13. solvens argumentum adversus *privatas* Missas petitum ex Liturgiis, quæ innuunt distributionem Eucharistiæ, ait: *Semper fieri potest, ac debet Sacramenti distributio in Missa eorum sacerdotum, qui curam animarum ex officio gerunt, si sint aliqui parati ad communicandum.* Estius pariter in IV. dist. 12. §. 18. scribit: *Præsentibus* (agit de Missis privatis) *ac legitime petentibus ejus communio negari non debet, cum hoc Sacramentum sit institutum in cibum fidelibus omnibus communem.* Nec vero dubium est, quin *legitime* petat, qui petit à Parocho. Franciscus Sylvius in 3. part. quæst. 83. art. 5. animadvertit idem asserendum non esse de sacerdotibus, qui animarum curam non gerunt; atque hinc depromit pro Missa privata argumentum istud: *Certum est vetustissimam esse consuetudinem ordinandi Presbyteros etiam eos, quibus nulla animarum cura incumbit: ergo hi poterant celebrare, neque tamen obligati erant populum fidelem communicare.* Similia apud Theologos alios occurrunt, ac tam perspicua, ut nulla egeant explicatione. Hugo Grotius in Annotatis ad consultationem Cassandri *de solitariis Missis* ait laicos admittendos ad communionem, & invitandos, ut communicare velint, cum apud Græcos id nunc quoque fiat, & in Occidentis monasteriis multis, & dicat Henricus Gorichemus, *teneri Presbyterum admittere laicos cupientes communicare.* At fallitur Grotius obtendens consuetudinem Græcorum; Henricus itidem de Gorichem in Tract. de Effectu Missæ prop. 23. loquitur de

de Parochis, reprehendens pastores quosdam suæ ætatis, qui ægre ferebant nonnullos parochiæ suæ subjectos frequenter petere divini sacramenti communionem; id, quod Georgius Cassander tradiderat in præcitata Consultatione. Eadem sententia, quod sacerdotes Missam celebrantes teneantur ministrare Eucharistiam fidelibus, qui paratos ad ipsam recipiendam se exhibent, ac petunt sacrificii, cui adstant, fieri participes, paulo ante pullulavit in nonnullis Italiæ diœcesibus: atque hac de causa dedit ad Italiæ Episcopos literas Apostolicas die XIII. Novembris præteriti anni MDCCXLII. vigilantissimus Ecclesiæ Pastor BENEDICTUS XIV. His autem literis controversia tota dirimitur. Inde enim eruitur Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, & quas *solitarias* appellant, jure meritoque celebrari, quemadmodum definivit Tridentina synodus, atque nos argumentis plurimis demonstravimus. Asseritur præterea convenire veteri disciplinæ, juxta quam fideles in publicis conventibus adstantes Missis, de sacrificio participabant, necnon institutioni, atque exemplo Christi, si fideles in singulis Missis, quibus adstant, non solum spirituali affectu, verum etiam sacramentali Eucharistiæ perceptione communicent, ut ad eos perveniat hujus sacrificii fructus uberior; prout se optare inquit sess. XXII. cap. 6. laudata synodus Tridentina, ejusdemque verbis repetit beatissimus æque ac Sapientissimus Pontifex. Additur veterem disciplinam non esse necessario servandam, seu cuncta in Ecclesia ordinate, & congruenter disponenda esse, ut ex una parte minime fraudetur pietas fidelium, ex alia autem vitetur quælibet occasio perturbationis & scandali. Concluditur nullam injuriam ipsis fidelibus fieri, si juxta disciplinam, quæ modo viget, & in qua facilior est, quam fuerit priscis sæculis, ad participationem sacramentorum accessus, in tanta Missarum multiplicitate non semper administretur communio; neque importune insistendum esse, ut ministretur in iis loci, temporis, & personarum circumstantiis, quas Ecclesiarum Rectores excipiendas esse declarent, maxime, quod nec justa, nec rationalis est eorum petitio, qui ostendunt animum contumacem ac refractarium. Ex his ergo literis Apostolicis tria apertissime consequuntur; primum, communionem adstantium nequaquam esse necessariam ad sacrificii essentiam ac perfectionem; Parochos vero, qui ministrare sacramenta legitime petentibus tenentur ex officio, posse pro variis circumstantiis ad nutum Episcopi in Missa, & extra Missam Eucharistiam distribuere, ipsorumque Episcoporum monita ab aliis quoque sacerdotibus esse observanda. Alterum, rem esse magnopere congruam, si in singulis Missis aliquis adstantium communicet sacramentaliter. Tertium denique, in his cæterisque rebus ad disciplinam spectantibus sedulo dandam esse operam, ne fraudetur pietas, ne oriantur scandala, & ne sub devotionis prætextu pravum aliquod, ac pernicioſum dogma subrepat. Nulla profecto argumenta pro adstruenda obligatione ministrandi Eucharistiam in singulis Missis possunt, me judice afferri, nisi petita ex Liturgiis, ex praxi & disciplina veteris Ecclesiæ, ex Collectis precibusque Missarum, atque ex cœnæ Dominicæ institutione. Verum hæc argumenta congruitatem inferunt, non præceptum, & à sacrificii ratione ad participationem sacramenti fallaciter transeunt; denique sunt illa eadem, quæ urgent hæretici, ut demonstrent *privatas* Missas esse illicitas & abrogandas: in quibus argumentis refellendis paulo supra versati sumus.

10. Resolvit novissimè modernus Pontifex.

CAPUT XXII.

Quædam alia ad sacrificium *Missæ* spectantia proponuntur, & explicantur.

SUMMARIUM.

1. Quid Missæ vocabulum importet?
2. Quid alia nomina Missæ data.
3. Quid græca.
4. Varia Missarum genera.
5. Quid Missa præsanctificatorum.
6. Quid Sicca &c.
7. Quid bifaciata.
8. Varius olim locus dicendæ Missæ.
9. Nunc templum.
10. Et quidem consecratum ab Episcopo.
11. Notabiliora de Dedic. templorum.
12. Modus primus quo Ecclesia polluitur.
13. 2dus Modus.
14. Modus tertius.
15. Modus 4tus saltem dubius.
16. Reconciliat solus Episcopus.
17. An celebrandum in domibus privatis.
18. Altarium substantia.
19. Consecratio.
20. Numerus.
21. Altare portatile.
22. Altaris ornamenta.
23. Sacræ Vestes.
24. Reliqua ad Celebrandum requisita.
25. Tempus Celebrandi.
26. Quoties una die Celebrandum.
27. Stipendium Missæ.
28. Partes Missæ.

Per-

1. Quid Missæ vocabulum importet?

PErmulta sunt, quæ ad *Missam* pertinent, & ad Polemicam, moralemque Theologiam, necnon ad sacros Ritus referuntur: quorum notitiam saltem aliquam tradere capite hoc postremo conabor; cum de singulis plene & accurate disserere nec instituti nostri ratio postulet, nec hujus libri patiantur angustiæ. Prima igitur quæstio erit de *Missæ* vocabulo, quod aliqui Hebraicum putant, permulti vero Latinum, nonnulli etiam Græcum. Censent Hebraicum Baronius ad annum 34. num. 59. Joannes Reuchlinus lib. 2. Hebraic. eruditionum, Hector Pintus in cap. 3. Danielis, Claudius de Sainctes, Pamelius, & Genebrardus in Liturgiam, Munsterus quoque in Dictionario Hebraico, & alii. Hi *Missæ* nomen derivatum esse propugnant à verbo מִסַּת, *missat* quod significat *oblationem* liberali animo factam, Deut. XVI. 10. ubi legimus, מִסַּת נִדְבַת יָדְךָ

Oblationem spontaneam manus tuæ. Significatur eadem voce aliquando *Mysterium*, *res sacra*, *arcanum*, præsertim litera ץ in ן commutata: unde ex ipso nomine Catholici Principes in Censura Confess. Augustanæ colligebant *Missam* esse verum sacrificium. Prædictum vocabulum esse Latinum communior sententia est, Bellarmini lib. v. de Euch. cap. 1. Jo. Stephani Duranti initio lib. 2. de Eccles. Ritibus, Cardinalis Bonæ lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 1. num. 4. Scholasticorum omnium cum Magistro lib. IV. sent. dist. 13. & D. Thoma 3. p. q. 83. art. 4. Du-Cangii in Glossario, & sapientissimi Pontificis de Sacrif. Missæ sect. 1. num. 66. à quo recentiores plurimi, qui sententiam tenent eandem, commemorantur. Repetunt vero idem nomen à *mittendo*, quasi idem sit *Missa*, ac *missio*, quemadmodum *remissa* idem est ac *remissio* apud Cyprianum, Tertullianum, aliosque veterum. Ideo autem incruento sacrificio hoc nomen tributum fuit, quod lecto Evangelio dimitterentur Catechumeni: unde Victorinus lib. 2. de Eccles. Officiis cap. 41. ait: *Dicit Diaconus, Ite Missa est, quasi revertimini ad propria. Ab hac missione, id est, dimissione Missam dicunt appellari.* Qui è Græcia originem nominis hujus arcessunt, ortum putant à vocabulo μύησις, *initiatio*, *mysterium*, sive à verbo μυέω, *doceo*, *instituo*; unde & *Musa* apud Eusebium libro 2. de Præparat. Evangel. cap. 2. Prima istarum opinio videtur falsa, quoniam nec apud Syros, nec apud Græcos, (qui tamen alia hebraica nomina ab Apostolis usurpata, retinuerunt) legitur *Missæ* nomen. Tertia singularis est, levissimæ innititur conjecturæ, & ratione ipsa scribendi refellitur, nullibi enim *Mysſam*, aut *Musam* pro *Missa* scriptum inveni. Restat ergo secunda sententia, probata eruditorum omnium suffragio, prout Exercit. 16. in Baronium fatetur Casaubonus. Confirmat eandem sententiam, quod sæpenumero apud veteres legitur nomen *Missæ* usurpatum pro dimissione ab Ecclesia, peracto officio, cujus generis exempla extant apud Cassianum lib. 2. de Cœnob. institut. cap. 7. 13. & 14. Avitum Viennensem Epist. 1. & Luithprandum lib. v. cap. 9. Atque hæc tantum de *Missæ* vocabulo, de quo plura viri omnes prælaudati.

II.

2. Quid alia nomina Latina Missæ data.

Neque hoc solo nomine incruentum Sacrificium designari solet, sed complurибus aliis, quorum nunc præcipua producam. Latini Missam appellant *Oblationem*, *Communionem*, *Collectam*, *Dominicum*, *Sacrum*, *Agendam*. Occurrit *Oblationis* nomen apud Tertullianum de cult. fœmin. cap. 11. Cyprianum epist. 27. Optatum lib. 1. de Schismate Donatist. Augustinum epist. 54. aliàs 118. Ennodium Ticinensem in Apologetico, & in Capitularibus Caroli Magni sæpissime: eodemque nomine in Ordine Romano, & apud Anastasium in Melchiade significatur etiam *Hostia consecrata*, quæ appellari solet *Oblatio formata*; nam & hostia, quæ offertur, vulgo *oblatio* dicitur, sive *oblata*, à Latinorum *offero*, non (ut visum Casaubono in Athenæum lib. 3. cap. 25.) à Græcorum ὀβελίαι, *panes tosti*, aut offerumento, quod dicebatur de donariis in templo factis. De vocabulo *Communionis* dictum supra pag. 217. *Collecta* dicitur, ex quo populus, ut sacrificio interfit, simul colligatur: ideoque hoc nomine significatur etiam *collectio Monastica* in Regulis SS. Isidori, Fructuosi, & Pachomii: item *oratio*, quæ expleto canonico Officio, omnium adstantium nomine, recitabatur voce altiori, ut inquiunt in Observat. Eccles. Micrologus, & lib. 2. Instit. cap. 7. Cassianus. Plura *de Collectis* Lupus in caput 43. Tertulliani de Præscriptionibus. *Dominicum* dicitur mysticum sacrificium à Cypriano epist. 63. ad Cæcilium, ab Augustino in Brev. Collat. contra Donatistas, & in Actis Proconsularibus S. Saturnini apud Baronium ad an. 303. num. 84. & Bollandum XI. Februarii, necnon in Martyrologio Romano 25. Decembris. Eodem nomine, utpote adjectivo, designatur etiam *Templum* apud Cyprianum, Rufinum,

Rufinum, Hieronymum, aliosque productos in Glossario à Du-Cangio. Idem de *Sacro* dicendum est. *Agenda* passim occurrit in Antiphonario S. Gregorii, in Concilio Carthaginensi 2. sub Cælestino canone 9. in Epist. Innocentii I. ad Decentium, & in Vita S. Martini scripta à Severo Sulpitio. Ita Missa appellatur, quoniam veteres dicere solebant *Agere Missas*, & sacrificare Deo *actio* quædam est singularis ac præstantissima. Hinc *Actionis* nomine præcipue significatur *Canon* Missæ; *quia in eo Sacramenta conficiuntur Dominica*, inquit Walafridus Strabo de Rebus Eccl. cap. 22. *Agenda* sine addito apud Bedam, Durandum, & Anastasium Bibliothecarium denotat Missam pro defunctis; & recte *parvo* pro mortuis *Missali* vocabulum hoc præfigitur. At plura de his Missæ vocabulis Bona, Dartis, Vicecomes, Raynaudus, Du-Cangius.

3. Quid græca? Habent & Græci ad sacrificium Missæ designandum plura nomina, quorum præcipua sunt, λειτουργία, *Liturgia*, μυσαγωγία, *Mystagogia*, ἱερουργία, *Hierurgia*, συνάξις, *Synaxis*, τελετή, *Telete*, θυσία, *Thysia*, ἀναφορά, *Anaphora*, & προσφορά, *Prosphora*; Liturgia publicum ministerium significat, est enim à λήϊτον, *publicum*, & ἔργον, *opus*: unde hoc vocabulo *publica munera* appellant Isocrates, Synesius, & Suidas. Significari autem hoc nomine oblatum Deo sacrificium in cap. 13. Act. diximus paulo supra; eademque voce λειτουργίας Lucæ 1. 23. exprimitur Sacerdotale ministerium Zachariæ. Occurrit eadem vox in Pandectis, & Novellis Justinianeis, ac præfigitur Missæ sanctorum Basilii, & Chrysostomi. Exponuntur ex ista proximæ duæ voces μυσαγωγία, & ἱερουργία: quarum una idem est, ac *mystica actio*: altera, *actio sacra*. Synaxis idem sonat, ac apud Latinos *Collecta*, à verbo συνάγω, *congrego*; unde & *synagogæ* appellatio. *Thysia* sacrificium sonat à θυω, *macto*, *sacrifico*: quare legitur apud Ignatium ad Smirnenses, θυσίαν προσκομίζειν, *sacrificium immolare*, & apud Gregorium Nazianzenum, ἀναίμακτον θυσίαν, *sacrificium incruentum*. Vide supra cap. XIX. prop. 3. *Telete* à τελεω, *perficio*, significat *consecrationem*; & Græci eo vocabulo utuntur tam ad designandum sacrificium, quàm sacrorum Ordinum initiationes, & confectionem, atque benedictionem chrismatis. Usurpat idem vocabulum S. P. Augustinus lib. x. de Civit. Dei cap. 23. scribens: *Dicit etiam Porphyrius, divinis oraculis fuisse responsum, non nos purgari lunæ teletis, atque solis*: quem locum intactum reliquerunt Coquæus, & Vives. Postrema duo vocabula derivata ab ἀναφέρειν, & προσφέρειν, denotant *oblationem*; quamquam maximum est inter hæc duo verba discrimen, explicatum supra pag. 215. Agunt de Græcis hisce vocabulis Bona, Durantus, Goarius, Du-Mortier. Consimilia sunt nomina, quibus utuntur Syri, & Maronitæ, explicata part. 3. *Euopliæ* fidei Catholicæ à Fausto Nairono.

III.

4. Varia Missarum genera. Explicatis nominibus, agendum de variis Missarum generibus: quorum plura vel solo nomine satis percipiuntur: qualia sunt, quæ habent appellationem à tempore, ut *Missa ferialis, Matutina, Dominicalis*; vel à ritu, ut *Latina, Ambrosiana, Illyrica, Mozarabica*; vel ab auctore, ut *Jacobi, Basilii, Gregorii*, vel ab officio, ut *de Tempore, pro Sanctis, Votiva;* vel denique à celebrandi ratione, ut *publica, solemnis, privata*. Hæc ergo sufficiat solummodo commemorasse. Sed legimus præterea Missam *Catechumenorum*, Missam *sacramentorum, seu fidelium*, Missam *Præsanctificatorum*, Missam *siccam, vel nauticam*; necnon Missas, quas barbara voce appellarunt *Bifaciatas*, aut *Trifaciatas*: quæ omnia forte hæc legentibus ignota sunt. Itaque *Missa Catechumenorum* erat Liturgiæ nostræ pars complectens Epistolas & Evangelia, quibus recitatis *Audientes* dimittebantur, *Competentibus* vero tradebatur symbolum: atque ita Catechumeni omnes exibant ante Offertorium, clamante Levita, *Si quis Catechumenus remansit, exeat*. Ab hac dimissione derivatum, ut diximus, nomen *Missæ*. Egimus de his rebus Volumine VI. ubi tradidimus brevem Catechumenatus narrationem. Dimissos autem fuisse Catechumenos, ut eis sacra mysteria celarentur, observatum quoque est cap. 9. hujus libri, Regula v. Missæ Catechumenorum, & præsertim Episcoporum concionibus, quæ liturgiæ præmittebantur, adesse poterant hæretici etiam, atque Judæi, cum nulli hominum deneganda sit gratia prædicationis, ut habetur cap. *Episcopus nullum*, de Consecr. dist. 1. num. 67. deprompto ex canone 84. Concilii IV. Carthaginensis. Legimus aliquando Missam Catechumenorum celebratam fuisse à Diaconis: quoniam hi Evangelium legebant, dimittebantque non initiatos; Cassianus enim lib. XI. Instit. cap. 15. narrat Monachum quemdam κενοδοξίας fuisse tentatum, *quia celebrabat velut Diaconus Catechumenis Missam*. At quæ sequebatur

Catechumenis dimissis, complectens sacram *Actionem*, cui solis fidelibus adesse fas erat, appellabatur *Missa fidelium*, sive, ut epistola 219. scribit Ivo, *Missa Sacramentorum*.

5. Quid Missa Præsanctificatorum?

De Missa, quam τῶν προηγιασμένων, *Præsanctificatorum* vocant, quædam scripsi pagina hujus Voluminis 228. Dicendum nunc quambrevissime de illius origine, & qualitate. Vetustam esse apud Græcos constat ex canone 52. Trullano, in quo præcipitur, ut *in omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbato, Dominica, & sancto Annuntiationis die*, γινέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων ἡμέρα *fit Præsanctificatorum dies*, vel, ut habet vulgaris lectio, *Fiat sacrum Præsanctificatorum ministerium*. Probant viri docti eandem antiquitatem ex canone 49. Laodiceno, quo pariter in Quadragesima, sabbatis, & Dominicis exceptis, prohibetur τὸν ἄρτον προσφέρειν, *Panem offerre:* sed nulla eo in canone mentio προηγιασμένων. Horum synodorum Laodicenæ scilicet, & Trullanæ monumentis eruditus Du-Cangius in Glossario refellit Gregorium Protosyncellum, qui in Epistolam Marci Ephesini istius Missæ auctorem facit S. Gregorium Magnum. Sed lapsus est Du-Cangius: nam Protosyncellus ait ex Gregorii magni institutione factum esse, *ut Quadragesimali tempore apud Romanos Missæ sacrificium integrum peragatur:* quod etiam Anastasius Bibliothecarius, & Marianus Scotus tribuunt Gregorio Secundo, non primo. Michael Constantinopolitanus, & Simeon Thessalonicensis repetunt originem hujus Missæ à temporibus Apostolicis, nec aliter opinatus est Joseph Vicecomes falsa cujusdam loci Dionysii de Ecclesiastica Hierarchia, interpretatione deceptus. Nil certi de institutione ejusdem Missæ definiri potest; sed fuisse illam in usu, quando omnes quotidie communicabant, haud obscure colligit ex illius Liturgia Leo Allatius. Verum in Ecclesia Latina longe ante S. Gregorii tempora, & ab Apostolorum ætate quovis Quadragesimæ die *divina mysteria celebrabantur*, exceptis duntaxat duobus diebus, id est, Feria sexta Paraseeves, & Sabbato sancto; & hujus etiam diei Missa in proxima nocte agebatur; quod & commonstrat hodiernum Officium. Arausicana enim synodus juxta veterem Collectionem Decretorum lib. XIV. cap. 16. statuit, *ne divina mysteria bis duobus diebus celebrentur*, & Innocentius I. in Epistola ad Decentium conscripta an. 416. testatur ex traditione Ecclesiæ, *isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Quare, cum Missa sabbati, quæ agebatur in nocte, fiat modo ante meridiem, more ob jejunantium debilitatem inducto, ut in libro 3. de specialibus Missæ observat. censet Hugo Victorinus; consequitur Missam *Præsanctificatorum* ex traditione vetustissima celebrari solo die Paraseeves, & falli non solum Protosyncellum, verum etiam Marianum Scotum, & Anastasium. Atque hæc de Missæ προηγιασμένων antiquitate. In hac autem Missa nullam fieri consecrationem, ex quo vinum præsanctificato panis symbolo superinfundatur, dixi præcitata pag. 228. Idcirco à Cardinali Bona lib. 1. Rerum Liturg. cap. 15. appellatur *æquivoce dicta*: quo nomine designatur etiam Missa *nautica*, vel *sicca*, in qua nulla fit consecratio. At de Missa *Præsanctificatorum* legendi sunt Allatius & Nihusius ad calcem Operis de Eccl. Occident. & Orient. Consensione, Goarius pag. 205. Euchologii, Bona citato in loco, Lupus in Trullanum canonem 52. & Eximius Pontifex in Feriam VI. majoris hebdomadæ num. 319. & sequentibus.

6. Quid Missa Sicca, vel Nautica?

Missam siccam, vel *nauticam*, malè Vicecomes de Ritib. Missæ lib. 5. cap. 9. confundit cum Missa *Præsanctificatorum*, in quo & alios alucinatos observarunt in loco nuper laudato Bona, Lupus, Allatius. Etenim Missam *siccam* Eckius Annotatione ad art. 21. Confess. Augustanæ ait esse *Missæ simulationem, sacerdote agente quæ sunt celebrantis, cum Introitu, Collecta, Epistola, Evangelio, & canticis; qui tamen, quia non vult communicare, non consecrat, ita, ut Missa sit sine corpore, & sanguine Domini.* At in Missa *Præsanctificatorum* est verum Christi corpus, atque communio. *Siccam* Missam *nauticam*, seu *navalem* quidam dixerunt, quod aliquando celebrata sit in navi, cum ob fluctuum agitationem vix possit ibidem peragi *Missa perfecta:* quam tamen quandoque celebratam in navibus ostendam infra. Nunc de Missa *sicca* quæstio incidit, num licitum sit eam agere; nam Genebrardus illam approbat in lib. de Liturgia Apostolica cap. 30. celebratam jussu S. Ludovici, dum è transmarinis partibus remearet in Galliam, narrat in libro Gestorum ejus Guilelmus de Nangiaco. Durandus Mimatensis Episcopus in Rationali l. IV. c. 1. n. 23. & licitam asserit, & ritum ejus describit. Lupus, quamquam *histrionalem* vocat, affirmat tamen usitatam fuisse apud Belgas. At in hanc Missam declamavit Estius Orat. 13. Theologica, illamque refutarunt Sylvius 3. p. q. 83. art. 3. ac Lupus in citatum Trullanum

Trullanum canonem; & abrogatam *provida Episcoporum cura*, scripsit Joannes Cardinalis Bona præcitato cap. xv. num. 6. His proculdubio subscribendum est; quoniam *Missa sicca* est revera, ut Eckius & Lupus asserunt, *histrionalis simulatio:* atque hæc simulatio apparet in sacerdote, qui tanquam ad sacrificium dispositus, sacrisque indumentis ornatus ad altare, id est, ad sacrificii locum accedit, ritusque Liturgiæ servat; & licet canonem omittat, præmittit tamen orationes ac preces, quæ ad sacrificii oblationem directæ sunt, & quarum nonnullæ oblationem ipsam præsignant; recitat denique orationes alias, in quibus peractæ communionis fit mentio, & gratiæ de ipsamet persolvuntur. Reprobarunt deinde Missam hanc *siccam* Innocentius III. in literis ad Rectores Romanæ fraternitatis cap. *De homine*, in 3. Decretal. tit. 41. cap. 7. ubi *simulationem* appellat Missam ab impio quodam sacerdote sine consecratione peractam, dum damnans non solum quod *deceperit populum*, quale utique crimen non esset in Missa *sicca*; verum etiam, quod ritus simulatione *Deo illuserit*. Prohibuerunt præterea *Missam siccam* Concilium Parisiense an. 1212. can. 12. Sarisberiense an. 1217. can. 38. Synodus Iprensis Martini Rithovii tit. 15. cap. 10. secunda Cameracensis tit. 3. cap. 7. praxis denique universarum Ecclesiarum. Qui *Missas siccas* probarunt, nitebantur exemplo piorum virorum, Ritualibus quarumdam Ecclesiarum præscribentibus hujus Missæ ritum ac formam; & præsertim auctoritati Dionysii, qui de Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. ait Catechumenis præsentibus pro defunctis fieri solemne sacrum. Verum ad hæc respondemus, commendari à nobis virorum sanctorum devotionem atque pietatem, laudari etiam privatarum Ecclesiarum consuetudines, haberi denique rationem Durandi, Guidonis, aliorumque auctorum; his tamen præferendam esse disciplinam veritati consonam, majori approbatione firmatam, & ab universali Ecclesia receptam: Dionysium vero nequaquam eo loci verba facere de catechumenis, nam ibidem pag. Plantinianæ edit. 410. ait, *non incongrue ordines qui expiantur, admitti ad ea, quæ geruntur, ut perspicue discant, & advertant mortis incertitudinem, & sanctorum præmia;* ab his autem expiandorum ordinibus excludit catechumenos scribens: *Cæterum observa, quomodo non omnes, qui expiationi vacant ordines, pro more jam dimittantur, sed soli Catechumeni à sacro choro arceantur, quod nimirum hic ordo sacri omnis mysterii sit expers, neque fas sit illi quidquam, sive parvum, sive magnum, eorum quæ sancte peraguntur adspicere.* Hæc vero quomodo faciant pro Missa, quam *siccam* vocant, non video: cum potius hinc eruatur Missam quoque pro defunctis *formatam* esse, non *siccam*. Quidam alii respondent Dionysium non de Missa, sed de aliis precibus instituisse sermonem.

7. Quid Missa bifaciata, & trifaciata?

Bifaciatæ, & *Trifaciatæ* Missæ ita sunt appellatæ, quasi multiplicem habentes faciem, erantque Missæ, in quibus improbi quidam sacerdotes, ut pro uno sacrificio stipendia plura reciperent, plures Missas diversi generis, E. G. de Sancto, & pro mortuis, atque votivam etiam, vel quam voluissent, celebrabant usque ad Offertorium, unam post aliam: deinde ex ordine tot secretas orationes recitabant, quot missas incœperant; ac semel recitato Canone, & una consecratione, & communione peracta, totidem in fine addebant *Collectas*, quot initio præmiserant. Jure autem hujus generis Missas Petrus Cantor in Verbo Abbreviato cap. 29. tanquam *detestabiles abusus* perstringit & vellicat, Durandus cit. cap. 1. num. 24. illas damnat ac reprobat, Cardinalis Bona appellat *monstruosas, contrariasque institutioni, & consuetudini Ecclesiæ*, & recens Auctor de Re Sacramentaria tom. 1. pag. 511. portentosas, & prava turpissimi lucri cupiditate introductas.

V.

8. Varius olim locus Missæ dicendæ.

Nunc *de loco* ad celebrandam Missam idoneo dicturus, præmitto in Ecclesiæ cunis, furentibus persecutoribus, & priusquam tria priora sæcula forent transacta, in quolibet loco sacrificium fuisse oblatum, *in agris, in solitudine, in navibus, in carceribus, in diversoriis*, quemadmodum scribit Alexandrinus Episcopus Dionysius apud Eusebium lib. VII. H. E. cap. 22. pag. Vales. edit. 268. Hæc tamen pro re sacra potissimum loca præeligebantur, *privatæ fidelium domus*, atque in his vel superior pars, ubi veteres habebant cœnacula, vel subterranea, oculisque paganorum impervia; *carceres* item, in quibus Christi Confessores occludebantur, prout colligimus ex epistola quinta ad Presbyteros & Diaconos sancti martyris Cypriani; & Cryptæ demum, cœmeteria, & *loca illa*, quæ, sive à Græcorum κατὰ, & τύμβος, *juxta tumbas*, sive potius à Latinorum *Cymba*, quod ad instar navigii essent concava & longiora, sive denique à Sabinorum *Cumba*, unde Festus putat derivari *cubiculum*, appellaverunt Majores nostri, & adhuc

appellant Scriptores Ecclesiasticarum rerum, *Catacumbas*. Sed quoniam de his locis nonnulla dixi paulo supra differens de Missis *solitariis*, prolixius vero de iisdem egi pertractans de Titulis S. Evaristi, plura nunc dicenda esse non arbitror.

V.

9. Nunc templum.

Postquam ergo illuxerunt feliciora tempora, cœperunt ad fidelium conventus peragendos, Missasque celebrandas erigi & consecrari templa, & aedes, quibus apposuere nomen *Basilicarum*, & *Dominicorum*, quoniam in cultum supremi Regis, ac Domini construebantur; *Templorum* etiam, *Oratoriorum*, *Martyriorum*, quæ vocabula à loco, qui cernitur & contemplatur ex omni parte, in quo oratur, & habetur sanctorum memoria vel monumentum, etymologiam suam deduxerunt; quamquam *Basilicæ* appellentur communiter, quasi ob magnificam regiamque structuram, ampliores Ecclesiæ; ut Vaticana, atque Lateranensis, quæ & *Aurea* dicta est propter ornatum, sacrorumque donariorum pretium, numerum atque amplitudinem: *Oratorii* titulus ad privata & angustiora sacella coarctari soleat; *Templi* vero nomen potius sacris paganorum, quam Christianorum ædibus, ut docet Codex Theodosianus, conveniat. Neque vero majores nostri sacras has ædes construxerunt, desciscentes ab Apostolicis institutis. Nam, ut omittam Templum Salomonis in toto olim orbe celeberrimum, & non ex idololatrarum consuetudine, sed jussu Domini ædificatum; eas ædes, ad quas Apostolorum ætate conveniebant fideles, in priori ad Corinthios cap. XI. à privatis domibus distinguuntur: Praxedis quoque, & Pudentianæ domum in Ecclesiam consecrasse fertur Princeps Apostolorum; & Philo apud Eusebium lib. 2. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 17. de Alexandrinis ad Christum conversis tradidit, habuisse in singulis locis *consecratam orationi domum*, & in ea celebrasse *castæ vitæ mysteria*. Ut ergo his in locis, non promiscue in omnibus, divina agantur officia, præcipiunt vetusti canones collecti de Consecrat. dist. 1. à Gratiano, & novissime à Giberto de Sacram. tit. v. sect. 6. id est, Concilium Toletanum XVI. an. 698. cap. 8. Romanum an. 826. Excerpta Egberti cap. 9. Capitularia Theodulphi Aurelianensis cap. 11. & Ecclesiastica alia decreta quamplurima. Quibus accesserunt etiam Principum Catholicorum constitutiones, Novella 57. Justiniani, Capitularia Caroli Magni an. 789. num. 9. & Regum Francorum lib. VII. cap. 431. aliaque producta ab erudito Martenio lib. 1. de Eccles. Ritib. cap. 3. art. 5. num. 9. His vero definitionibus adstipulatur aperta ratio; siquidem, cum certa loca ad judicia, & ad publica munia deputentur, congruit pariter, ut deputata sint ad rem sacram, atque ad cætera divini cultus, & pietatis officia, in quibus conveniant necessum est, qui Christianorum instituta sequuntur, atque in uno Religionis nomine colligantur.

VI.

10. Et quidem consecratum ab Episcopo.

Ut vero hæc loca pro sacrificiis, & pro fidelium conventibus erecta Deo ab Episcopis consecratione dedicentur, multiplex ratio suadet. Principio enim dedicationem templi Salomonis narrat Regum Historia lib. 3. cap. 8. unde Ecclesiarum nostrarum, in quibus dignior ara statuitur, & immolatur sacrificium longe præstantius veteribus, commendat dedicationem Honorius Fortunatus, carmen sextum libri tertii sic modulans:

Cum Salomon coleret generosi encænia templi,
Israeliticos fecit adesse viros.
Levitas, proceres, pueros, juvenesque, senesque
Undique certatim regia pompa trahit.
Mactantur vituli, tauri jugulantur ad aras
Et populi in votis gaudia cædis erant.
Nunc vero assurgit ritu placitura beato;
Tempore decurso, justior Ara Deo.

11. Notabilia de Dedicationibus templorum.

Dedicationem pariter, post contaminationem gentium, factam sub Juda Machabæo legimus in libro Machab. 1. cap. 4. Ut quædam proferamus ex Ecclesiastica Historia, Romæ in Exquiliis à Principe Apostolorum consecratam Ecclesiam, testantur vetera Martyrologia, demonstratque Florentinius Exercitatione XI. in qua alias quoque antiquiorum templorum dedicationes vestigat. Ab eodem Apostolorum Principe consecratas in Ecclesiam sanctarum Praxedis & Pudentianæ domos diximus paulo supra. Cæcilia quoque, sicut in fine Actorum ejus habetur, postulavit ante obitum *triduanas inducias*, ut sanctus Urbanus domum suam consecraret *Ecclesiæ nomine*. Item Lucinæ ædes dedicavit Marcellus, quas in *catabulum*, id est, stabulum jumentorum vertit Maxentius, animalium curæ sanctissimo Pontifice mancipato. Eusebius lib. x. H. Eccl. cap. 3. pag. 370. commemorat festivitates, ἐγκαινίων κατὰ πόλεις τῶν ἄρτι νεοπαγῶν προσευκτηρίων, *dedicationum per singulas urbes Oratoriorum recens* (id est post restitutam Ecclesiæ pacem) *structorum*: & lib. IV. de Vita Constantini cap. 43. pag. 548. narrat dedica-

dicationem Ecclesiæ Jerosolymitanæ, ad quam Augustissimus Imperator invitavit omnes Episcopos, qui ad synodum Tyri convenerant. Athanasius in sua ad Constantium Apologia commendat dedicationem Ecclesiarum ab Alexandro, aliisque Patribus celebratam, affirmans aliquando se ante Encænia sacrificasse, (quod ei objiciebant Ariani) ob Ecclesiarum angustias, & populorum frequentiam. Vide eandem Apologiam numero 17. sufficiat autem ex historiis innumeris hæc tantummodo produxisse. Huc præterea spectant canones superiori numero laudati. Rationem insuper insinuant cap. *Tabernaculum*, de Consecrat. dist. 1. num. 2. excerptum ex epistola prima Felicis IV. (quam tamen permulti censent esse suppositam) in quo capite hæc extant: *Si Judæi, qui umbræ legis deserviebant, loca habebant divinis supplicationibus consecrata ad offerendum sacrificium; quanto magis nos habere convenit, quibus veritas patefacta est?* Neque enim consecratio templorum pertinebat ad classem illarum ceremoniarum, quæ, cum essent futurorum umbræ, erant in lege nova abrogandæ; sed ad moralia præcepta, quibus præscribuntur divini cultus & religionis officia; ut dixi pertractans de Sacramentorum Ritibus capite ultimo libri tricesimi. S. Thomas q. 83. art. 3. ad 3. ait Ecclesias *ex consecratione acquirere spiritualem quamdam virtutem*, sed hoc non esse accipiendum, quasi loca inanimata *sint gratiæ susceptiva*; nimirum Deus in Ecclesiis peculiari quadam ratione præsens est, preces exaudiens, & peccata dimittens: unde Ambrosius in fine libri de Exhortatione Virginitatis num. 94. ait: *Te nunc, Domine, deprecor, ut supra hanc domum tuam, supra hæc altaria, quæ hodie dedicantur; supra hos lapides spiritales, quibus sensibile tibi in singulis templum sacratur; quotidianus præsul intendas, orationesque servorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, divina tua suscipias misericordia.* His consonant quæ leguntur in Officio dedicationis Ecclesiæ. Solemni denique Ecclesiarum benedictione loca Deo sacrata purgantur: idque etiam miraculis comprobatum est; aliquando enim, dum consecrarentur Ecclesiæ, inde sub porcorum imagine immundos dæmones exiisse demonstrant quæ de Consecratione Ecclesiæ sanctæ Agathæ *in Suburra* narrat S. Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 30. & de Carthaginiensi Basilica Fausti, etiam ab Augustino serm. 111. & 261. laudata, scribit Victor Vitensis de Persecut. Vandalica lib. 2. num. 6.

VII.

12. Modus primus, quo Ecclesia polluitur.

Oritur nunc quæstio, quando Ecclesia polluta sit, neque possit in ea divinum peragi sacrificium. Jureconsulti in titulum XI. tertii libri Decretalium has, quibus Ecclesia violatur, causas enumerant. Prior est *violenta ac voluntaria sanguinis effusio*, de qua caput *Si Ecclesia*, ejusdem tituli num. 10. & cap. *Ecclesiis*, de Consecrat. dist. 1. num. 20. Si ergo effusio sanguinis *voluntaria* non sit, veluti si fiat ab homine furioso, Ecclesia nequaquam polluitur. Si etiam percussio levis sit, neque ex ea effluat magna sanguinis copia, ut interdum contingit in rixa puerorum, communis sententia est Ecclesiam non violari. Violaretur tamen, si jussu tyranni trucidaretur in ea martyr; quoniam licet patientis charitas sit Deo grata, illi tamen injuriosa est occidentis impietas. Si vulneratus extra Ecclesiam, in eam ingressus expiret, vel effundat cruorem, nulla consequitur sacri loci pollutio; secus, si intra Ecclesiam infigatur vulnus, mors autem, & effusio sanguinis foris contingat. Non violatur insuper Domus Dei, si in ea existens lapidem vel jaculum emittat, quamvis alterum extra positum afficiat lethali vulnere: violatur econtra, si exterius mittatur lapis, aut jaculum, percutiatque in sacris ædibus commorantem. Em. Gonzalez in 3. Decretal. pag. 774. & vir doctus hujus ævi in Pontif. Roman. p. 2. pag. 225. docent ex sententia Suarezii violari Ecclesiam, *si lapis, aut jaculum ab Ecclesia emittatur, ictus verò extra Ecclesiam fiat, vel è contrario.* At Suarez in 3. partem disput. 81. sect. 4. scribit quidem pollui Ecclesiam, si quis *jactu lapidis percutiat aliquem in Ecclesia existentem*, sed hæc subjicit: *Secus verò esset, si è contrario, qui existit intra Ecclesiam, sagitta vulneraret alium extra Ecclesiam existentem: tunc enim non violaretur Ecclesia; nam licet actio vulnerativa, & effusiva sanguinis in Ecclesia inchoetur, tamen ipsa vulneratio, seu effusio extra Ecclesiam fit.* Polluitur item Ecclesia *voluntario homicidio* etiam absque sanguinis effusione patrato, sive à se ipso, sive ab alio, quamvis fieret præcedente sententia judicis. Si percussio, aut altera violationis causa, contingat extra Ecclesiæ januam, & in ipso quoque portæ limine extra clausuram ostii, sive in sacrario, in turri, in cæmeterio, in conclavium aliquo, non pollui Ecclesiam consentiunt omnes. Plura ad hanc rem pertinentia memoratus Gonzalez in titul. de Consecrat. Eccl. vel altaris, Augustinus Barbosa lib. 2. Juris Ecclesiast. cap. 4.

Navarrus in Manuali cap. 27. Cabassutius in Theoria Juris Canon. lib. v. cap. 21. Et ex Scholasticis in 3. p. q. 83. art. 3. Franciscus Sylvius, Suarez, alii.

13. Modus 2dus. Polluitur deinde Ecclesia *voluntaria humani seminis effusione* cap. *Ecclesiis*, de Consecrat. dist. 1. quæ tamen si occulta sit, habet sacrilegii crimen, non *canonicam* templi violationem. Quæritur, an polluatur Ecclesia ex duorum conjugum concubitu. Violari negant in præcit. caput *Ecclesiis*, Glossa, Amicus, Arriaga, & ex nostratibus Basilius Poncius. Affirmant tamen Turrecremata, Passerinus, Sanchez. Gonzalez in 3. Decretalium, productis aliorum opinionibus, lociscque laudatis, concludit Ecclesiam nequaquam pollui, quando conjuges alibi mutuum congressum habere nequeunt, diuturno tempore in ea detinentur, & vitare incontinentiam non possunt. Navarrus, Vivaldus, & Sylvius etiam in hoc casu putant adesse violationem Ecclesiæ, & illicitam esse conjugum commixtionem; propterea quod si abstinere debent altero eorum absente, idem facere teneantur ob sacrorum locorum reverentiam. Habet robur tantummodo hæc opinio, quando res publice est nota, & amovendum est scandalum, atque devotio populi est reparanda; alioqui consentientibus omnibus, quod citra peccatum committitur, neque notorium est, nullam infert *canonicam* violationem, de qua disserimus. Atque hac brevi notatione facillimum est oppositas conciliare sententias.

14. Modus tertius. Censetur præterea Ecclesia polluta, *si in ea sepeliatur notoriè excommunicatus*, capite *Consuluisti*, cit. tit. xi. num. 7. quod affirmandum itidem est, si in eadem Ecclesia sepulturæ mandentur corpora infidelium, vel paganorum, cap. *Ecclesiam*, de Consecrat. dist. 1. num. 27. & sequenti. Idem asserendum, si in Ecclesia humetur puer non baptizatus; non tamen, si nondum materno ex utero sit extractus, & unà cum matre demortua sepeliatur: quoniam, etsi puer ille nondum natus, non pertineat ad maternum corpus, ut diximus libro xxxi. cap. 18. non ei tamen tanquam personæ à matre distinctæ beneficium sepulturæ impenditur, quando simul cum illa redditur terræ. Cavendum tamen, ne puer semel ab utero matris separatus, ac sine baptismate mortuus, iterum inter materna viscera claudatur, ut eodem cum matre condatur sepulchro; id enim fieret duntaxat in gratiam pueri: nec desunt qui tenent in tali casu Ecclesiam violatum iri. Certe id sentit haud vulgaris Theologus Franciscus Sylvius in Quæstionem 83. tertiæ partis. Suarez cit. disput. 81. sect. 4. putat pollui Ecclesiam, si dum mater sepelitur, occidatur filius in ejus utero clausus, secus si id contingat extra Ecclesiam: sed illo in casu violatio à crimine homicidii repetenda est, non à sepultura enecati pueruli.

15. Modus quartus saltem probabilis. Disputari solet, an polluatur templum, *quando Ecclesia consecratur per Episcopum excommunicatum*. Veteres omnes ante Suaresium, Paludanus, Angelus, Tabiena, Panormitanus, Ostiensis, & alii scripserunt, omni dubio procul violari. At Suarez oppositum tradidit, eique accesserunt Gibalinus de Censuris disq. vii. quæst. 5. Henno de Sacrificio Missæ disput. 23. Fagundez, Ugolinus, Gonzalez, alii. Ducuntur hi potissimum hac ratione, quod talis violatio in jure non sit expressa, argumenta vero, quæ in contrarium urgeri possunt ducta paritate à sepultura excommunicati, vim non habeant in his quæstionibus ad Jus Canonicum pertinentibus. Addunt, si paritate certandum sit, nec violari Ecclesiam, quando in illa excommunicatus Missam celebrat, juxta cap. *A nobis*, de Sacramentis non interandis. Non cecidit tamen à jure suo sententia illa vetustior, nam pro ea pugnant Sylvius citato in loco, Cabassutius item lib. v. cap. 21. num. 6. Barbosa præcit. cap. iv. num. 25. & Jurisperitorum, Theologorumque permulti. Ajunt enim eandem sententiam regulis Juris consentaneam esse, ex quo fuerit aliquando communis, & nunquam Ecclesia statuerit contrariam. Revera Suarez fatetur se non inveniisse autores aliquos sibi consentientes; quod videtur esse sufficiens argumentum falsitatis. Ex his verò saltem oritur non leve dubium, quo stante optimum consilium est, si Ecclesia reconcilietur. Extra controversiam denique positum est, consecrandas iterum Ecclesias ab hæreticis occupatas, ut habetur cap. *Ecclesias*, & cap. *Arianorum*, de consecrat. dist. 1. num. 21. & 22. Idque confirmant quæ ex magno Gregorio, & Victore Vitensi laudata sunt in fine paragraphi præcedentis. Videtur autem eandem de hæreticis, ac de excommunicatis habendam esse rationem.

16. Solus episcopus Ecclesiam reconciliat. Quocunque modo polluatur Ecclesia, si ante fuerat consecrata, nonnisi per Episcopum debet reconciliari, ex Rescripto Gregorii IX. ad Episcopum Astoricensem, cap. *Aqua*, de Consecrat. Eccles. 9. Si autem Ecclesia consecrata non fuerit, reconciliari post, annuente Episcopo, per simplicem sacerdotem, cap. finali ejusdem tituli, *Si Ecclesia*. Clementem IV. non

non semel indulsisse simplici presbytero facultatem pollutas Ecclesias reconciliandi, observarunt JCC. in III. decretalium; atque hæc indulta de Ecclesiis non consecratis exposuerunt Ostiensis, & Fagnanus. Verumtamen delegatione Summi Pontificis posse à singulis presbyteris Ecclesias reconciliari & consecrari, diximus superioris libri capite VII. agentes de ministro Confirmationis.

VIII.

17. An Celebrandum in Domibus privatis?

Itaque juxta canones superiori numero v. laudatos, *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria*, peragi Missæ sacrificium non potest, atque, ne id Episcopi in suis diœcesibus patiantur, jubet in decreto de observandis & vitandis in celebratione Missæ, quod canones sess. XXII. immediate consequitur, sacrosancta synodus Tridentina. Hoc decreto revocata est facultas, quam olim habebant Episcopi licentiam largiendi, ut in privatis oratoriis agantur Missæ, ex cap. *Missarum*, de Consecrat. dist. 1. atque circa potestatis hujus abrogationem omne dubium eliminavit in epistola Encyclica anno 1615. summus Pontifex Paulus V. In ædibus tamen, quas inhabitant, possunt Episcopi privata oratoria ad sacrificandum habere: sed ut erigantur in privatis aliorum domibus, petenda est ab Apostolica Sede facultas. Agathensis Synodus an. 506. canone 21. statuit, ne Missæ celebrarentur in oratoriis *in Paschate, Natali Domini, Epiphania, Ascensione Domini, Pentecoste, Natali S. Joannis Baptistæ, & si qui maximi dies in festivitatibus habentur*; ac fieri solet exceptio consimilis in facultate oratoriorum privatorum, quando ab Apostolica Sede conceditur, ne scilicet in his celebretur Missa *in die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, F. V. in Cœna Domini, Paschatis, Pentecostes, Annunciationis & Assumptionis beatissimæ Virginis Mariæ, SS. Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum.* Istæ enim Festivitates à S. R. Congregatione die 17. Novembris an. 1607. declaratæ fuerunt præcipuæ atque solemniores. Præterea in aliis locis cum *altare portatili*, de quo infra, celebrari potest Missæ sacrificium, *urgente necessitate*, ut in castris sub papilionibus, aut sub dio; in littore ab Ecclesiis remoto; in plateis, vel in agro, si diruantur, aut terræmotu quatiantur templa, necnon si horum angustiæ in magna aliqua populorum frequentia capere non valeant multitudinem confluentem: in quo tamen postremo casu consulendum Episcopum docent gravissimi, doctissimique scriptores. Disputatum à Theologis, & Jureconsultis in utramque partem, an sacrificium Missæ peragi possit in navibus. Negant verò id id permulti ob inconstantiam fluctuum, ac subitæ tempestatis pericula. At alii ex adverso reponunt languere interdum fluctus malacia & tranquillitate, peritosque naucleros præsentire ventorum commotiones atque procellas: fas proinde esse fluctibus quiescentibus facere rem sacram; & si forte subita excitaretur tempestas, servare quod fieret in templis, si Missas agentibus improvisum & inopinatum accideret impedimentum. Addunt ex Baronio ad annum 700. num. 3. peractum in navi sacrificium à Wulfranno Senonensium Episcopo; quod Scriptor Eminentissimus refert ex Jona Monacho, & Surio ad diem 20. Martii; Maximianum quoque Siracusanæ civitatis Episcopum, omnesque, qui cum ipso erant in navi Adriatici maris fluctibus quassata, data sibi invicem pace, *accepisse corpus & sanguinem Redemptoris*, ex Gregorio Dialogorum tertio, cap. 36. Hoc tamen postremum exemplum potius de communione Eucharistiæ in illa navi asservatæ, quàm de peracto sacrificio, accipiendum esse demonstrant verba ipsa Gregorii. Videtur nunc controversia ista finita; nam posse in navibus peragi sacrificium *ex privilegio tantum Apostolicæ Sedis*, tradunt unanimiter viri percelebres, Pignatellus tom. VIII. Consultat. 124. num. 1. Cardinalis Petra in Comment. ad Constit. 2. Urbani V. Rotarius in Theologia Regularium tom. 3. lib. 1. cap. 2. Meratus in Gavantum p. 1. tit. 20. aliique permulti, quibus adhæret sect. 2. de Sacrif. Missæ num. 53. eruditissimus Pontifex. Hi nimirum demonstrant celebrari Missas, tranquillo cœlo, in navibus Indicis ex privilegio Clementis VIII. & Pauli V. privilegium hujusmodi denegatum à summo Pontifice triremibus maris Mediterranei; concessum denique, prævio voto S. Congregationis Concilii, à Clemente XI. die 13. Martii anno 1706. strenuissimis Ordinis Hierosolymitani Equitibus.

An in Navi?

IX.

18. Altarium substantia.

Spectant insuper ad sacrificii locum altaria, de quibus dixi nonnulla pag. 255. & seq. Apellant Hebræi altare מִזְבֵּחַ *Mizbeach*, à radicali זָבַח, *zabach*, *sacrificavit*; quemadmodum Græci θυσιαστήριον, à θυσιάζω, *sacrifico*: Latini *Altare* dixerunt, sive quod pro holocaustis ignem *aleret*, sive potius ab *altitudine*, quod scilicet in tumulis à terra exaltatis

exaltatis sacra facerent diis superis. Hinc Virgilius Ecloga v. *aras* Daphnidi, *altaria* Phœbo erecta aliquo discrimine notat: quamquam & altaria Jovi posita appellat *aras*, ubi de Jarba ait Aeneidum IV.

Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem.

Quare & latinissime *aræ*, & *altaris* nomine utimur indiscriminatim. At de his alibi dictum est, nec iterum occupare nos debent observationes Grammaticorum. Altaria in lege veteri alia terrea erant, alia lapidea, alia aenea, alia aurea. De terreis legimus Exodi XX. 24. *Altare de terra facietis mihi*, ubi nudam humum, aut lateritium opus significat tum hebraica phrasis, מזבח אדמה, *Mizbeach adamah*, *Altare terram;* tum Versio LXX. θυσιαστήριον. Altare lapideum commemorant proximus versus ejusdem capitis vicesimi, & loca alia Scripturarum innumera. Legitur eodem versu altare non ædificandum *de sectis lapidibus*, sed de rudibus & impolitis, forte ne abrasis scalpello particulis Judæi ad superstitionem, vel magicas artes abuterentur. Altare aeneum, quale describitur 2. Paralip. IV. cremandæ hostiæ deserviebat: unde & ædificatum *de lignis setim*, Exodi XXVII. tabulis æreis tegebatur, ne læderetur à flamma. Altare aureum, de quo Exodi XXX., erat pro adolendo *thymiamate*, quod erat suffumigii genus ibidem descriptum, ideoque Græci appellarunt idem altare θυμιατήριον. At de his plura sacri Interpretes: exquisita verò in Myrothecio II. literatissimus Scacchus. In lege nova quædam altaria fuisse lignea colligimus ex Athanasio epist. ad Solit. Optato libro VI. contra Parmenianum, & Augustino lib. V. de Baptismo cap. 20. ac lib. 3. adversus Cresconium cap. 43. Servatur Romæ in Titulo S. Pudentianæ ligneum altare, in quo fertur sacrum peregisse Petrus princeps Apostolorum. Turrecremata in cap. *Altaria*, de Consecrat. num. 31. refert S. Sylvestrum in Lateranensi Basilica consecrasse altare ligneum, de quo etiam lib. I. cap. 4. Cæsar Rasponus in Opere de eadem Basilica. Verum Sylvestri sæculo fuisse in usu altare lapideum demonstrat ex oratione Nysseni in Christi baptisma, & ex monimentis aliis lib. I. Rerum Liturg. cap. 20. eruditissimus Bona: atque jam ab anno 517. à Concilio Epaonensi statutum fuit, ut altaria tantum lapidea chrismatis unctione sacrentur. Vide præcit. cap. *Altaria.*

19. Consecratio. Altarium consecrationem commendant varii canones apud Gratianum de Consecrat. dist. I. & in 3. Decretalium tit. 40. Eandem & ratio suadet, quod non solum oporteat, ut sacer sit locus sacrificii remotus, verum etiam proximus, & in quo peragitur ipsummet sacrificium. Id natura ipsa tradente præstitit Jacob, qui Genes. XXVIII. 18. lapidem erexit in titulum, *fundens oleum desuper.* Hoc ritu non fudit Jacob oleum, ut servaretur memoria visionis, ad hoc enim satis fuisset erectio lapidis, sed ut Deo locus consecraretur: unde & locum ipsum appellavit *Bethel*, id est, *domum Dei.* Impositum vero fuisse hoc nomen ob loci sanctitatem inde apparet, quod erecto ibidem à Jeroboamo uno ex vitulis aureis, transierit nomen *Bethel* in *Bethaven*, quod significat *domum idoli, seu vanitatis.* In illa unctione *figuratum aliquid quod ad magnum pertineat Sacramentum*, scribit sapientissimus Augustinus lib. XVI. de Civit. Dei cap. 38. & Nazianzenus Orat. 2. de Theologia, seu XXXIV. *Jacob*, inquit, *columnam inungendo dedicavit arcano haud dubie consilio, quo Lapidem nostri causa inunctum denotaret.* Quæ obiter dicta sint ad refellendum Du-Vertium scribentem nil mysticum in ea unctione inveniri. Apparent evidentius hujus consecrationis mysteria ex altarium expiatione, & dedicatione, de qua Levitici 16. Exodi 40. & 1. Machab. cap. 4. In his quippe locis unctionem factam *sanctificationis* atque *emundationis* causa demonstrant scripturæ verba. Diximus autem alibi in altarium consecratione necessarias esse Reliquias Sanctorum Martyrum; quod confirmant canon 5. Concilii Africani anno 424. sive cap. *Placuit*, *ut altaria*, de Consecrat. dist. I. n. 26. canon. 7. Concilii Gen. VII. an. 787. Hieronymus adversus Vigilantium cap. 3. Ambrosius in Epistola ad sororem suam Marcellinam, Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. & Paulinus, cujus Natali IX. hæc sunt verba:

Namque & Apostolici cineres sub cœlite mensa
Depositi, placitum Christo spirantis odorem
Pulveris inter sancta Sacri libamina reddunt.

Orat propterea Sacerdos accedens ad Missæ Introitum, *Per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic sunt.*

20. Numerus. Altarium numerus non est Ecclesiasticis definitionibus constitutus, tametsi Carolus Molinæus lib. 2. Controv. cap. 17. contendat *unicum* in singulis Ecclesiis permittendum, tum ex Apostolica consuetudine, tum ex Hieronymo scribente in caput 2. Oseæ vers. 13. habere Eccle-

Ecclesiam *unum altare*, hæreticos *plurima*. Sed facillimum est Calvinianum illum hominem refutare; siquidem ut Ecclesiæ status felicior nunc est, & presbyterorum numerus amplior, ita major est altarium multitudo, quemadmodum diximus supra de Missis. Præterea variabilis est, uti in cæteris, hac in re temporum, locorumque disciplina. Nec altarium numerus postremis sæculis adauctus est: nam Gregorius lib. v. epist. 43. ad Palladium *tredecim* ejusdem Ecclesiæ altaria commemorat, & Nolanus Episcopus Paulinus prælaudato Natali cecinit:

Spectant de superis altaria tota fenestris.

Hieronymus autem *altaris* nomine intelligit fidem, atque communionem, unde ait eo loci de hæreticis, *Habent tot altaria, quot schismata.* Usurpatur eadem phrasi de iis, qui secedunt ab Ecclesiæ unione, *Erigere altare contra altare;* quod invenies apud Cyprianum, Optatum, atque Augustinum.

X.

21. Altare portatile.

Præter altare immobile & loco adhærens, datur altare motorium; quod *Altare viaticum* appellat Durandus in Rationali, *Tabulam itinerariam* Ordo Romanus, *Altare gestatorium* S. Anselmus, & Hugo Flaviniacensis, *Lapidem portatilem* alii apud Mabillonium Præf. in Sæculum 3. Bened. num. 78. Demonstrat Cardinalis Bona ex Capitulis Hincmari, *altaris portatilis* olim usum fuisse, cum celebrandum foret in altaribus fixis nondum consecratis, aut in oratoriis privatis, quorum aris tempore duntaxat Agendæ *sacer lapis* apponeretur, chrismate ab Episcopo delibutus: unde & nunc Orientalis Ecclesia utitur ἀντιμηνσίῳ, *Antimensio*, adhibendo tantum, quando oblatio Liturgiæ fit in altari, de cujus consecratione non constat. In privatis ergo oratoriis non erant olim altaria *consecrato lapide* ornata. *Altaris viatici* privilegium concessum quibusdam Regularibus legimus cap. *In his*, in v. Decretalium tit. 33. de Privilegiis, num. 30. itemque Episcopis omnibus, cap. *Quoniam*, in VI. eodem titulo, num. 12. At quantum ad Regulares spectat, omnino privilegium illud revocatum fuisse, post definitiones alias complures declaravit die 15. Decembris an. 1703. summus Pontifex Clemens XI. ideoque peculiari tantum indulto Gregorii XIII. utuntur eodem Altari Missionarii Societatis Jesu. Quantum vero pertinet ad Episcopos; tametsi ad quosdam abusus eliminandos, aliquorum præsertim, qui ut gratificarentur Laicis, *tabula itineraria* in horum ædes asportata sinebant ibidem à suis Cappellanis immolari vivificam Christi hostiam, ipsimet Episcopi comprehendi videantur præcitata Clementis XI. inhibitione; non eis tamen sublatum est privilegium expressum cap. *Quoniam*, sed jure utuntur *altare portatili* in iis laicorum domibus, in quibus occasione visitationis, vel itineris excipiuntur hospitio, vel in casibus aliis à Jure permissis moram faciunt; prout declaravit Innocentius XIII. & Benedictus XIII. tradiditque hujus nominis, auctoritatis, ac throni Hæres Beatissimus, sect. 2. de Sacrif. Missæ num. 48. In his quoque *Viaticis aris* necessum est includantur Sanctorum Reliquiæ, ut constat ex dictis præcedenti num. & decrevit S. Rituum Congregatio die 10. Novembris 1612. easdemque aras iterum consecrandas, *si confractum sit sigillum*, colligitur ex cap. *Ad hæc*, de Consecrat. Eccl. ubi Juris Canonici Tractatores *sigilli* nomine designari docent sacrum Reliquiarum operimentum.

XI.

22. Altaris ornamenta.

De iis altarium ornamentis, quæ ad cultum splendoremque spectant, non est loci hujus differere: audiendus tantum Paulinus Natali 3. pag. Plantin. edit. 540. canens de S. Felicis Basilica.

Aurea nunc niveis ornantur limina velis,
Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris.
Nocte, dieque micant, sic non splendore diei
Fulget, & ipsa dies cœlesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Ad sacrificium tamen spectant *lintea, crux, cerea lumina.* Lintea, quæ *mappas* etiam dicunt, & in Concilio Ravennati an. 1311. can. 8. necnon in Cæremoniali Romano *tobaleas*, in Actis autem Mediolanensis Ecclesiæ, *sindones*, apponi ex more vetustissimo liquet ex Optato Milevit. lib. VI. num. 2. ubi scribit notum cuique fidelium, altaria *in peragendis mysteriis linteamine cooperiri.* Vide in hunc locum Albaspinæum. Ex his linteis impiè fecisse sibi indusia, & femoralia Proculum exercitus Genserici regis imperatorem, tradit in priori libro de Persecut. Vandalica n. 12. Victor Vitensis. Tribus mappis cooperiendum altare, oblonga una, brevioribus aliis, vel una duplicata, infertur ex cap. *Si per negligentiam*, de Consecrat. dist. 2. num. 27. de

Cruce extant versus Paulini Epist. XII. ad Severum pag. 147.

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compositis sacra cum cruce martyribus:
Cuncta salutiferi coeunt martyria Christi,
Crux, corpus, sanguis, martyris ipse Deus.

Corporis Domini *sub Cruce* positi meminit synodus Turonensis anno 570. canone 3. ac plura in hanc rem monimenta collegit Joannes Baptista Scortia lib. 3. de Sacrif. Missæ cap. 3. Amalarius lib. 1. de Eccles. Off. cap. 14. aliique omnes, qui de sacris mysteriis pertractant, ajunt ante nos locari crucem, *ut Christum quasi pendentem in ea mente teneamus*: addit lib. V. Operis Paschalis Sedulius,

Neve quis ignoret speciem Crucis esse colendam.

Cum itaque crux ante oculos statuenda sit, ut facilius excitetur Crucifixi memoria, atque adoretur signum redemptionis nostræ; consequitur in altari, dum agitur Missa, ponendam crucem esse, quamvis sit ibi expositum sanctissimum Sacramentum, prout decrevit Sacra R. Congregatio die 14. Maji an. 1707. econtra necessum non esse, ut ponatur alia crux (quidquid scripserint aliqui Ceremoniarum præceptores) quando adest in altari *magna statua SS. Crucifixi*, quemadmodum eadem S. R. C. declaravit 16. Junii 1663. De cereis vero, quoniam plura dixi lib. XXX. cap. 23. & quædam etiam supra p. 210. ubi egi de SS. Eucharistiæ expositione, nil addam in præsentia, nisi decretum Tridentini Concilii sess. XXII. prohibens *candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quam à vera Religione inventus est.*

XII.

22. Sacræ Vestes Celebrantium.

Sequitur, ut nonnulla dicamus de sacris celebrantium indumentis, contracte tamen & breviter; de his enim universim egimus præcitato capite tertio ac vicesimo. Sunt autem, quibus sacerdotes omnes utuntur, *Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta.* Amictus, inquit Cardinalis Bona, appellatur etiam *Superhumerale, Ambolagium, Anabolarium*, & per analogiam ad legalium sacerdotum indumenta, *Ephod.* Ac priora duo vocabula, cum latina sint, satis sunt nota. Tertium *Ambolagium* idem est, ac Græcorum ἀναβολάγιον, à verbo ἀναβολλω, *induo*: anabolarium vero est idem cum ἀναβόλαιον, ornamentum scilicet, quo humeri proteguntur: Ephod ab אָפַד, *ligavit*, seu, *cinxit*, derivat.

Amictus

Claudius De-Vert amictum adhiberi censet ad collum undique cingendum, ne contrahatur raucedo: sed attendenda potius significatio mystica, de qua Bruno Signiensis de Vestimentis Episc. *Amictus quidem, quo & collum stringitur, & pectus tegitur, interioris hominis castitatem designat: tegit enim cor, ne vanitates cogitet; stringit etiam collum, ne inde ad linguam transeat mendacium.* Indecorum esse sacrum facere, hærente in capite amictu, fatentur Parisienses Theologi Joannes Du-Tour, & Honoratus Tournelius, tametsi hiberno tempore ita Missas agere consuetum sit in Ecclesia Parisiensi. Vide Tournely de Euch. pag. Venetæ edit. 441. Viget idem mos, rigente hyeme, in Polonia: permittendum censent aliqui apud Senenses, ubi detectio capitis non est honoris significatio. Nemini ex decreto S. R. C. 3. Augusti 1652. fas est sacrificium peragere *cum cæsarie ficta.* Albam vocant etiam Ecclesiasticarum rerum illustratores *camisiam, subuculam, vestem talarem, lineam dalmaticam*, & Græco vocabulo ποδηρῆν, *poderem*; quod usque ad *pedum* talos dimittatur. Hujus mentionem fecere Carthaginense Concilium IV. celebratum anno 398. cap. 41. Hieronymus adversus Pelagianos, Magnus Gregorius I. libro in Ezechielem cap. 11. aliique bene multi. Hac veste designari vitæ innocentiam, ornamenta virtutum, bonorum operum perseverantiam, & vestem albam, qua Herodes illusit Christo, demonstrat lib. 3. Rationalis cap. 2. clarissimus Mimatensis Episcopus. Sacerdotes quoque Isidis *vestibus lineis* utebantur, testibus Apollonio, Apulejo, Plinio, Ovidio, quorum scriptorum loca laudant Suassæus, Bona, Durantus: imitati siquidem sunt idololatriæ typum, de quo Apocalypsis XIX. 8. *Byssinum enim justificationes sunt sanctorum.* Cingulum, quod & *baltheum*, ac *zonam* appellant, indicium esse castitatis docent Innoc. III. lib. 1. de Myst. Missæ cap. 15. Stephanus Eduensis de Sacram. altaris cap. 10. Rabanus Maurus lib. 1. Institut. Clericorum cap. 13. Ex Concilio Aurelianensi an. 511. can. 20. *Monacho in monasterio zonas habere non licet*, ut legitur cap. *Monacho* 27. q. 1. c. 32. Curnam, quæso, si zona castitatis est symbolum? Pro zonis quidam legendum putant *Tzangas*, id est, cothurnos, quos & in urbe singulis vetat Codex Theodosianus l. 2. *de habitu, quo uti oportet*, & Clericis Capit. Caroli M. lib. 7. cap. 304. Alii Aurelianensem canonem exponunt de munusculis à muliere acceptis:

Alba

Cingulum

sed

sed prior interpretatio comprobatur veteri lectione, quæ apud Jacobum Petitum habet *ciangas:* de qua voce agit in Manipulus. Glossario Du-Cangius. *Manipulum* appellatum quoque invenimus *Fanonem*, *Mappulam*, & à Græcis ἐπιμανίκιον, quasi *supermanicale*. Substitutum utique est loco mantilis, quo sacri ministri frequenter tergebant manus, & interdum affluentiam lacrymarum, ut de Arsenio legimus in Martyrologio Bedæ XIV. Kal. Augusti. At hinc non sequitur *manipulum* mystica significatione carere. Illo Honorius Augustodunensis ait denotari pœnitentiam, S. Bonaventura patientiam atque humilitatem, quibus *tanquam clypeo* munimur ad spiritale certamen, Theodorus Balsamon vinculà Christi manibus implicata, Latina autem Ecclesia dolorem ac fletum, cui in altera vita copiosa merces rependitur. Ideo ponitur *in sinistra*, quæ significat vitam hanc transitoriam. Episcopo imponitur tantum confessione peracta (inquit Bona) prisco more, quoniam tunc *Casula* elevabatur, ut celebrantium brachia essent Stola ad divinum opus expedita. *Stolæ* nomen, derivatum à στέλλω, *instruo*, *orno*, usurpabatur à veteribus de quovis indumento, à Latinis vero pro veste muliebri usque ad imos pedes demissa; pro muliebri æquè, & virili à scriptoribus Græcis. Frequentius usurpatum est idem nomen ad significandum honestum, splendidumque ornamentum; unde legimus Gen 41. 42. à Pharaone Joseph donatum *stola*, eâdem ab Assuero Esther 6. 11. vestitum Mardochæum, Aaronem quoque cæterosque Pontifices Eccli. 45. 12. indutos *stola sancta*. Veneti cives stolam appellant panni segmentum oblongum & dodrantalis latitudinis, quod humero injiciunt sinistro. At rerum Ecclesiasticarum Scriptores designant eo vocabuli interdum *Pallium Archiepiscopale*, & communiter vestem angustam in modum fasciæ, quam diaconi, ac presbyteri gestant in humeris, & quam veteres appellare solent *Orarium*. S. Antoninus, & JCC. tradunt deferri stolam in signum jurisdictionis, ideoque summum Pontificem universalis Ecclesiæ Pastorem semper procedere stola ornatum. Amalarius Stephanus Eduensis, Durantus, aliique plures ab eo laudati lib. 2. de Rit. Eccl. Cathol. cap. 9. docent stola collo superposita demonstrari *ministerium Evangelicæ prædicationis;* at oratio à presbyteris illâ se ornantibus recitata commonstrat *stolam* symbolum esse justitiæ & immortalitatis, quam amissimus in Adami prævaricatione. Hanc immortalitatem appellat *stolam* S. P. Augustinus lib. VI. in Genes. cap. 27. num. 38. eique subscribit S. Bernardus serm. 3. de sanctis. Sequitur *Planeta* sic dicta, quod Casula oris errantibus evagetur; olim autem quod totum hominem à collo usque ad pedes ambiret, & veluti parva casa circumdaret, *Casula* appellabatur. Græci φελόνιον dicunt: quod vocabulum occurrit 2. ad Timotheum 4. 13. ubi noster vertit *Penulam*. Hinc plura de veste illa Pauli dissidia, de quibus ad annum 58. num. 67. Baronius, contendentibus aliis vestem illam Troade apud Carpum relictam fuisse sacram, aliis communem pro depellendis imbribus, aliis etiam librorum thecam. Sed nihil ex Græca, aut Latina versione hinc pro sacra veste inferas; siquidem tam Latinorum *penula*, quam Græcorum φελόνης, sive φελόνιον est superius, spissum que indumentum, aptum arcendis imbribus, dictum à φελλέυω, quod est, *in aqua fluito*. Hinc Hieronymus, Chrysostomus, & Theophylactus Commentariis in Paulum τὸν φελόνην interpretantur *vestem hyemalem*. Ad significandum tamen indumentum sacerdotale hæc vocabula recte adhibentur: nam *Planetam* legimus apud Rabanum, Ivonem, Hildebertum, & jam ab anno 633. adhibita fuit eadem vox cap. 27. in IV. Synodo Toletana: φελόνιον occurrit in omnibus libris Græcorum Liturgicis; *Casula* denique in libris Alcuini, Ruperti, Honorii, aliorumque. *Casula* olim super brachia complicabatur, unde Latini, ut facilius sacris operarentur, cœperunt paulatim eam ad latera scindere & decurtare: de quo plura lib. 1. cap. 24. num. VIII. Cardinalis Bona, Stephanus Eduensis in Casula denotari existimat veterem & novam Ecclesiam, Innocentius III. Hugo, Ivo, Alcuinus, aliique complures duo charitatis præcepta, nonnulli inconsutilem Christi vestem. Erudite pertractat de Casula, præter Auctores de divinis Officiis simul Romanis typis collectos, & recentiores permultos, Joannes Stephanus Durantus lib. 2. de Rit. Eccl. Catholicæ cap. 9. num. 17. & 19.

XIII.

24. Aliqua ad celebrandum requisita.

Quædam addam modo de *Calice*, *Patena*, *Corporali*, *Hamulis*, & *Campanula*. Calicem Varro dictum putat vas, quo veteres utebantur ad *calidam* potionem, Isidorus à κάλον, *lignum*, quod vasa potoria initio lignea fuerint, ac Priscianus à κύλιξ, quod est *torno confectum*. Ii, quibus in sacrificiis utimur, *calices*, Calix. priscis sæculis lignei fuerunt, vitrei, stannei, pro varia temporum conditione, ut demon-

demonstrant viri clarissimi, Bona lib. 1. cap. 25. eximius Pontifex sect. 1. num. 26. Boldetius de Cæmeteriis lib. 1. cap. 39. & alii. At non defuerunt, furentibus etiam persecutionibus, calices pretiosiores; nam & argentea pro sacrificio vasa inventa sunt in Cæmeteriis Romanæ Urbis: quare Prudentius hymno 2. περὶ στεφάνων describit præfectum Urbis, dum à Laurentio peteret Ecclesiæ thesauros, ita loquentem:

Hunc esse vestris Orgiis
Moremque & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis
Libent ut auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Stannei calices pervetusti servantur adhuc Romæ in Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani in Foro Boario, & in Basilica Lateranensi, Calicem illum, in quo Christus Dominus consecravit, fuisse argenteum, diuque servatum Jerosolymis, scribunt Beda de locis SS. cap. 2. & Baronius ad annum 34. num. 63. ex achate, vel onychino lapide fuisse confectum probare nititur Saussajus lib. 8. Panopl. Sacerdot. eumque viri graves asservatum tradunt in majori Valentinæ civitatis Ecclesia. At Chrysostomus hom. 60 ad populum Antioch. sive potius 51. in Matth. pag. edit. Commel. 455. ait nil in Cœna, *præter sacra mysteria*, pretiosum interfuisse. Triburiense Concilium anno 895. cap. 18. inquit Zephirinum Romanum Pontificem XVI. statuisse, ut Missæ celebrarentur *patenis vitreis*: Urbanum autem I. *ministeria sacra feciss argentea*: decrevitque idem Concilium, ut calix cum patena, *si non ex auro, omnino ex argento fiat*; si quis autem pauperrimus est, *saltem stanneum calicem habeat*: de ære, aut aurichalco non fiat, *quia ob vini virtutem facit eruginem, pariterque vomituum provocat*; nullus denique Missas *in ligneo, aut vitreo calice* præsumat agere. Vide cap. 44. *Vasa*, & cap. 45. *Ut calix*, de Consecrat dist. 1. necnon cap. 14. *Literas*, de Celebrat. Missarum, in 3. Decretal. Tit. 41. Erant & *Calices ministeriales*, cæteris ampliores, ac pleni vino, in quos refundebat Archidiaconus paululum sanguinis *ad complementum communionis* laicorum. Errant propterea, qui censent factam in hujusmodi calicibus consecrationem atque oblationem. In unum ex his calicibus S. Remigius Remensis Episcopus apud Hincmarum in ejus Vita hos versus inscribi jussit:

Hauriat hinc populus vitam de Sanguine sacro
Injecto, æternus quem fudit vulnere Christus,
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Qui versus mire confirmant sententiam V. Cl. Dominici Georgii in Liturg. Romani Pontif. lib. 1. cap. 3. de usu *Calicis ministerialis*. Quæ de calice diximus, eadem de *patena* dicenda sunt: nam *vitreas patenas* servarunt nobis cæmeteria Calixti, Prætextati, & Priscillæ, & quidem distinctas à communibus; quoniam sacræ angustioris sunt formæ, Christi, & Apostolorum imagines referunt, & carent etiam inscriptione illa profanarum, (cavæ namque erant, & potoriæ) *Vivite*, *Bibite*, aut Græcolatina, *Piete*, *Zesete*. Legendus in Observationibus suis Boldetius Tom. 1. pag. 189. Patenas verò *argenteas*, vel *aureas* commemorant Anastasius in Silvestro, & in Nicolao, Alcuinus Poemate 3. ubi ait: *Sic lata argento constat fabricata patena, &c.* Patena

Debet tam calix, quàm patena ab Episcopo consecrari, ut dixi præcedenti libro cap. 10. de benedictionibus chrismate peragendis. *Corporale* appellatur etiam ab Ecclesiasticis Scriptoribus *palla*, ac *pallium*, *quo sacra munera conteguntur*; sed usus invaluit, ut *palla* dicatur parvum lineumque calicis operimentum: ac revera Meldense Concilium apud Burchardum lib. IV. cap. 13. *pallam* à *corporali* distinguit. Utrumque simul nomen complectuntur Sacramentarium Gregorii, & Ordo Romanus, ubi legitur *Corporalis palla*. De Corporali omnes interpretantur quod legitur apud Anastasium in Silvestro, sacrificium *non in serico, neque in panno tincto, sed tantum in lineo* faciendum esse. In manticula, quam *bursam* vocant, corporalem sindonem recondi ex antiqua consuetudine, infertur ex adinventa in sancti Berini tumulo, filis aureis contexta. Super hanc deferri nequit à Sacerdote linteolum, quo manus terguntur, ex decreto S. Congregat. Rit. 1. Septemb. 1703. Velo calicem in anteriori parte post communionem cooperiendum esse, alio decreto 1. Martii 1698. statuit eadem S. R. C. Quid vero significent calix, patena, & corporale, explicavit Hildebertus Cenomanensis de Myst. Missæ Tom. XXI. Bibl. PP. pag. 163. hisce versibus: Corporale Bursa

Ara crucis, tumulique calix, lapidisque patena,
Sindonis officium candida byssus habet.

Hamu-

Urceoli

Hamularum frequenter meminit Ordo Romanus: hamulasque argenteas legimus apud Anastasium in Silvestro, & in Gregorio IV. sed vitrearum communior usus, & ad vinum distinguendum ab aqua magis aptus. Invenimus *hamulas offertorias* dictas aliquando *gemelliones* ob formæ similitudinem, communiter autem *ampullas*. Extat in carmine de Episcopis Eboracensibus:

Jussit & obryzo non parvi ponderis auro
Ampullâ ut major fieret, quâ vina sacerdos
Funderet in calicem solemnia sacra celebrans.

Campanula

Adhibetur denique in sacrificio *campanula*. Instituisse Gregorium IX. ut hæc pulsaretur, dum *conficitur Corpus Domini*, scribit Auctor Vitæ Gregorii tom. 3. Script. Rer. Italic. pag. 582. cum Spondano ad an. 1239. num. 12. Sed Bona lib 2. cap 13. num. 2. & Mabillonius in Ordinem Romanum cap. 7. demonstrant ex epistola 142. Ivonis Carnotensis, qui obiit anno 1115. atque ex statutis Guilelmi Episcopi Parisiensis, qui floruit eodem fere tempore, consuetudinem illam esse Gregorio vetustiorem. Cæsarius Hesterbacensis apud Lupum de sacris Processs. cap 10. tribuit eandem institutionem Guidoni Cistercienſi, S. Romanæ Eccl. Cardinali, Episcopo Prænestino; & Innocentii III. in Germaniam Legato. Sed hæc accipienda sunt de institutione hujus ritus apud Germanos; nam Innocentius anno tantum 1198. VI. Idus Januarias electus est summus Pontifex.

XIV.

25. Tempus Celebrandi.

Rebus omnibus ad sacrificium paratis, opportunum tempus est attendendum. Persecutionum metu olim peragebantur in nocte fidelium conventus, quos Tertullianus de Corona militis vocat *ante lucanos*; qua voce usus est etiam Cicero describens cœnas Catilinariorum, & compotationes usque ad diluculum. Plinius in Epist. ad Trajanum de Christianis refert, *Quod essent soliti stato die ante lucem convenire*: ac propterea iidem Christiani à gentilibus dicti sunt, ut legitur apud Minucium Felicem in Octavio, *latebrosa & lucifugax natio*. Censebant tamen antiqui fideles celebrandos esse, ubi convenire possent, diurnos cœtus; obiiciebatque idem Tertullianus Valentinianis *nocturnas initiationes*. Peculiari nomine pervigilium agebant, & pernoctabant in solemnibus Paschæ, ut referunt ipse Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 4. & Lactantius lib. VII. cap. 19. Pace itaque Ecclesiis restituta agebantur publicæ Missæ *horâ tertiâ*, *sextâ*, *ac nonâ*; paucis diebus exceptis, in quibus noctu celebrabantur, id est, in Nativitate Domini, Sabbato sancto, in festo S. Joannis Baptistæ, & in collatione sacrorum Ordinum in sabbatis Quatuor temporum. Atque in his quoque servatur nunc dierum aliorum consuetudo, una excepta nocte Dominicæ Nativitatis. Joannes Beleth de Divinis Officiis cap. 10. Micrologus cap. 58. Gerson in Summa Theol. cap. 4. de Euch. rationem afferunt, cur Missa prædictis horis sit celebranda, nimirum quod *horâ tertia* Christus crucifixus fuerit linguis Judæorum; *horâ sextâ* mortis sententiam subierit; & *horâ nonâ* emiserit spiritum. Sed Petrus Paludanus in IV. dist. 3. q. 2. hinc inferebat celebrandam quoque Missam in aurora, quia tunc Principes sacerdotum *concilium fecerunt adversus Jesum*. Peragebatur itaque Missa hora nona diebus jejuniorum ob jejunantium communionem, ut constat ex Concilio Moguntino apud Ivonem p. 4. decret. cap. 35. cæteris diebus ante meridiem; ut fideles sacro peracto domum ad prandendum adirent. Privatæ Missæ *ab ineunte aurorâ usque ad meridiem* sunt peragendæ; ac vesperinas omnino prohibuit an. 1556. S. Pius V. Quod in quibusdam Ecclesiis Venetiarum; & in Cathedrali Veronensi in Vigilia Nativitatis fiant sub noctis initia, est peculiare Apostolicæ Sedis indultum. Regularibus causa itineris; & ex superioris licentia fas est Missam celebrare integra horâ ante diluculum; seu ante primam aeris illustrationem; quæ solet præcedere ortum solis; plus, minus, per horam alteram; ac semihoram. Sed plura de his Thomas-Franciscus Rotarius lib. 1. de Sacram. cap. 2. puncto XI. num. 9.

XV.

26. Quoties una die Celebrandum;

Licet semel tantum in die Missas agere cuilibet sacerdoti, ut decreverunt Alexander II. Honorius III. Innocentius III. capp. *Sufficit*, *Te referente*, *Consuluisti*, de Consecrat. dist. 1. & de Celebrat. Missarum. Ex vetusta tamen consuetudine tres celebrantur in die Nativitatis Domini; idque institutum à Telesphoro, sæculo Ecclesiæ secundo, affirmant Walafridus de Rebus Eccles. cap. 21. cui subscribunt quamplurimi; tametsi epistola Telesphori, unde exscriptum est cap. *Nocte sancta*, cit. dist. 1. de Consecrat. censeatur suppositicia. Morem tamen illum antiquum esse constat ex VIII. Homil. S. Gregorii, quæ incipit, *Quia largiente Domino Missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus*. In privatis quo-

que Oratoriis, ubi in solemnioribus diebus permittitur una Missa in gratiam infirmorum, qui è domo nequeunt egredi, possunt eadem Nativitatis die ex decreto S. Congregat. 20. Januarii 1725. celebrari tres Missæ. In cæteris diebus neque ob viaticum infirmorum, neque in commodum agentium itinera, neque ob celebrationem nuptiarum fas est eidem Sacerdoti iterum Missam peragere, cum hi casus necessitatem absolutam non inferant. Mos est in regno Aragoniæ, quod etiam regna Valentiæ & Catalauniæ complectitur, ut in die Commemorationis omnium defunctorum sacerdotes sæculares duas Missas, Regulares autem tres Missas celebrent: quod alii à Julio III. alii à Paulo III. concessum affirmant. Eandem facultatem petierunt quidam alii ab Apostolica Sede, ut fecit sedente Clemente XI. Archiepiscopus Pragensis; sed res à Consultoribus S. Congregationis Concilii, jussu Pontificis Maximi, revocata ad examen die 4. Martii 1711. passa est supplicationis repulsam. At plura de his Pontificum Decus in Opere de Sacrif. Missæ sect. 2. num. 35.

XVI.

27. De stipendio Missæ.

De stipendio, & eleemosyna pro Missis agendis, dictum est supra: quare ad memoriam tantummodo revocanda sunt statuta quædam saluberrima ad avaritiam coercendam lata, & omnino consona æquitati. Primum est, *Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas etiam pro aliis missis celebrandis susceperint, non possunt eadem Missa utrique obligationi satisfacere.* Alterum, *Est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre.* Tertium, *Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, non potest per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Quartum, *A sacerdotibus tot Missæ absolutè celebrandæ sunt, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerunt; alioqui graviter peccant, & ad restitutionem tenentur.* Atque hæc iisdem verbis constitutionum Romanorum Pontificum, Urbani VIII. Alexandri VII. & Innocentii XII. conscripta sunt. Adde ex decreto Congregat. Cardinalium approbante Paulo V. die 5. Novembris 1605. licitum non esse sacerdoti *anticipate sacrificium applicare pro eo, qui postea daturus est eleemosynam, cum suspensione effectus sacrificii.* Hæc autem, quoniam singulis nota sunt, attigisse sufficiat.

28. Partes Missæ.

XVII.

Reliquum est, ut brevissime percuramus præcipuas Missæ partes, de quibus egerunt prolixe Amalarius, Ivo, Rupertus, Alcuinus, Rabanus, Durandus, Bellarminus, Bona, atque ut prætercam cæteros, sæpe quidem, at nunquam digne laudatus, Supremus Ecclesiæ Rector. Itaque Confessione præmissa recitatur, aut canitur à choro *Introitus* ex vetusta consuetudine, qua ante sacrificium decantabantur Psalmi Davidis; quibus per Horas Canonicas distributis, selecti fuerunt versiculi ad excitandam devotionem idonei: quare *Introitus* à Psalmis non deprompti, dicuntur à pertractantibus de Re Liturgica *irregulares*. Introitu significantur Prophetarum de Christo oracula, Patrum vota, atque ipse Salvatoris adventus: ideoque dum solemniter res divina peragitur, cantari incipit, priusquam sacerdos, typum Christi gerens, accedat ad aram. Cecinit propterea de hujusmodi accessu in Carmine superius citato Turonensis Episcopus Hildebertus: Introitus.

Secreta siquidem procedit ab æde minister,
Ortu secreto venit ad ima Deus.

Sequitur *Kyrie eleison*, non ex institutione S. Gregorii, ut quidam dixerunt, sed ex consuetudine vetustiori, quam ante Gregorium laudat can. 3. Concilium Vasense celebratum anno 529. Græca verba sunt, idem sonantia ac *Domine miserere*. Græcis aliquando verbis utimur, quemadmodum & Hebraicis, ut demonstremus undique collectam Ecclesiam. Etsi definitus olim non erat numerus, & protrahitur etiamnum in Missis Pontificis, donec perdurat reverentia illi à Purpuratis Patribus exhibenda, novies tamen repetitur *Kyrie eleison*, ut à tribus SS. Trinitatis Personis imploretur misericordia *adversus triplicem miseriam ignorantiæ, culpæ, & pœnæ*; quemadmodum docet S. Thomas q. 83. art. 4. Mitto conjecturas alias, quas afferunt Turrecremata in cap. *Jacobus*, de Consecrat. dist. 1. Amalarius lib. IV. cap. 2. & Innocent. III. lib. 2. Myster. Missæ cap. 19. Kyrie Eleison.

Hymnus Angelicus locum habet post *Kyrie eleison*: de quo hymno Hildebertus, Gloria.

Angelicum post hæc sacrifex pater incipit hymnum,
Incæptum complet vociferando chorus:
Incipiens memorat quæ Salvatoris in ortu
Gaudia pastores Angelus edocuit.
Cantica, quæ post hunc Superi cecinere, recenset
Gloria, quam complet vociferando chorus.

Qui-

Quidam hunc hymnum Telesphoro, alii Symmacho, nonnulli Hilario Pictavorum Episcopo tribuerunt. Joannes Stephanus Duranti adscribit Apostolis, quod fere integer extet lib. VII. Constit. Apostolic. cap. 47. infirmissima, ut liquet, ratiocinatio. Nos contenti erimus eruditione Patrum Synodi IV. Toletanæ an. 633. quorum can. 13. hæc sunt verba: *Nam & ille hymnus, quem nato in carne Christo Angeli cecinerunt*, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; *reliqua quæ ibi sequuntur Ecclesiastici Doctores composuerunt*, &c.

Dominus vobiscum. Orationi præmittitur *Dominus vobiscum*, quæ est populi salutatio, & ad proximas preces invitamentum. At Episcopi dicere solent, *Pax vobis*, quod imperite quidam dixerunt repugnare can. 3. Concilii Bracarensis, quod an. 563. statuit, *ne populos aliter Episcopi, aliter presbyteri salutarent.* Verum observarunt viri docti perstringi illo canone Priscillianum contendentem semper ab Episcopo dicendum, *Pax vobis*, & semper à presbytero, *Dominus vobiscum*: unde sequitur in canone, *non sicut Priscilliana pravitas permutavit.* Vide notas Binii ex Garzia Tom. V. Concil. pag. 844. Collect. Labbeanæ.

Orationes, & Epistola, & Graduale. Post *Collectas*, sive orationes recitatur *Epistola*, tum *Graduale*, *Alleluja*, vel *Tractus*: olim quippe in Missis sacrarum literarum lectionem fuisse habitam aperte colligitur ex Justino Apolog. 2. Tertul. Apologetici capite 39. & Auct. Constit. Apostol. lib. 2. cap. 5. Lectori olim demandatum hoc munus; scribunt Micrologus, Durandus, & Martenius: sed legimus canone 4. Concilii Remensis an. 813. *Subdiaconi ministerium esse Apostolum legere.* Animadverto autem ex præcit. cap. 57. Constitut. Apost. ex Pachimere ad cap. 3. Eccles. Hierarchiæ, & ex Gregorio Turonensi lib. 1. de Miraculis S. Martini cap. 6. olim Propheticam lectionem Apostolicæ, seu Paulinæ fuisse præmissam. Illa ergo ad minores clericos, hæc ad Subdiaconum spectat juxta canonem Remensem, & vigentem adhuc consuetudinem, quando lectio præmittitur Liturgiæ. *Graduale* nomen accepit, ex quo caneretur, dum per gradus Diaconus in ambonem lecturus Evangelium conscenderet. *Alleluja*, quæ vox idem sonat, ac *Laudate Deum*, tam laudis signum est, quàm spiritualis exultationis: ideoque jejuniorum tempore prætermittitur, substituto *tractu*, qui juxta Innocentium III. Alcuinum, & Stephanum Eduensem significat *Ecclesiæ gemitum*, inde sortitus nomen, quod *tractim*, & voce graviori canatur. De *Epistola*, *Graduali*, & *Alleluja* hæc Hildebertus:

Lectio, quæ sequitur doctrinam signat eorum,
Qui sunt præmissi Septuaginta duo.
Illorum monitis dum responsoria cantat,
Edocet assensum se tribuisse chorus.
Alleluja *sequens memorat, quæ gloria mentis,*
Quam pia laus oris sit comitata fide.

Evangelium, & reliqua usque ad Canonem. *Evangelium* ex primæva institutione legi in Missa, manifestum est ex Concilio Laodiceno, Carthaginensi IV. Arausicano I. aliisque Ecclesiasticis monimentis collectis à Cardinali Bona lib. 2. cap. 7. Ivo, Micrologus, Alcuinus, & alii observarunt legi Evangelium *in sinistra, & aquilonem versus*, ad commonitiandum, quod lux Evangelii illuxerit gentibus, frustra diabolo contranitente. De *Symbolo*, & illius traditione facta Catechumenis dictum est alibi: item de oblationibus, & de aqua vino admiscenda, hoc ipso in libro pag. 194. 215. 346. &c. *Præfatio*, quæ dicitur quoque *Immolatio*, & *Contestatio Missæ*, & qua populi affectus excitatur, ac deposcitur, ut humanæ vocis supplicatio uniatur laudibus supernarum Virtutum, commendatur à Cypriano in libro de Oratione, ab Augustino in Epistolis ad Dardanum, ad Honoratum, ad Probam, à Milevitano Concilio, atque à Cyrillo Jerosolymitano, Anastasio Sinaitâ, & Chrysostomo, adeo, ut ipsius *Præfationis* antiquitas, & auctoritas nequeat ab ullo sanæ mentis in dubium verti. Præfationi annectitur τρισάγιον, sive hymnus, quem Græci ἐπινίκιον, id est, *Triumphale carmen* appellant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* Hymnum hunc Deo convenire demonstrant sacræ literæ, Isaiæ VI. 3. & Apocalypsis IV. 8. eodemque hymno distinctionem Trinitatis, & Divinitatis unitatem prædicari docet Ambrosius lib. 3. de Spiritu S. cap. 18. Idem asseruit Hildebertus his versibus:

Ter positum Sanctus *Trinum notat esse;*
sed Unum
Declamat Dominus, *atque* Deus Sabaoth.

Canon. *Canon* secundum vocis significationem sonat idem ac *Regula*, & complectitur ritum, regulamque sacrificii peragendi; unde & *Actio* per antonomasiam appellatur, ut dictum est supra, necnon *Legitimum* ab Optato lib. 2. adversus Parmenianum, atque à Concilio Eboracensi *Secretum Missæ*. Disertissimè de

de Auctore *Canonis* pertractant Joannes Stephanus Duranti lib. 2. cap. 39. Menardus in Sacrament. Gregorii, & Bona lib. 2. cap. 11. Institutum *multis ante sæculis* docet sess. XXII. cap. 4. synodus Tridentina: idque evincitur ex quo in illo antiqui tantum Martyres commemorentur; ex quo permulta *Canonis* verba legantur lib. IV. de Sacramentis inter Opera Ambrosii, ex quo denique contineatur idem Canon in Antiquo Ordine Romano, atque explicetur ab Alcuino, & Amalario, qui floruerunt Caroli Magni temporibus. Recitandum *Canonem* submissa voce non una suadet ratio: siquidem sacra mysteria servare in occulto dignitatem suam scribit S. Basilius de Spiritu S. cap. 27. atque idem confirmant quæ diximus pag. 155. & 175. Christus quoque offerens semetipsum in Cruce oravit in silentio, septem verbis, vel sententiis exceptis, alta voce juxta Evangelistarum narrationem prolatis.

Pater noster. *Orationem Dominicam* habent in Liturgiis suis omnes Christianorum populorum nationes, illamque ex Christi, & Apostolorum institutione quotidie recitari *in sacrificio Dominici corporis* affirmat lib. 3. adversus Pelagianos splendidissimum Ecclesiæ Lumen Hieronymus. De hac vero oratione plura scripsimus libro XXIII. cap. 13. Perantiquam esse *fractionem hostiæ* constat ex Clem. Alexandrino libro 1. Stromatum, Gregorio Nazianzeno epist. 240. ad Amphilochium, Chrysostomo hom. 24. in priorem Epistolam ad Corinthios, ac S. P. Augustino epist. 59. nunc 149. ad Paulinum. Varias trium *hostiæ* partium significationes recenset lib. IV. *Rationalis* Durandus: ac de iis agit etiam S. Thomas quæst. 83. art. 5. & in eundem articulum Sylvius. Proferemus eam tantummodo, quæ exprimitur pervulgato metro:

Tres partes factæ de Christi Corpore signant,
Prima suam carnem, sanctosque secunda sepultos,
Tertia viventes: hæc est in Sanguine tincta.

Agnus Dei &c. Ut in Missis *tempore confractionis Dominici corporis* dicatur, *Agnus Dei &c.* statuisse fertur Sergius I. ad Pontificatum evectus an. 687. sed apud Græcos id prius obtinuisse ostendunt antiquæ ipsorum Liturgiæ. Ea tamen verba, *Dona nobis pacem*, addita fuisse posterioribus temporibus ad schismata Ecclesiæ tollenda, auctor est Innoc. III. lib. V. de Myst. Missæ cap. 6. Desiderari in antiquis Missalibus, nec recitari in Basilica Lateranensi, in qua tertio repetitur juxta antiquam consuetudinem, *Miserere nobis*, scribit lib. 2. cap. 16. num. 5. Eminentissimus Bona. Cæsar Rasponus lib. 1. *de Basilica Lateranen.*. cap. 2. scribit in eadem Basilica non addi, *Dona nobis pacem*, sed congeminari illud, *Miserere nobis, quia videlicet in cælesti Ecclesia, cujus typum hæc gerit, sempiterna pax nunquam non invenitur.* Idem ex Paulo Diacono de eadem Basilica cap. 6. refert Martenius: etsi in Ecclesia Sanctorum neque culpa, neque calamitas est ulla; cujus causa illud *Miserere nobis* ingeminetur. De communione, collectis, ac dimissione populi, quoniam egimus in superioribus dissertationibus, supervacaneum foret iterum pertractare. Hæc ergo sunt, quæ conscripsimus de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento; cumque nihil eo dignius possimus offerre Deo, sive in gratiarum actionem, si quid recte diximus, sive in expiationem inertiæ, & ignorantiæ nostræ, si forte in multis erravimus, finem imponemus libro tricesimo tertio verbis Alcimi Aviti in Poemate *de transitu Maris rubri*, prout extant tom. VIII. Bibliothecæ Patrum, editæ per Margarinum De la Bigne pag. 614.

Ergo agnosce tuum in nobis rex Christe cruorem,
Atque tuos educ Aegypti è carcere servos;
Et quocunque loco sanctus mactaberis Agnus,
Inque cibos sanctum porrexerit hostia corpus
Christe tuum, non attingat tua dextera vindex.
Præterea veterem exutos formamque, virumque,
In vitæ novitate tuum fac sumere corpus,
Et sacrum æterni calicis potare cruorem.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER TRIGESIMUS QUARTUS,

In quo agitur de Sacramento Pœnitentiæ, & de actibus, qui in pœnitente ad ejusdem Sacramenti integritatem requiruntur, nempe Contritione, Confessione, & Satisfactione.

Ingressus.

EXORNANTI mihi Volumen hoc septimum, & magna alacritate ipsi conscribendo operam impendenti, propterea quod agnoscerem haud longe abesse illius exitum, atque majori ex parte perfectum esset, compressit primùm ac fregit, deinde excitavit & vehementius incendit animum magnitudo adversarum rerum, quibus vexabatur Italia nostra, inter regiones orbis universas pulcherrima, ac florentissima. Etsi enim in illa Urbe consisto, quæ caput est cæterarum, & in qua floret religio, pax regnat, nec auditur armorum fragor, moderante rempublicam Pontifice Glorioſissimo; ad aures tamen meas interdum pervenerunt dispersi ac sinistri rumores, quibus aliquando nunciatum est amica oppida ingenti terræ motu concussa; tum Messanam vetustissimam, munitissimamque Siciliæ Urbem, non absque magna finitimarum gentium formidine, oppressam pestifera contagione; affici insuper incommodis plurimis propter exundantes exterorum militum copias, provincias, atque civitates opulentissimas: quæ sane narratio, addita supremi Pastoris solicitudine, supplicationum frequentia, arctiori viarum custodia, necnon populari loquacitate, quamquam ut plurimum ineptiarum atque mendaciorum plenissima, me ipsum haud mediocriter commovebat. Interea temporis qui appellantur philosophi, & qui amant existimari politici, causam hujusmodi eventuum investigantes, animum meum ita affectum exacerbare potius videbantur, quàm recreare: dum illi in disputationem traherent, afferantne pestilentiæ illuvionem occulti quidam spiritus præsentissimo infecti veneno, an vero pertenues vermiculi mercibus peregrinis inclusi, qui prolis mortiferæ fœcundissimi, illinc erumpentes pervadant, inficiantque viventium corpora; ac præterea disceptarent, sitne causa effectrix motus & hiatus telluris impetus exhalationum, an conjectus aer, an ignis, an copia nitri vel sulphuris: isti autem, qui nempe dicuntur politici, introirent Regum penetralia, divinarent consilia procerum, dirigerent stationes militum, ac sæpe inter rerum gestarum ephemerides roderent inviolabilem Principum majestatem. Verum quidquid otiosi homines fabulentur; Auctor & Gubernator universorum, quemadmodum testantur divina eloquia, *respicit terram, & facit eam tremere; mortificat, & vivificat; mittit bellum, & creat pacem; & armat creaturam ad ultionem inimicorum.* Quamobrem illud summopere attendendum est, præcipuam causam irruentium in nos malorum esse iniquitatum nostrarum gravitatem & multitudinem, atque Deum Optimum, Maximum exercere nobiscum rectissimi Judicis severitatem, quoniam offendimus amantissimi Patris misericordiam, & abutimur clementissimi Domini pati-

patientia. Dum hæc itaque animadverterem, & me occuparent timor mei, & aliorum commiseratio; Quid vero, dixi, deliberandum in hoc rerum discrimine, quid exequendum? Piissimus Dominus, ut Tridentini Patres ajebant, cognoscens figmentum nostrum, *illis etiam vitæ remedium contulit, qui se in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet* Pœnitentiæ, *quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur.* Profectò, si deleantur hoc Sacramento peccata, avertetur supremi Judicis indignatio, ipsomet per os unius Prophetarum clamante: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Atque hæc, humanissime Lector, animum meum paulo ante languidum ac torpentem impellunt rursus & incitant ad scribendum; maxime quod Opus à me susceptum ad pertractandum de ipso Pœnitentiæ Sacramento, DEO adjuvante, processerit. Quoniam tamen Volumen istud prope ad aliorum molem accedit, nimiumque excresceret, si in eo comprehenderentur quæcunque de Pœnitentia dicenda sunt; ubi pertractavero de priore illius parte, nimirum, de Contritione, finem imponam, reliqua tomo altero prosecuturus. Neque enim vereor, quin interim cessent Dei flagella, & cæteri etiam pœnitentium actus protinus consequantur; si præcesserit vera detestatio peccatorum, & salutaris contritio.

CAPUT I.

Quæ de Pœnitentia, ut virtus est, solent huic dissertationi præmittere Disputatores Scholastici.

SUMMARIUM.

1. Nomenclatura Pœnitentiæ Latina.
2. Græca.
3. Definitio.
4. Infundatè ab hæreticis impugnata
5. Pœnitentia est vera virtus.
6. Etiamsi ex timore pœnæ &c. concipiatur.
7. Est virtus infusa.
8. Non dissentit Scriptura.
9. Differentia Pœnitentiæ quà virtutis, & quà Sacramenti.

1. Nomenclatura Pœnitentiæ Latinæ

NON una *Pœnitentiæ* vocabulo subest significatio. Grammatici enim *Pœnitentiæ* nomine intelligunt ipsum pœnitendi actum, quo aliquem facti pœnitet, sive quo aliquis dolet ob factum noxium, vel occasionis prætermissionem, quacunque ex causa hujusmodi dolor concipiatur. A *pœna* originem habet suam, à qua verbum *pœnitet;* quamvis Isidorus nomen derivet etiam à *punio*, quoniam *homo pœnitendo punit quod male admisit*; Pierius verò, adstipulante Erasmo, velit pœnitentiam dici, quod *ponè teneat.* Utimur autem *pœnitentiæ* vocabulo, cum ea, quæ consilio & voluntate facta sunt, incipiunt displicere; tametsi antiquis *pœnitere* interdum idem fuerit, ac *parum videri*, prout observat Donatus in illud Terentii Eunuch. Act. v. sc. 7. *An pœnitebat flagitii, te auctore, quod fecisset.* Verum Theologi Pœnitentiæ nomine tria præsertim significant, nempe intimum doloris sensum ob perpetratum aliquod crimen, cum vitæ malè actæ expiatione & vindicta; quæ modo fiat in compensationem injuriæ DEO illatæ, constituit peculiarem virtutem: externum, sacrumque ritum, quo per ministerium clavium dimittuntur peccata; & hæc Pœnitentia est *Sacramentum*, de quo sumus disceptaturi: pœnam denique ipsam, vindictam scelerum, & injunctam resipiscentibus satisfactionem.

2. Græca.

Habent & Græci voces suas ad exprimendum id, quod Latini significant nomine Pœnitentiæ, Μετάνοιαν, *Metanœam*, Ἐξομολόγησιν, *Exomologesim*, & Ἐπιτίμιον, *Epitimion*. Μετανοια idem sonat, ac *Resipiscentia;* nam est à μετανοέω, *ad mentem redeo:* atque Pœnitentiæ, ut virtus est, egregie nomen istud accomodatur. *Exomologesis* idem significat ac Latine *Confessio*, & est à verbo ἐξομολογέομαι, *Confiteor:* quare hoc nomen, licet aliquando designet reconciliationem Pœnitentium, omnesque ipsorum actus, maxime in Epistolis Cyprianicis, & apud Tertullianum; propriè tamen commostrat *Confessionem Sacramentalem.* Ἐπιτίμιον denique idem est, ac *pœna*, seu *multa* peccatis debita;

bita; derivatque ab ἐπιτιμάω, sive ἐπιτιμῶμαι, *interminor*, vel *reprehendo:* ideoque aptissimum est hoc postremum vocabulum ad significandum supplicium, & subeundam peccati animadversionem

3. Definitio.

Pœnitentiæ itaque priori significatione spectata, nihil est aliud, quam *Virtus, qua commissa à nobis scelera detestamur, ac præmissa certa firmaque deliberatione pravas consuetudines & corruptos mores emendandi, eadem scelera sponte vindicamus, in compensationem injuriæ Deo illatæ.* Hæretici, qui negant opus esse, ut perpetrata scelera compensentur digna aliqua satisfactione, propterea quod autument impium justificari sola in Christum fiducia; contendunt etiam nihil aliud requiri ad veram pœnitentiam constituendam, præter melioris vitæ propositum, ac rectius proinde appellati *resipiscentiam* quam *Pœnitentiam*, cum hoc nomine importetur pœna aliqua, vel inflicta, vel sponte suscepta. Urgent quidam Recentiores ad hæreticos refellendos præmissum Græcum vocabulum μετάνοιαν, eo quod μετανοεῖν idem sonet, ac *scelerum pœnas exigere*, productis versibus Ausonii ex Epigrammate XII. *in simulacrum Occasionis, & Pœnitentiæ.*

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas:
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa *vocor.*

4. Ab Hæreticis infundatè impugnata.

Sed infirmum est argumentum petitum à sola nominis Græci etymologia; cum revera μετανοεῖν sit idem ac *resipiscere, recedere à priori sententia*, atque proprie, ut diximus, *redire ad mentem.* quod tamen minime juvat hæreticos; siquidem sese convertere, & ad sanam mentem redire, unde *Metanœa* nomen habet, est pœnitentium prior actus, quem consequuntur patratorum scelerum dolor, & vindicatio: imo & his, cæterisque pœnitentium operibus ipsum *Metanœæ* nomen tribuitur; unde & corporis inflexiones, aliaque mortificationis genera *Metanœæ* dici solent, sed per synecdochen. Ita Theodoretus narrat nonnullos in Simeone Stylita numerasse 244. *Metanœas*, & S. Petrus Damiani refert Monachos fecisse pro uno fratre defuncto *Metanœas septingentas.* Verum de his legendi Novarinus, Suicerus, Morinus, & Dumortierius.

Falsa hæreticorum opinio refutatur apertissimis Scripturarum sanctarum testimoniis, quæ pœnitentiam non solum per melioris vitæ propositum, verum etiam per culpæ detestationem, amaritudinem animi, criminumque punitionem describunt. Atque ut nonnulla ex multis producam, Isaias cap. XXXVIII. 15. inquit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Joel II. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra.* Lucas 3. 8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Huc spectant pœnitentium opera, quæ sacri libri commendant, gemitus Davidis, jejunia & sordidatæ vestes Ninivitarum, lacrymæ à muliere peccatrice profusæ, humiliatio Publicani pectus tundentis, ac Petri post trinam negationem amarus fletus. Docent similia Ecclesiæ Patres: inter quos Nazianzenus Orat. XXXIX. in Sancta Lumina Pœnitentiam appellat τὸ τῶν δακρύων βάπτισμα, *Lachrymarum Baptismum*; & S. P. Augustinus epist. 153. num. 14. ad Macedonium, inquit: *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod mali fecit, impunitum esse non sinat.* Verum de his plura ubi de contritione, & satisfactione pertractabitur.

5. Pœnitentia est vera Virtus.

Certum insuper est hanc Pœnitentiam esse veram propriamque virtutem, quemadmodum docent omnes Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 85. art. 1. Etenim pœnitentia nobis à divina lege præcipitur, juxta illud Matth. III. 2. & Act. III. 19. *Pœnitentiam agite: Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* At lex divina, cum sancta sit & immaculata, præscribit duntaxat actus virtutum. Deinde virtus definitur eo loci à S. Thoma *habitus electivus secundum rectam rationem.* Quid autem magis rationi consentaneum, quam detestari peccata, de iis dolere eo modo, quo dolendum est, propositam intentionem habere ea vitandi, & pro virium nostrarum modulo exhibendi summo Deo debitam satisfactionem? Pertinet ergo Pœnitentia ad veram propriamque virtutem, & quidem juxta Doctorem Angelicum art. 3. ejusdem quæstionis ad Justitiam, quatenus hæc inter Deum & creaturam locum habet: quamquam sunt, qui distinguendam putant rationem, quæ ad pœnitentiam ipsam trahit, adeo, ut si concipiatur pœnitentia ob offensam Dei summopere diligendi, spectet ad charitatem, & si oriatur ex injuria Deo illata, quam compensare satagat, ad justitiam: quod minime D. Thomæ repugnat.

6. Etiam ea, quæ ex timore pœnæ concipitur.

Quid verò dicendum de Pœnitentia, quam in nobis excitat timor gehennæ, ac turpitudo peccati? Illam proculdubio inter veras virtutes con-

numerare debemus. Quamquam enim volumine quarto pag. 130. à nobis tradita est definitio illa virtutis, *Virtus est ordo amoris*, quæ utique definitio Augustiniana est, Augustini verbis contexta, & Augustinianæ doctrinæ munimentis firmata; non tamen inde inferre quis potest, denegari à nobis veras, propriasque virtutes à charitate distinctas. In eodem quippe volumine IV. eodemque capite testati sumus *dari plures virtutum supernaturalium habitus absque charitate*, quod iterum asseruimus libro XXIII. cap. 10. commostrantes veram ac supernaturalem fidem remanere in homine impio, ac rursus cap. 12. ubi adversus Novatores ostendimus timorem servilem esse bonum ac supernaturalem, atque inter dona Dei annumerandum, neque in eo inveniri aliquid vitii, quod *eidem timori* sit adscribendum, Affirmavimus itaque, iterumque profitemur, & cuique forte hæc legenti declaramus, eo sensu à nobis virtutem locari *in ordine amoris*, quoniam etsi *absque charitate* virtutes sunt plurimæ, eæque actus suos bonos exerunt; debet nihilominus charitas iisdem virtutibus dare *formam*, ac perfectionem, illas *ad finem suum dirigendo*, ne inflatæ sint, aut recto ordine destitutæ; quemadmodum virtutes *morales* juxta ea, quæ scripsimus lib. XVIII. cap. 3. non debent deflectere ab incommutabili regula nobis indita. Hoc autem iisdem, aut consimilibus verbis in ipso IV. volum. pag. 132. 309. & 315. aliisque in locis absque ulla ambiguitate tradidimus. Idem ergo, eodemque sensu nunc affirmamus de Pœnitentia: quæ prout oritur ex Dei amore, & detestatur peccatum huic amori contrarium, attinet *ad charitatem*, & ab illa elicitur, atque emanat; prout verò proficiscitur ex timore, aut ex ratione alia supernaturali, ad rationem ipsam redigitur; constituitque etiam *specialem virtutem*, quatenus in id incumbit & nititur, ut deleantur peccata præterita, & injuria illuta Deo compensetur. Sed undevis oriatur, & cujusvis generis virtus sit; ut habeat virtutis *formam* & complementum, ac sit recta undequaque, id est, non tantum in se spectata, verum etiam ex parte ejus, quem pœnitet, debet à charitate dirigi in finem suum. Hæc eadem est expressa doctrina S. Thomæ cit. quæst. 85. art. 2. ubi ait: *A charitate derivatur aliquis actus dupliciter. Uno modo, sicut ab eo elicitus: & talis actus virtuosus non requirit aliam virtutem præter charitatem, sicut diligere bonum, gaudere de eo, & tristari de oppositio. Alio modo aliquis actus à charitate procedit, quasi à charitate imperatus; & sic quia ipsa imperat omnibus virtutibus utpote ordinans eas ad finem suum, actus à charitate procedens potest etiam ad aliam specialem virtutem pertinere. Si ergo in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediate ad charitatem pertinet, sicut & gaudere de bonis præteritis: sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub charitate.*

Indubitatum quoque est Pœnitentiam esse virtutem *infusam*, & ex genere earum, quæ supernaturali adjutorio Spiritus sancti inspirantur, tametsi ex parte nostri requirat motus arbitrii, at dispositiones fidei, timoris, spei, ac dilectionis non absque gratia præveniente à nobis præmittendas, ut consequamur justificationem; quemadmodum sess. VI. cap. 5. & 6. docet sacrosancta Synodus Tridentina, atque nos itidem scripsimus lib. XIX. cap. 4. Perspicuè pœnitentiam ex Deo esse tradit divina Scriptura, cujus hæc sunt verba: *Converte nos Deus salutaris noster, Converte me & convertar, Postquam convertisti me, egi pœnitentiam, Gentibus pœnitentiam dedit Deus*, Psal. 84. 5. Jerem. XXXI. 18. Act. XI. 18. Idem commonstrant orationes Ecclesiæ, quibus Deum gratiarum omnium largitorem precamur, *ut errantium corda resipiscant, ut peccata nostra plangere valeamus, ut ad veram pœnitentiam nos perducere dignetur.* Hoc denique definit præcitata sess. VI. can. 3. Synodus Tridentina, confirmatque quidquid de necessitate gratiæ ad omnia opera salutaria contra Pelagianam, & Semipelagianam hæresim disputavimus. 7. Est virtus infusa.

His nequaquam adversantur, quæ Zach. I. 3. leguntur: *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum; & convertar ad vos;* quo loco abutebantur etiam Pelagiani apud Augustinum lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. V. Ibi enim num. 10. hæc reponit invictissimus Gratiæ Dei propugnator: *Talia ergo de scripturis colligunt: quale est hoc unum, quod paulo ante dixi*, Convertimini ad me, & convertar ad vos, *ut secundum meritum conversionis nostræ ad Deum, detur gratia ejus, in qua ad nos & ipse convertitur. Nec attendunt qui hoc sentiunt, quia nisi donum Dei esset ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur*, Deus virtutum converte nos: &, Deus tu convertens vivificabis nos; &, Converte nos Deus sanitatum nostrarum; 8. Non dissentit Scriptura.

&

& hujusmodi alia, quæ commemorare longum est. Præcitatis itaque Zachariæ verbis admonemur duntaxat *libertatis nostræ*, quam aliis posterioribus verbis ab Augustino productis confitemur *gratia Dei præveniri*; ut prælaudato capite 5. sess. VI. pariter docuit Synodus Oecumenica.

9. Differentia Pœnitentiæ quà virtutis & quà Sacramenti.

Multæ quidem instituuntur de virtute Pœnitentiæ quæstiones, inter quas præcipuæ sunt, quæ versantur circa ipsius pœnitentiæ necessitatem, circa remissionem peccatorum, & circa vim, qua bona opera reviviscunt. Sed quoniam hujusmodi quæstiones variis hujus libri capitibus sunt inserendæ; hoc unum in præsentia addam, quomodo Pœnitentia quæ est virtus, à Pœnitentia, quæ Sacramentum est, distinguatur. Igitur virtus Pœnitentiæ est dolor ac detestatio peccatorum, de qua modo diximus, sita in actibus & operibus Pœnitentium, & quovis tempore hominibus, qui se mortali peccato inquinaverunt, ad obtinendam justificationem necessaria. *Pœnitentia* autem accepta secundo modo, *est Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, quo fidelibus post baptismum lapsis vere pœnitentibus & confessis vi clavium, & potestatis Ecclesiæ absolutio Sacerdotalis impenditur.* Ex qua definitione obvia, & pervulgata apparet discrimen, de quo nunc agitur. Enimvero virtus pœnitentiæ tota ex parte pœnitentis se tenet; at Pœnitentiæ Sacramentum exigit præterea Sacerdotis judiciaria potestate præditi absolutionem. Pœnitentiæ virtus est Sacramenti hujus pars & materia, ut infra explicabitur. Illa inquit S. Thomas q. 89. art. 1. est gratiæ prævenientis *effectus*; istud vero *causa* effectrix gratiæ sanctificantis. Hæc autem omnia ex proximis disquisitionibus perspicua fient.

CAPUT II.

Demonstratur adversus hæreticos Pœnitentiam esse verum Sacramentum à Christo institutum.

SUMMARIUM.

1. Quid circa hoc hæretici antiqui?
2. Quid recentiores.
3. Puncta disputanda.
4. Pœnitentia est verum N. L. Sacramentum. Probatur ex Scriptura.
5. Patribus.
6. Perpetuo Ecclesiarum consensu.
7. Objectiones hæreticorum
8. Solvuntur.
9. Differentia Pœnitentiæ à Baptismo ostenditur primò.
10. Secundò.
11. Quæ opponunt Sectarii.
12. Solvuntur.
13. Nova instantia
14. Confutatur.
15. Opponitur ultimò.
16. Sed respondetur.
17. Quando institutum Pœnitentiæ Sacramentum.
18. Qualis necessitas.

1. Quid circa hoc Hæretici antiqui?

Inter Hæreticos, qui primùm negarunt Sacramentum Pœnitentiæ cum Bellarmino lib. 1. cap. 9. tum Doctores Scholastici recensent Montanistas, & Novatianos. Gaspar Juenin, Le-Droint, ac recentiorum alii sentiunt ab hoc errore hæreticos istos fuisse immunes, atque in eo tantum erasse. quod crederent aliqua solùm, sed non omnia peccata posse Ecclesiæ potestate remitti, Ac de Montanistis hoc videtur asserere Tertullianus, qui de pudicitia cap. 2. ait mundari delicta, *quæ quis in fratrem, non in Deum admiserit*; atque cap. 19. distinguit inter *peccata graviora & exitiosa, quæ veniam non capiunt*, ut homicidium, idololatriam, fornicationem, blasphemiam, & inter alia peccata leviora, quæ appellat *quotidianæ incursionis*, ut iracundiam, detractionem, & prolatum temere juramentum. Atque istorum peccatorum veniam concedi Tertullianus addictus Montanistis existimat. De Novatianis etiam scribit S. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 3. num. 10. *Sed ajunt se exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus.* Cæterum S. Epiphanius hæresi 59. num. 1. ait Novatum affirmasse eum, *qui post baptismum delinqueret*, nullam posse consequi misericordiam, quod & affirmat S. Philastrius hæresi 82. & apud Photium Cod. 182. S. Eulogius Episcopus Alexandrinus, atque ipsemet Ambrosius, præced. cap. 2. num. 5. ubi ait Novatianos *Stoicorum quodam more omnia peccata paribus æstimasse mensuris, & æque eum, qui gallum, ut ajunt; gallinaceum, atque illum, qui patrem suffocaverit perpetuo cœlestibus abdicandos*

mysteriis, quod merito quidem Ambrosius connumerat inter Stoicorum errores, quos & Venusinus Poeta Satyra 3. lib. 1. retellit dicens:

Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet, idemque
Qui teneros cauleis alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Divum sacra legerit. Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas.

Idem de Novato, ac de Montano literis consignavit S. Hieronymus, affirmans ab iis *errantibus manum non porrigi, præcipitari jacentes in barathrum ne leventur, ad omne pene delictum observari fores Ecclesiæ*: quæ Hieronymus tradit epist. 27. ad Marcellum pag. 65. ad Pammachium 307. & ad Oceanum 659. edit. Martianæi. Etsi autem reprehendat memoratus Jueninus quæst. 1. cap. 1. de Pœnit. eximios hos Patres nequaquam Novatianorum mentem & systema fuisse assecutos, confidenter tamen, ac irreverenter hæc dicta sunt; cum facile possint omnia revocari ad concordiam, si dicamus tam Montanistas, quam Novatianos, cum æqualitatem illam criminum nimis odiosam esse cognoscerent, ab ea postmodum recessisse. Atque id aperte affirmat S. Ambrosius post verba nuper producta, *Sed ajunt se exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus*, immediate subjiciens: *Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatianus, qui nemini dandam pœnitentiam putavit.* Ex quibus apparet falli recentiorum plerosque, qui censent neminem ante sæculum XVI. bellum sacramento Pœnitentiæ indixisse. De Valdensibus, Wiclefistis, & Hussitis subscribendum omnino est doctissimo Meldensium Episcopo, qui in Hist. Variat. lib. XI. num. 104. & 165. docet ab his hæreticis nunquam Sacramentum istud fuisse negatum, cum in hoc tamen pessime sentirent, quod vellent sacerdotes improbos tanquam ad laicorum ordinem redactos carere potestate tam absolvendi, quam administrandi reliqua sacramenta. In hoc autem hæreticos istos erasse, & non in dispungenda Pœnitentia ex albo Sacramentorum, recte observarunt prælaudatus Juenin Concl. 3. Tournelius pag. 12. Witassius 6. Le Droint 21. quod ex Concilio Constantiensi, Thoma Valdensi, Raynero, atque ex ipso Wiclefi Trialogo, Bossuetius primum, deinde hi, cæteriq; Theologi demonstrarunt.

2. Quid Recentiores.

At pertinaciter sacramentum Pœnitentiæ denegarunt posteriorum hæreticorum permulti. Principem hos inter locum tenet Zuvinglius, qui in libro de vera & falsa Religigione cap. de Sacramentis negat his Pœnitentiam annumerandam. Calvinus lib. IV. Institut. cap. 19. num. 17. contendit Pœnitentiam non esse sacramentum à baptismo distinctum, & nos, quocunque baptizemur tempore, in omnem vitam ablui & purgari, ita, ut si post baptismum lapsi fuerimus, repetenda sit baptismi memoria, & hac armandus animus, ut de peccatorum remissione semper sit certus atque securus. Kemnitius in Examine Concilii Trid. ad can. 1. de Pœnit. Matthias Illyricus, Wigandus, aliique plurimi absolute duo tantum sacramenta recipiunt, Baptismum, & Eucharistiam. Lutherus, & Melanchthon videntur alicubi Pœnitentiam accensere sacramentis, alicubi ab horum numero illam expungere: sed sive admittant, sive non, negant absolutionem sacerdotis esse actum judicialem, quo remittantur peccata, autumantes esse illam pronuntiationem quamdam, & declarationem extrinsecam, qua absolutus excitatur ad fidem, & credens à Deo remissa sibi peccata, arripit hac ab omnibus fere Novatoribus jactata fiducia commentitiam illam justificationem, sitam in sola imputatione justitiæ Christi. Illiduntur eidem scopulo qui Confessionem sectantur Augustanam: in qua licet art. XI. admittatur peccatorum confessio; sacrilege tamen definitur pœnitenti necessariam non esse delictorum enumerationem, modò *ex Evangelio, seu absolutione* (animadvertas, quæso, qua fraude absolutionem appellitent Evangelium) *credat propter Christum remitti peccata.*

3. Puncta disputanda.

Plura itaque, ut undequaque refutentur hæreses execrandæ, à nobis in disputationem trahenda sunt: Primum, an sit aliquod Sacramentum, in quo judiciaria Sacerdotum potestate lapsi post baptismum Deo reconcilientur: alterum, an hoc Sacramentum sit aliud præter baptismi reminiscentiam: tertium, an per illud remitti possint peccata omnia, quantumvis gravia, & detestabilia: proximum, an pœnitentibus necessum sit in confessione singula enumerare delicta: postremum, an sacerdotes absolventes remittant peccata, an verò tantum pronuntient & declarent esse remissa. Sed quoniam ex his varia pertinent ad varias hujus libri partes; expediam nunc duo priori loco recensita, demonstrans Pœnitentiam verum sacramentum esse, & à baptismo distinctum, nonnulla addens de hujus Sacramenti institutione, atque necessitate, quæ sunt primi hujus capitis consectaria, de reliquis opportuniori loco dicturus.

Prop. I.

4. Poenitentia est verum N. L. Sacramentum.

P. ex Scriptura.

Prop. I. Pœnitentia est verum ac proprium novæ legis Sacramentum, quo judiciaria sacerdotum potestate remittuntur peccata.

Sit prior hujus dogmatis demonstratio ex scripturis. Christus contulit sacerdotibus facultatem remittendi peccata eorum, qui ad Ecclesiæ claves confugiunt. Atqui id sacerdotes præstant per veri propriique nominis Sacramentum, quod appellamus Pœnitentiam. Hæc itaque sacramentum verum ac proprium est. Datam potestatem illam à Christo; perspicuè commonstrant quæ leguntur Matth. XVI. 19. ubi inter alias Petri prærogativas hæc habetur, *Quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram erit solutum & in cœlis.* Quæ prærogativa tametsi competat peculiari titulo supremo Ecclesiæ Rectori ob jurisdictionis maximam, plenissimamque amplitudinem, collata est etiam cæteris Apostolis Joannis XX. 21. quando illis Dominus inquit, *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex collatione autem hujusmodi potestatis consequi Pœnitentiam esse verum sacramentum, sic demonstro. Ad Sacramentum constituendum requiritur, quod sit à Deo institutum, quod externo aliquo symbolo sanctificantem gratiam significet, & quod hanc efficienter producat: quamquam hoc postremum hæretici prætracte ac temere denegent. At in præcitatis Evangelicis testimoniis expressam habes divinam institutionem. Hinc etiam eruitur externus ritus, & gratiæ symbolum; siquidem, si sacerdos solvere velit peccata sua confitentem, opus est, ut judicium proferat, & exteriori signo appareat, quibus juxta collatam sibi auctoritatem dimittat crimina, quibus autem retineat: præterquam quod exhibet etiam *signum rei sacræ* tum pœnitens, qui provolutus ad confessarii pedes, & factus accusator sui commonstrat se à viis pessimis avertisse; tum sacerdos, qui absolutionem impendens ostendit quomodo exerceat factam sibi à Domino potestatem. Atque inde etiam sequitur *collatio gratiæ*, sine qua, ut demonstravimus agentes de justificatione impiorum, neque abstergimur à maculis peccatorum, neque renovamur Spiritu sancto, neque induimus novum hominem, *qui in justitia & sanctitate creatus est.* Hinc Concilium Tridentinum sess. XIV. cap. 1. ait: *Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles, post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit.*

5. Patribus.

Tridentinæ Synodi postrema verba insinuant nobis alteram propositionis probationem, ex Patrum consensione petitam. Sed cum plura ex libris Patrum producenda sint ubi de ipsa peccatorum confessione, & de absolutione sacerdotis data opera pertractabitur; aliqua nunc tantum sunt recensenda. Tertullianus de Pœnit. cap. 7. sermonem instituens de peccatis post baptismum patratis, ait: *Hæc igitur venena prævidens Deus collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat:* & proximo cap. 9. eandem pœnitentiam describens, ne quis forte putet loqui Tertullianum de sola impiorum resipiscentia, subjicit: *Hujus pœnitentiæ secundæ, quanto in arto negotium est, tanto operosior probatio est; ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur.* Transit deinde ad *exomologesim*, & delictorum manifestationem, de qua alibi. S. Cyprianus in libro de Lapsis pag. 383. commendat, & apud Deum gratam esse testatur *Remissionem factam per sacerdotes.* Epist. 54. quæ Synodica est, hæc ad Cornelium pag. 171. scripsit: *Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia Ecclesiam pulsantibus claudi; & dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes sine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur, quando permiserit ille qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in cœlis ligata essent, solvi autem possent illic, quæ prius in Ecclesia solverentur.* Idem Cyprianus Epist. 67. pag. 247. queritur à Marciano Arelatensi pacem & communionem denegatam fuisse *servis Dei pœnitentibus, & dolentibus, & Ecclesiam lacrymis & gemitu & dolore pulsantibus;* atque Epist. 69. pag. 264. ita Florentium Pupianum alloquitur: *Subveniat Pupianus, & sententiam dicat, & judicium Dei & Christi in acceptum referat, ne tantus fidelium numerus, qui sub nobis arcessitus est, sine spe salutis & pacis exisse videatur.* S. Joannes Chrysostomus l. 3. de Sacerdotio cap. 5. demonstrat maximam sacerdotum dignitatem,

tem, ex quo Deus optimus ipsis tantum, non autem Angelis, vel Archangelis dixerit, *Quæcunque alligaveritis in terra, &c. ac, Quorum remiseritis peccata, &c.* unde infert habere illos ampliorem, quam habeant terrestres principes, potestatem, quoniam hi solvunt vincula duntaxat corporis; *Id autem quod solvunt sacerdotes, ipsam animam contingat, atque ad cœlos usque pervadat*, οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβάινει τοὺς οὐρανούς. Demonstrat proximo capite, quantum Judæorum sacerdotibus sint Evangelici præferendi, ex quo illis datum fuerit corporis lepram purgare, imo verius haud purgare quidem, sed purgatos probare; *At vero nostris sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare; sed purgare prorsus concessum sit*, οὗτοι δὲ λέπραν σώματος, ἀλλ' ἀκαθαρσίαν ψυχῆς, οὐκ ἀποκλαγεῖσαν δοκιμάζειν, ἀλλ' ἀποκλάττειν παντελῶς λαβόν ἐξουσίαν. Similia docet in cap. xx. Joannis, & post eum Cyrillus Alexandrinus, Theophylactus, aliique Græcorum. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 2. num. 6. arguit Novatianos reservantes soli Deo *remittendorum criminum potestatem*, præcitato textu, *Accipite Spiritum sanctum: quorum, &c.* Ait proximo numero Ecclesiam in utroque servare obedientiam, *ut peccatum & alliget & relaxet*, num. 8. addit: *Munus Spiritus sancti est officium sacerdotis, jus autem Spiritus sancti in solvendis, ligandisque criminibus est; quomodo igitur munus ejus vindicant, de cujus diffidunt jure & potestate?* Proximo cap. 3. num. 10. habet verba relata in cap. *Deus*, de Pœnit. dist. 1. *Sed Deus distinctionem non fecit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.* Verum cum Ambrosius exagitet potissimum Novatianos negantes graviora crimina relaxari, iterum egregios illos de Pœnitentia libros delibabimus. S. Hieronymus lib. 1. Dialogi adversus Pelagianos pag 504. scribit hominem redimi à peccato sanguine Salvatoris, *aut in domo baptismatis, aut in Pœnitentia, quæ imitatur baptismatis gratiam per ineffabilem clementiam Salvatoris, qui non vult perire quemquam, nec delectatur mortibus peccatorum, sed ut convertantur & vivant.* Idem in Epistola ad Demetriadem pag. 790. appellat pœnitentiam *secundam post naufragium tabulam*, qua phrasi perperam à Calvino suggillata lib. IV. Instit. cap. 19. num. 17. utuntur etiam Tridentini Patres sess. XIV. canone 2. S. P. Augustinus de Hæresibus num. 38. de Catharis, seu Novatianis ait: *Secundas nuptias non admittunt, Pœnitentiam negant*: quibus profecto verbis intelligit Sacramentum Pœnitentiæ; siquidem Novatiani illam pœnitentiam negabant, qua ab Ecclesia omnibus lapsis datur pax & reconciliatio, hanc tamen à Deo petendam esse affirmantes. De ipsamet pœnitentia ait S. P. in Enchiridio num. 17. *In Ecclesia remitti peccata: ideo ipsam Ecclesiam Spiritum sanctum pignus accepisse, sine quo non remittuntur ulla peccata; ita ut quibus remittuntur, consequantur vitam æternum.* Tract. XLIX. in ea verba, *Solvite illum, & sinite abire*, Joan. XI. 45. comparans reconciliationem peccatoris resurrectioni Lazari, atque pœnitentium confessionem, absolutionem Sacerdotis, & gratiæ consecutionem commemorans, inquit n. 24. *Quando contemnis, mortuus jaces: quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifestari? Sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, id est, magna gratia vocando. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus; ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus, solvite illum, & sinite abire. Quid est, Solvite, & sinite abire? Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo.* Simila serm. 352. num. 8. Tractatu insuper CXXI. num. 4. in ea verba, *Quorum remiseritis, &c.* inquit: *Hoc continuo de peccatorum remissione ac detentione subjecit.* Denique Victor Vitensis libro 2. de Persecut. Vandalica num. XI. inducit fidelium turbas cereos manibus gestantes, suosque infantulos ante vestigia martyrum projicientes, ac voce ista clamantes: *Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi, quia vobis dictum est, Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis?* In his utique, & in testimoniis aliis compluribus, illa nobis *Pœnitentia* delineatur, quæ includit *Exomologesim*, & delictorum manifestationem; qua Sacerdotis ministerio pœnitentibus & dolentibus Ecclesia pacem & remissionem largitur; & in qua Ministri Domini animarum maculas distinguunt, purgant, solvunt, remittunt. Atqui Pœnitentia istiusmodi est Sacramentum, quale Ecclesia Catholica profite-

fitetur. Igitur Sacramentum Pœnitentiæ, ut supra diximus cum Tridentino, demonstratur & confirmatur *universorum Patrum consensu.*

6. Perpetuo Ecclesiarum consensu.

Proxima est argumentatio deducta ex perpetua Ecclesiarum omnium consensione: cujus primum invictissimumque argumentum est, quod hæretici nequeant ostendere, quis primus Sacramentum istud invexerit sive apud Orientales, sive apud Occidentales, qui unanimiter sacramentalem Pœnitentium absolutionem agnoscunt, hujusque exhibent in Ritualibus libris formulas varias, à Morino, Martenio, aliisque doctis viris collectas. Deinde perpetuam hanc apud Orientales fidem testantur Jobus Monachus, Simeon Thessalonicensis, Joannes Paleologus, Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus, Gabriel Severus Philadelphiensis, Gregorius Hieromonachus, Synodus Cypria Germani Episcopi Amathuntis, & Constantinopolitana Parthenii adversus apostatam Cyrillum Lucarim; necnon monimenta alia quamplurima, quæ iterum afferre, cum partim conscripta sint ab Allatio Consensionis Ecclesiarum libro tertio cap. 16. partim verò à nobis præcedenti volumine lib. XXX. cap. 3. laudata, præter rem foret, ac supervacuum. Apud Jacobitas etiam, & Coptos, quamvis referat Chronicon Orientale abrogatam Sacramentalem Confessionem à Joanne Abulmagedo, perpetuò tamen obtinuisse in Ecclesiis Catholicis demonstrant apud Sollerium in Appendice ad Patriarchas Alexandrinos num. 208. & sequentibus Bernatus, Vanslebius, & Naironus. Permulti denique Lutheranorum, quamvis negent omnia peccata esse manifestanda, atque à sola pœnitentium fide justitiam repetant, nihilo tamen minus Sacramentum Pœnitentiæ agnoverunt cum Luthero, qui in libro de Captivitate Babylonica inter Sacramenta recenset *Baptismum, Pœnitentiam, & Panem*, cui subscripsit Melanchthon in locis communibus an. 1543. In Confessione Augustana art. XI. legitur, *De Confessione docent, quod absolutio privata in Ecclesia retinenda sit*, Quod repetitur art. proximo, ubi damnantur Novatiani, *qui nolebant absolvere lapsos post baptismum*, itidemque art. IV. inter illos, qui inscribuntur, *Abusus mutati.* Idem de Pœnitentia statuit Confessionis hujus Apologia, ut observat in Hist. variat. Meldensis Episcopus lib. 3. num. 48. Retinuit idem Sacramentum Henricus VIII. apud ipsummet Auctorem præstantissimum libro VII. num. 24. Atque id egisse apostatas, quoniam negare non poterant quod toto orbe profitebatur Ecclesia, auctor est in præcitatum articulum XI. Augustanæ Confessionis Fabricius Leodius. Sive ergo Ecclesiarum attendatur consensio, sive Patrum doctrina, sive auctoritas Scripturarum sanctarum, sive ratio illinc deprompta, manifestum est optimo jure sacrosanctam Synodum Tridentinam statuisse hunc primum de Pœnitentia canonem: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipso Deo reconciliandis à Christo Domino institutum; anathema sit.*

7. Objectiones Hæreticorum.

Adversus hanc propositionem hæc opponunt hæretici. Dimittere peccata spectat ad solam Domini auctoritatem, cum Marci II. 7. scriptum sit, *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Nullum ergo datur Sacramentum pro remittendis peccatis à Christo institutum. Deinde in veteri lege nullum tale Sacramentum extitit, licet necessaria eo etiam temporis fuerit pœnitentia *universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent*, prout c. 1. sess. XIV. fatetur eadem Synodus Tridentina. Igitur neque in nova lege charitatis & gratiæ Sacramentum illud erat instituendum. Insuper sacræ literæ tribuunt remissionem peccatorum soli *impiorum conversioni* & respiscentiæ, ut Psalm. L. 19 Ezech. XVIII. 21. Non opus est ergo hac in re externo ritu alicujus Sacramenti. Præterea ad Sacramentum requiritur cum subjecta materia quædam forma verborum. Hæc vero necessaria non est ad remissionem peccati; quod animi voluntate dimittitur. Denique infirma sunt, quæ ad Sacramentum hoc adstruendum proferuntur ex Scripturis. Nam quæ leguntur Matth. XVIII. 18. *Quæcunque ligaveritis, &c.* intelligenda sunt de injuriis invicem condonandis; referuntur enim ad præcedentia verba, *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* Unde S. Pater Serm. XVI. de verbis Domini, nunc 82. num. 7. inquit: *Cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra; sed ut juste alliges, vide, nam injusta vincula disrumpit justitia. Cum autem correxeris & concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra. Cum solveris in terra, solutus erit & in cœlo.* Quæ verba habentur, cap. *Cœpisti*, II. q. 3. Affert eandem interpretationem Theophylactus in Matth. pag. edit. Morel. 106. Cap. autem 20. Joannis fit sermo de remissione peccatorum in collatione baptismi, ut mox videbimus.

8. Solvuntur.

His, de quibus iterum in proximis disputationibus occurret sermo, ad hunc modum respondemus. Si primum argumentum vim haberet ad Sacramentum Pœnitentiæ oppugnandum, impeteret etiam baptismum, quod conferri *in remissionem peccatorum* testantur Act. Apostolica cap. 2. 38. Consimilis itaque erat objectio Novatianorum, qui apud Ambrosium lib. 1. de Pœnit. cap. 2. num. 6. ajebant, *se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent.* Sed respondet egregius doctor verbis paulo supra citatis, jus quidem in solvendis, ligandisque criminibus esse Spiritus sancti, sed munus Spiritus sancti esse officium Sacerdotis. Quæ repetens, & illustrans lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 19. nunc. 18. num. 137. *Ecce*, inquit, *per Spiritum sanctum peccata donantur; homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent.* Eadem perspicue docet prælaudatus Augustinus. Ac S. Joannes Chrysostomus hom. 85. in Joannem exp cat discrimen inter Deum, ac Sacerdotes comparatione illius, quod intercedit *inter regem, & præfectos ab eo missos cum potestate reos in carcerem detrudendi & liberandi:* καταπερ, inquit, τὶς βασιλεὺς ἀρχοντας ἀποστέλλων ἐξουσίαν εἰς δεσμωτήριον ἐμβαλεῖν καὶ ἀφιέναι δίδωσιν, Quare destinguenda est prioris objectionis major: Spectat ad solum Deum peccata dimittere jure potestatis, auctoritate suprema, propriaque virtute, concedo: munere Spiritus sancti, ministerio, atque officio, id nego. Ad alterum nego consequentiam. Ex quo enim necessaria semper fuerit Pœnitentia, quatenus virtus est, nemo inferre potest in lege charitatis & gratiæ non fuisse instituendam Pœnitentiam, in quantum est Sacramentum, ad facilius assequendam remissionem peccatorum, quam ex se, efficienter, & *ex opere operato* producit, necnon ad pœnitentes erigendos conscientiæ tranquillitate, & morali quadam certitudine veniæ. Falsa pariter est proximæ oppositionis consecutio; nam quemadmodum juxta hæreticos contritio, cordisque conversio, quibus sacræ literæ indulgentiam veniamque promittunt, minime excludunt necessitatem fidei in Christum, & lavacrum baptismi, ita nec excludunt Pœnitentiæ Sacramentum; præsertim cum ille, quem vere pœnitet, contemnere nequeat præstituta sibi remedia, eademque contritio sit ejusdem Sacramenti materies. Proximum argumentum diluitur negando necessariam non esse prolationem verborum ad peccatorum remissionem, quæ fiat in foro Ecclesiæ, & potestate illa judiciaria, quam Christus contulit Sacerdotibus. Postrema objectio facile solvitur, si attendatur, ea verba, *Quæcunque alligaveritis, &c.* Matth. XVIII. 18. peculiari ratione spectantia ad Ecclesiæ præfectos, extensione quadam ad singulos pertinere, quatenus Deus ratam habet condonationem injuriarum, quibus afficiuntur; cum hoc discrimine, quod laicis conceditur remittere duntaxat illatas sibi contumelias & injurias, *commiseratione charitatis*, aut de iis poscere indemnitatem ac pœnam, *æquitate justitiæ*; Ecclesiæ autem præfecti possunt delere quæcunque crimina *potestate judiciaria.* Id vero docet Augustinus, qui eadem verba speciatim Sacerdotibus absolventibus tribuit præcitato Tract. 49. in Joannem, serm. 98. num. 6. & 352. num. 8. atque in iisdem verbis agnoscit *claves datas Ecclesiæ* libro 1. contra adversarium legis cap. 17. num. 36. necnon *judicium præpositorum* libro 20. de Civit. Dei cap. 9. num. 2. & Tract. 22. in Joan. num. 7. Eadem vero sentit Theodoretus, qui citata pag. 106. injuriarum remissionem distinguit ab ea, qua crimina λύουσιν οἱ ἱερεῖς, *solvunt Sacerdotes:* quod & præstat in eundem locum Chrysostomus, aliique Græci apud Corderium pag. 255. sed de his rursus.

9. Differentia Pœnitentiæ à Baptismo ostenditur primò.

Prop. II. Pœnitentiæ Sacramentum diversum est à Sacramento Baptismi.

Validissimè demonstratur hæc thesis à Patribus Tridentinis cap. 2. de Pœnit. sess. XIV. ubi plura assignant utriusque Sacramenti discrimina. Primum discrimen est, *quod materia & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissident;* materia enim baptismi est aqua, ac forma, *Ego te baptizo*, quorum neutrum adhibetur in pœnitentia. Discrimen alterum est ex parte ministri, & subjecti, cum non oporteat ministrum baptismi judicem esse, Ecclesia in neminem judicium exercente, *qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus*; minister autem sacramenti Pœnitentiæ sit Sacerdos, ad cujus tribunal *baptizatos*, qui se crimine aliquo contaminaverint, Christus Dominus tanquam reos sisti voluit. Tertia discriminis ratio in hoc sita est, quod baptismus iterari nequeat, per Pœnitentiam vero possumus *ab admissis peccatis liberari*, quoties ad ipsum Ecclesiæ tribunal confugiamus.

Tandem

Tandem alius baptismi, alius Pœnitentiæ effectus, & *fructus* est: siquidem per baptismum Christum induentes, *nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium*, tam originalis, quam actualium *remissionem consequentes*: at per pœnitentiam sola actualia relaxantur, & injungitur satisfactio, adeo ut ad integritatem & novitatem *sine magnis nostris fletibus & laboribus*, divina id exigente justitia, nequaquam pervenire possimus. Quæ omnia satis perspicua sunt, & iisdem fere verbis Synodi Tridentinæ conscripta.

10. Secundò. Demonstratur eadem veritas ex Augustino, cujus præsertim auctoritate abutuntur hæretici. Etenim S. P. epist. 23. ad Bonif. nunc 98. num. 2. ait parvulum regenerari per baptismum, in quo est *aqua forinsecus exhibens sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ*; si vero adultus propria impietate gratiam amittat, & ætatis accessu malus evadat, *Tunc propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur*: quod repetit Enchiridii cap. 46. num. 13. Deinde per Augustinum minister baptismi est etiam laicus & paganus, cum Ecclesia filios aliquando sibi generet *per ancillarum uterum*, ut S. P. inquit 1. de Baptis. cap. xvi. 25. eos autem qui peccata solvunt illos esse, *per quos Ecclesia nunc gubernatur*, & quibus *judicium datum est*, de quo legitur, *Quæ ligaveritis in terra, &c.* tradit S. Pater capite 9. vicesimi libri de Civit. Dei, aliisque paulo supra laudatis locis. Insuper baptismum non repetendum sententia est Augustini sæpe in omnibus adversus Donatistas lucubrationibus tradita: at pœnitentiam saluberrime à baptizatis iterandam affirmat eximius Doctor epist. 54. nunc 153. ad Macedonium, num. 7. unde depromptum est cap. *In tantum*, de Pœnit. dist. 3. necnon epist. 108. nunc 265. ad Seleucianam, ubi confoditur Novitiana hæresis; atque, ut alia præteream, sermone, seu libro 1. de Symbolo cap. 7. num. 14. ubi docet quomodo *semel* abluamur baptismate, *quotidie* à venialibus, sine quibus esse non possumus, oratione: gravia autem & immania scelera non nisi *in humilitate majore Pœnitentiæ* expientur. Diversum denique utriusque sacramenti effectum commonstrat fulgidissimum Ecclesiæ lumen tum postremo hoc in loco de symbolo, tum præcitata ad Seleucianam epistola; in qua num. 7. ait: *Agunt homines ante baptismum pœnitentiam de suis prioribus peccatis, ita tamen, ut etiam baptizentur*; & post pauca: *Agunt etiam pœnitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari, & postea reconciliari mereantur.* Docent his similia alii Patres; de quibus lib. 1. de Pœnit. cap. 13. Cl. Bellarminus. Merito itaque, cum Baptismatis & Pœnitentiæ diversa sit materia, diversa forma, diversus minister, diversum subjectum, diversus effectus, edidit adversus hæreticos sacrosancta Tridentina Synodus hunc canonem num. 2. *Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.*

11. Quæ opponunt Sectarii. Opponunt hæretici: Catholici sacramentum Pœnitentiæ commendari putant illis verbis Joan. xx. 23. *Quorum remiseritis peccata, &c.* At his verbis nihil aliud ostenditur, nisi Apostolis fuisse præscriptum à Domino, ut Evangelium annuntiarent, & baptizarent credentes in remissionem peccatorum; & eundem sensum hæc verba habent ac ea, quæ leguntur Matth. ult. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, &c.* Igitur remissio peccatorum, quæ Pœnitentiæ tribuitur, Baptismati est adscribenda, ideoque Pœnitentia aut sacramentum non est, aut idem est ac baptismus, ejusque reminiscentia. Præterea Marci 1. 4. legimus Joannem prædicasse *baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Quid ergo ad incerta confugimus, inquit Calvinus, quasi verò apertius quippiam requirendum sit, quam quod recitat Evangelista? Insuper omnis peccatorum remissio, etiam subsequens, baptismati tribuendam esse, Apostolus, Augustinus, & ratio ipsa suadent. Etenim Apostolus ad Ephes. v. 25. ait: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, &c.* quibus verbis omnis mundatio, omniumque macularum abstersio soli baptismatis lavacro tribuitur. S. P. Augustinus lib. 1. de Nuptiis & Conc. cap. 33. n. 38. his verbis Apostolicis recitatis, *Sic*, inquit, *accipiendum est, quod ait Apostolus, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur, atque sanentur; non solum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate*

mitate contrahuntur, non ut baptisma quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso, quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Eadem repetit S. P. initio proximi capitis, necnon de de Peccato Originali cap. 39. & 40. lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 3. & in VI. contra Julianum cap. 13. & 18. His, ut dixi, cohæret ratio; siquidem credenti, & suscipienti baptismum Marci ult. 16. promittitur æterna salus; Baptismus ipse nunquam deletur; in illo communicatur nobis, atque imputatur justitia Christi. Atqui divina promissio semper manet, & virtus baptismi semper viget, adeo, ut ex communi scholasticorum sententia, si quis ficte ad baptismum accedat, recedente fictione, recipiat gratiam, quæ ipsius baptismatis effectus est; ac denique justitia Christi persistens, ac perpetua, semel imputata nunquam amittitur. Igitur nulli alteri externo signo, præter Baptismum, aut divina promissione, aut ipsius lavacri virtute, aut demum communicatione justitiæ Christi spectata, potest adscribi peccatorum remissio. Hæc Novatores.

12. Solvuntur.

Resp. ad 1. nego mi. constat enim longe diversum esse sensum verborum Joannis xx. & Matth. ult. neque unam unius textus syllabam in altero reperiri. Nonnulli quidem Patres, ac præsertim S. Cyrillus libro XII. in Joan. ajunt, etiam in Baptismo vim habere quod legitur apud Joannem, *Quorum remiseritis, &c.* ideoque hæreticorum nonnulli primam hanc, insulsam, fractamque objectationem communire tentant mutilato Cyrilli textu, Sed vafre, ac dolose id faciunt; nam Cyrillus eo loci ait remitti *duobus modis* peccata, uno quidem, *dignos ad baptismum vocando vitæ gravitate & constantia fidei probatos: sed alio modo*, inquit, *peccata* Spiritu afflati homines *remittunt ac retinent, nempe cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignoscunt:* καθ' ἕτερον τρόπον ἀφιᾶσι τὲ καὶ κρατοῦσι ἁμαρτίας ἐπιτιμῶντες μὲν ἁμαρτανουσι τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις, μετανοοῦσι δὲ συγγινώσκοντες: ibique profert Cyrillus exemplum illius Corinthii fornicarii, quem Paulus tradidit in carnis interitum, ac denuo complexus est, ne vehementia doloris absorberetur. At quod sequitur, nullius est momenti, siquidem baptismum Joannis appellari baptismum *Pœnitentiæ*, quoniam non conferebat *vi propria* Spiritum sanctum, atque in eo Præcursor Domini hortabatur ad se confluentes, ut pœnitentiâ pararent viam Domino, & Dei Agno tollenti peccata mundi, ostendimus libro XXXI. cap. 2. prolixa dissertatione. Ad tertium est plana & expedita responsio, si dicatur baptismati omnem renovationem & gratiam adscribi, non solum, quia per ipsum tollitur originarium, ac præcedens omne peccatum, verum etiam per ipsum baptismum induimus Christum, & inserimur Ecclesiæ, in qua non desunt remedia, quibus consequentia peccata abluantur, eo ferme pacto, inquit Estius in IV. dist. 4. §. 8. quo generationi atque nativitati tribuitur quoque incrementum, robur, & perfectio virilis, necnon morborum sanatio, quæ tamen etiamsi naturalis facultas in his operetur, absque exrernis adminiculis non proveniunt. Ita ergo valet ad omnem remissionem baptismus, quia per ipsum regeneramur & renascimur, & nisi per ipsum spiritalis vita daretur, nec Pœnitentia, nec sacramenta alia prodessent; quæ tamen valent plurimum ad spiritalem vitam nutriendam, corroborandam, sanandam, quemadmodum corporalem vitam juvant cibus, potus, medicamenta. Vide quæ scripsimus lib. XXXI. cap. 24. Hanc esse mentem Apostoli constat, nam præter lavacrum vitæ tribuit ille salutem fidei, spei, charitati, monet, ne vivamus secundum carnem, eodemque cap. 5. (in quo proculdubio baptizatos alloquitur) ut exurgamus à mortuis, ut redarguamus infructuosa opera tenebrarum, ut vitemus immunditiam, avaritiam, turpitudinem, stultiloquium, scurrilitatem, non vero, ut reminiscamur duntaxat susceptæ lavacri. Atque Augustinus aperte sententiam suam exponit tum ubi docet peccata baptismum consequentia sanari *alia curatione*, & subjici judicio illorum, *per quos gubernatur Ecclesia;* tum iisdem locis, quæ objiciuntur. In primo enim libro de Nuptiis & Concup. immediate post verba ab adversariis producta hæc subjicit Augustinus: *Quid enim prodesset vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet?* & lib. 3. contra duas Epist. Pelagianorum cap. 3. num. 5. ait: *Si à me quisquam quæsierit, utrum per baptismum salvi facti fuerimus; negare non potero, dicente Apostolo, Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis; & renovationis Spiritus sancti. Sed si quæsierit, utrum per idem lavacrum omni prorsus modo jam nos fecerit salvos; respondebo, non ita est,* Demum & lib. VI. adver-

adversus Julianum, postquam scripsit pervenire hominem baptismate *etiam ad perfectionem futuri sæculi* demonstrat hominem renovari *de die in diem*, atque id fieri, quando adjuvante gratia Dei *Opera spiritus erigunt, opera carnis mortificantur.* His verò corruit subjecta hæreticorum ratiocinatio; quandoquidem promissio æternæ salutis facta credentibus & baptizatis *conditionata* est, nec pœnitentiam, sacramenta & custodiam mandatorum excludit: neque per solam *imputationem* justitiæ Christi, sed per gratiam *inhærentem*, eamque *amissibilem* justificamur; sicuti demonstratum est libro XIX. cap. 2. & 9. Ex quo autem virtus baptismi producat *sublato obice* effectum suum, ut diximus tom. VI. minime sequitur, quod producere valeat effectum aliorum sactamentorum, & remittere peccata, quæ *alia curatione sanantur.*

13. Nova instantia.

At dices: Tridentina Synodus sess. XIV. canone 3. damnat eos, qui negant ea verba, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c.* esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, eaque detorquent ad auctoritate n prædicandi Evangelium. Verum c m in consessu Patrum de hoc canone ageretur, Ambrosius Pelargus Dominicanus Electoris Trevirensis Theologus, monuit illa verba vix ab ullo Patrum exponi de hoc sacramento, & à nonnullis accipi de baptismo: itaque eos, qui eadem verba ad solam institutionem Sacramenti Pœnitentiæ restringant, & hæreticos pronuncient omnes, qui aliter accipiant, magnam adversariis palmam dare, & materiam gestiendi ob damnatam in Concilio veterem Ecclesiæ doctrinam. Hæc Paulus Sarpi in Hist. Trident. Concilii pag. edit. Genev. 408. Revera cum verba illa Christus dixerit post resurrectionem suam, antequam mitteret Apostolos in universum orbem ad Evangelium annuntiandum; comprobat Pelargi monitum, & interpretationem Patrum, quos ille laudavit, ipsa temporum circumstantia. Si ergo præcitata verba, *Quorum remiseritis peccata, &c.* intelligenda sunt juxta Tridentini definitionem de Sacramento Pœnitentiæ, aliàs autem admonente insigni Theologo accipiuntur de Baptismo ab omnibus fere Patribus, consequitur manifesta illatione Baptismum & Pœnitentiam esse unum & idem Sacramentum.

Respondeo cum Eminentissimo Pallavicino lib. XII. H. C. cap. 12. num. 7. nunquam ab ore Pelargi eruditi viri potuisse hæc elabi, quæ cadere minime potuissent in mentem cujusvis quamquam imperitissimi. Pelargus enim in eo theatro præsens fuerat, ubi jam pro hoc Sacramento producta fuerant universæ antiquitatis testimonia. Inter quæ, ut constat ex dictis, multa sunt, quæ demonstrant verba illa, *Quorum remiseritis, &c.* esse accipienda de potestate peccata dimittendi, & retinendi, tradita Sacerdotibus. Neque obstat, quod nonnulli Patrum eadem interpretati sint de remissione, quæ fit per baptismum, aut quod à Christo prolata sint quando misit Apostolos ad gentes fide imbuendas & baptizandas: nam, præterquam quod in capite XX. Joannis nullus de prædicando Evangelio, aut de conferendo baptismo fit sermo, Tridentinum Concilium nequaquam illos proscripsit, qui recensitis verbis aliquam aliam sententiam tribuerent, sed eos damnavit qui illa detorquebant contra institutionem Sacramenti Pœnitentiæ. *Quare* (inquit Pallavicinus) *quod quispiam eadem sic explicet, ut simul de hoc loquantur, & simul de facultate Sacerdotibus tradita tanquam ministris ordinariis baptismi, quid tandem is peccat? & quis ab ipso tum commodus ad oppugnandum aditus adversariis referatur? in quanam dialectica traditum est, affirmationem unius esse alterius diversi, sed non contrarii, inficiationem?* Distinguo itaque propositionem illam, Ea verba accipiuntur de Baptismo; tantum, nego: de baptismo, & de facultate absolvendi baptizatos à culpis post baptismum propria voluntate patratis, per Sacramentum Pœnitentiæ à baptismo diversum; concedo. Vide quæ paulo supra diximus de Cyrillo.

14. Confutatur.

Opp. ultimò: Quamvis in consecratione panis, & vini diversa sit materia, diversa forma, diversum symbolum Sacramenti; utraque tamen *species* pertinet ad eandem Eucharistiam: idem ergo affirmare possumus de Pœnitentia ac de Baptismo, quæ, licet in his diversa materia, & diversa forma habeantur, poterunt ad idem Sacramentum referri. Habetur rursus diversitas materiæ, formæ, necnon effectus in Presbyteratus, & Episcopatus Ordinibus; & nihilominus Episcopatus non est Sacramentum ab ordine Presbyteratus diversum, sed ampliatio duntaxat & extensio characteris ad munera, quæ excedunt facultatem Presbyteri, puta ordinandi, vel

15. Opponitur ultimò.

confirmandi, aut si Sacramentum diversum est, non tamen sententia hoc negantium spectat ad fidem. Pari ergo ratione affirmare possumus pœnitentiam esse extensionem quamdam gratiæ & characteris baptismatis, aut saltem non aberraturum à fide, quisquis id assereret.

16. Sed respondetur. Resp. ad 1. haberi quidem in duabus Eucharistiæ *speciebus* diversam materiam, diversamque formam; sed tamen utramque speciem significare eandem unionem cum Christo, referri ad eandem spiritalem animæ refectionem, eandemque gratiam producere: ut de Theologi docent cum D. Thoma 3. p. q. 75. art. 2. Eucharistiam utique esse Sacramentum *materialiter* multiplex, unum tamen perfectione signi, & gratiæ productione. Econtra in baptismo, ac Pœnitentia diversa confertur gratia, ac diversa est etiam significationis ratio, siquidem baptismus est spiritalis regeneratio, Pœnitentia vero reconciliatio regeneratorum; ideoque hæc duo Sacramenta non *materialiter* tantum diversa sunt, verum etiam, ut inquiunt Scholæ, *formaliter*. Ad postremum respondetur, eos, qui negant Episcopatum esse ordinem à Presbyteratu distinctum, negare etiam, quod conferat gratiam *ex opere operato*, & quod hujus gratiæ signum practicum sint materia & forma, quæ in Episcopi ordinatione adhibentur; cum ad constituendum Sacramentum non sufficiat materia & forma, quæ habentur etiam in Sacramentalibus & in quolibet sacro ritu, sed ulterius necessum sit efficax signum gratiæ. Nulla est ergo vis hujus oppositionis, quoniam dato Episcopatum non esse Sacramentum (quod tamen maxime controvertitur, nec sine magna probabilitate negatur à multis;) Sacramentum est tamen Pœnitentia, quæ relaxando peccata actualia non solum constat propria materia & propria forma, sed etiam gratiam suamet efficacitate producit. Illud tandem advertendum est, Episcopatum, sive sit Sacramentum conferens gratiam, sive non sit, nequaquam conferre characterem suum, aut ampliationem characteris; per solam reminiscentiam presbyteratus; ac propterea his, aut consimilibus argutationibus nullatenus juvari hæreticos, qui repetentes justificationem à sola fide docent pœnitentibus dimitti peccata per solam recordationem baptismi, ut explicatum est supra.

17. Quando institutum Pœnitentiæ sacramentum? PROPOSITIO III. Sacramentum Pœnitentiæ institutum *præcipue* fuit, cum Dominus à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens, *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis, &c.*

Hæc propositio est Tridentini Concilii sess. XIV. cap. 1. Ac demonstratur; cum enim Sacramentum Pœnitentiæ illud sit, quo *judiciaria potestate* à Sacerdotibus remittuntur peccata; tunc præcipue institutum fuisse dicendum est, quando Dominus discipulis suis eandem contulit potestatem. Atqui Dominus hanc potestatem contulit, dum post resurrectionem suam insufflavit dicens: *Accipite Spiritum sanctum, &c.* ut diximus prop. 1. & definit ipsa Tridentina Synodus canone 3. ejusdem Sessionis. Igitur Sacramentum Pœnitentiæ tunc à Domino fuit *præcipue* institutum.

Advertas tamen ideo à nobis appositam particulam illam *præcipue*, à sacrosancta etiam Synodo consulto adhibitam, quoniam de potestate judiciaria remittendi peccata explicantur etiam à Patribus ea verba, *Quæcunque ligaveritis, &c.* utique ante resurrectionem Domini pronuntiata. Sed cum his verbis revera *potestas judiciaria* discipulis data non sit, sed prædicta tantum, atque promissa; non relucet in illis *præcipua* ac propria institutio, quemadmodum sententia nostra nec Baptismus propriè institutus est, dum Christus ait Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* quamquam hæc verba ab omnibus de baptismo explicentur, eoquod sonent potius Sacramenti instituendi necessitatem atque virtutem, quàm ejusdem institutionem. Nec etiam Sacramentum Pœnitentiæ potest dici *præcipue* institutum in ultima cœna, quando Apostoli fuerunt sacerdotali *charactere* exornati; nam sacerdotium dat potestatem offerendi sacrificium, non remittendi peccata; confert enim potestatem in verum Christi corpus, sed in iis, quæ pertinent ad corpus mysticum, & ad exercendum in ipso munus judicis, necessaria est quædam illius potestatis ampliatio. Suarez disput. XVII. sect. 1. assert. 3. scribit existimasse Cyprianum, quod institutum fuerit hoc Sacramentum *in nocte cœnæ*, laudato sermone de Ablutione pedum, in quo commemoratur aliud à baptismo *lavacrum*, à Domino eadem nocte præscriptum. Verum neque sermo ille opus est Cypriani, nec de alio lavacro agit, quam de humilitatis officio, ut ostendimus lib. XXX. cap. 6. Videtur denique sententia S. Thomæ q. 84. art. 7. *actus pœnitentis*, qui sunt hujus sacramenti materia, indictos fuisse à Domino initio prædicationis; *officium ministrorum* insinuatum Matth. XVI. post resurrectionem

nem denique *efficaciam hujus Sacramenti* manifestatam. Recte itaque Oecumenica Synodus apposuit particulam illam *præcipuè*.

18. Necessitas qualis?

Prop. IV. Pœnitentiæ Sacramentum hominibus post baptismum lapsis ad salutem assequendam est necessarium.

Demonstratur I. Sacramentum Pœnitentiæ, ut diximus est illud, quo judiciaria potestate à Sacerdotibus peccata solvuntur, juxta ea, quæ leguntur in Evangelio, *Quæcunque solveritis, &c.* atque, *Quorum remiseritis, &c.* Sed absque solutione, aut remissione peccatorum nemo post baptismum lapsus salutem consequi potest. Igitur, &c. II. Tridentina Synodus sess. XIV. cap. 2. his verbis hanc propositionem definit: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.* Qui ergo post lavacrum regenerationis actualibus criminibus inquinantur, non assequentur æternam vitam, nisi re, aut voto (sicuti diximus de Baptismo libro XXXI. cap. 23.) Pœnitentiæ Sacramento solvantur. III. Augustinus scribens ad Honoratum epist. 180. nunc 228. n. 8. ait: *Si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum; qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt?* & de adult. conjugiis lib. I. cap. ult. n. 35. *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa.* At plura ex Patribus proferenda erunt, ubi de necessitate Confessionis, quæ hujus Sacramenti pars est, disseretur. IV. Hanc necessitatem ratio ipsa commonstrat. Si enim sacerdotes in Ecclesia judices, & absolutionis ministri sunt à Domino constituti, ipsorumque judicium in cœlis ratum ac firmum est, profectò apud Deum rei permanent, qui ad ipsos Sacerdotes, cum possint, absolutionem impetraturi nolunt accedere; quemadmodum in republica quisquis patravit homicidium, aut furtum, censetur reus, ac supplicio legibus constituto puniendus: donec à principe, vel à præfecto illius vicem gerente, post cognitam causam proferatur judicium, atque absolvatur.

Oppositiones, quæ militant adversus postremam hanc thesim, quoniam partim solutæ sunt propositione prima, partim vero solvendæ erunt, ubi de Confessione, & absolutione tractabitur, iisdem in locis perlegi poterunt, & expendi.

CAPUT III.

An detur peccatum aliquod irremissibile?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Non datur peccatum irremissibile.
3. Non tantum per Deum, sed etiam per Ecclesiam.
4. Confirmant hoc definitiones Ecclesiasticæ.
5. Et rationes Theologicæ.
6. Quæ in veteri Testamento opponuntur.
7. Solvuntur.
8. Quæ ex novo.
9. Pariter.
10. Quæ opponuntur ex PP.
11. Diluuntur.

1. Status quæstionis.

Consueverunt Scholastici materiam Sacramenti Pœnitentiæ duplicem constituere, quarum unam appellarunt *circa quam*, alteram *ex qua*. Cum enim, ut dicturi sumus, tribus partibus Sacramentum istud potissimum constet, id est, contritione, confessione, & satisfactione, hæ verò circa peccata abolenda versentur; eadem peccata materiam *circa quam*, ipsam vero contritionem una cum aliis necessariis actibus pœnitentium dixerunt materiam *ex qua*. Nos, hac distinctione non repudiata, dicimus peccata esse, ad quorum remissionem Deus misericordiarum, cognoscens figmentum nostrum hoc Sacramentum instituit, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur; illos autem pœnitentis actus, quos commemoravi, esse id, quod ex parte pœnitentis requiritur ad integritatem Sacramenti, plenamque, & perfectam ipsorum peccatorum remissionem. Quæ iisdem Tridentinæ Synodi verbis dicta sunt. Sane ex quo Sacramentum istud institutum sit, tanquam remedium illorum, qui sese post baptismum tradiderunt in peccati servitutem & dæmonis potestatem, evidenter consequitur non spectare ad hoc Sacramentum ea peccata, quæ ante regenerationem patrantur. Certum quoque est quotidiana & venialia peccata expiari posse allis ab hoc Sacramento remediis, præser-

præsertim oratione fidelium, atque eleemosynis, quemadmodum docet magnus Augustinus in Enchiridio cap. 7. num. 2. de Symbolo num. 14. in Opere imperfecto lib. 2. n. 71. atque innumeris aliis in locis. Hinc Tridentina Synodus sess. XIV. cap. 5. postquam ait oportere à pœnitentibus, omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima sint, *Venialia*, inquit, *quibus à gratia Dei non excluduntur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possint.* Quare Theologi peccata mortalia *materiam* Sacramenti hujus *necessariam* appellant, peccata autem venialia *materiam sufficientem.*

Cum igitur Novatiani, prout priori capite dictum est, negaverint in Ecclesia potestatem remittendi peccata post baptismum commissa, quod eorum aliqui universim asseruerunt, omnia peccata paribus æstimando mensuris, alii autem id affirmarunt de gravioribus tantum criminibus, cujus generis sunt idololatria, homicidium, fornicatio, & blasphemia; videtur præsens quæstio utilissima, & summopere necessaria tum ad vindicandam potestatem Ecclesiæ à Christo collatam, confirmandumque Catholicum dogma de Sacramenti Pœnitentiæ existentia ac virtute, tum ad refellendam hæresim Montanistarum, & Novatianorum, quam assertione ista convellimus, atque explodimus.

2. Non datur peccatum ir remissibile.

Propositio: Nullum omnino datur peccatum, quod per Pœnitentiam expiari, & ab Ecclesia remitti non possit.

In hujus veritatis confirmationem principio afferri possunt innumera Testamenti veteris loca, in quibus misericors Deus non uni pœnitentium, quantumvis nefandis sceleribus inquinato, pollicitus est, & contulit remissionem. Hujusmodi sunt, quæ leguntur Is. 1. 16. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis vestris: quiescite agere perverse:* & versu 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Jeremiæ XXXIV. 3. *Revertatur unusquisque à via sua pessima, & propitius ero iniquitati & peccato eorum.* Ezech. XVIII. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam; vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum, quæ operatus est, non recordabor; in justitia sua, quam operatus est, vivet.* Joelis II. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu: & scindite corda vestra & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deom vestrum; quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Quæ, aliaque proferunt epist. 52. ad Antonianum S. Cyprianus, prima ac tertia ad Sempronianum S. Pacianus Barcinonensis Episcopus, & in duobus libris de Pœnitentia S. Ambrosius. Huc spectant exempla eorum, quibus post nefanda scelera Deus peccata dimisit, & de quibus citata Epist. 1. Tom. IV. Bibl. PP. pag. 306. ait S. Pacianus: *Nonne Davidi post cædis & adulterii reatum pro Bethsabee pœnitenti Prophetæ respondit, Dominus abstulit à te peccatum tuum? Nonne Babylonium regem post tot idololatriæ facinora damnatum Exomologesis liberavit?* &c. Accedunt loca innumera, quibus Deus aut pœnitentiam indicit, aut impœnitentibus comminatur æternam mortem: *Nunquam enim* (inquit ibidem Pacianus) *Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti;* & Ambrosius pariter lib. 1. de Pœnit. cap. 1. num. 4. *Quid autem durius, quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent; cum utique veniam negando incentivum auferant pœnitentiæ? Nemo enim potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.*

3. Non tantum per Deum sed etiam per Ecclesiam.

Sed quoniam Novatiani minime inficiabantur posse à Deo peccata dimitti, & hanc potestatem denegabant tantummodo Ecclesiæ; refutantur evidentius Evangelicis testimoniis, quibus præced. cap. prop. 1. eandem Ecclesiæ potestatem vindicavimus. Neque enim iis verbis, *Quæcunque solveritis*, &, *Quorum remiseritis*, &c. collata Ecclesiæ potestas ad quædam peccatorum genera limitatur; unde prælaudatus Ambrosius cap. 2 num. 10. ita Novatianos exagitat: *In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda à vobis putetis, & quæ sine remedio arbitremini; sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.* Idem docet præcitata epist. S. Cyprianus, simulque Novatianos validissimo hoc argumento refellit: *Si invenimus à pœnitentia agenda neminem debere prohiberi; deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam,*

diam, secundum quod ille misericors & pius est, per Sacerdotes ejus pax potest concedi. Præterea ex Evangelicis parabolis ita Pacianus divinam erga omnes misericordiam commendat: *Quid ad illa tot similitudinum dominicarum argumenta respondent? Quod drachmam invenit mulier, & gratulatur inventam; quod pastor ovem reportat erraticam; quod filio revertenti post prodacta omnia bona, & cum meretriciis, & fornicariis epotata, pater blandus occurrit, & invidum fratrem ostensa ratione castigat, Filius, inquiens, meus hic mortuus erat, & revixit, perierat & inventus est. Quid ille, in via vulneratus, à Levita & Sacerdote præteritus? Nonne curatur? Revolve quæ Spiritus dicat Ecclesius. Ephesios desertæ dilectionis accusat, stuprum Tiathyrenis imputat, Sardos in opere cessantes, Pergamenos docentes diversa reprehendit, Laodicenorum divitias inurit; & tamen omnes ad pœnitentiam satisfactionis invitat.* Post hæc vero reponsionem Novatianorum paulo supra productam ita impetit: *Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est: sed & quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod Apostolis dicit, Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cœlis, & quæcunque solveritis in terris, soluta erunt, & in cœlis? Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat?* Ex scripturis itaque divinam misericordiam commendantibus, & pœnitentiam singulis indicentibus, necnon ex potestate ligandi ac solvendi collata Apostolis, hæresis Novatiana invictè refellitur.

4. Confirmant definitiones Ecclesiasticæ.

Præterea demonstratur propositio Ecclesiasticis definitionibus. Exorta quippe Novatiana hæresi, S. Cornelius coacto Concilio sexaginta Episcoporum, mense Octobri anno 251. opinionem Novati declaravit *immanissimam, & à fraterna charitate alienam;* decrevitque, *fratres, qui in calamitatem inciderant, curandos esse & confovendos.* Eadem Synodo (quamquam duas diversas Romæ à Cornelio celebratas censeat Baronius, & qui eum sequitur Labbeus) confirmata fuere decreta Concilii Carthaginensis *de lapsis recipiendis*, paulo ante, persecutione Decii sopita, coacti opera Cypriani, uti constat ex ejus ad Antonianum epistolis. Collegit etiam Cornelius sententias Episcoporum, qui Romanæ Synodo non interfuerant, *per Italiam, & Africam, aliorumque locorum provincias*, sicuti libro VI. c. 43. pag. 242. scribit Eusebius, ibique idem Cornelius in Epistola ad Fabium Antiochenum. Hinc eruitur, quæ de Cornelio scribit Hieronymus de Script. Eccl. cap. 66. *Scripsit Epistolam ad Fabium Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum de Synodo Romana, Italica, Africana*, accipienda esse, de præcitatis sententiis à Cornelio collectis, ut contendit Pagius ad annum 251. num. 26. tametsi alii Italicam Synodum adversus Novatianos celebratam fuisse velint, non minus ac Romanam, & Africanam. Sed aut Episcopi Itali, qui Romano Concilio non interfuerant, alio in loco coadunati sint, ut ad Cornelium suas adversus Novatum sententias mitterent, aut singulatim id fecerint; constat omnes dogma Catholicum propugnasse. Libellus Synodicus commemorat Synodum Antiochenam Demetrii, in qua legitur depositum Novatum, ὡς ὄντα φιλαμαρτήμονα, *tanquam qui peccatoribus patrocinaretur*, ubi vereor, nè desit aliquid. A sæculo autem tertio ad hoc usque semper Ecclesia Novatianos execrata est; ideoque Concilium Lateranense IV an. 1215. perantiquas definitiones confirmans, *Si post susceptionem Baptismi* (inquit cap. 1.) *quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper Pœnitentiam reparari:* ac Tridentinum sess. XIV. cap. 1. *Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit atque condemnavit.*

Corroboratur ulterius Catholica veritas testimoniis Patrum: quorum plura producta sunt præcedenti cap. prop. 1. nonnulla Cypriani, Paciani, & Ambrosii paulo supra: quædam mox proferentur. Unius nunc Augustini verba recitabo ex libro de Agone Christiano cap. 31. num. 33. ubi de Novatianis hæc habet: *Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt.* Et infra: *Nam quibus veniam peccatorum negant, non eos aliquâ sanitate custodiunt, sed ægris subtrahunt medicinam.* Idem Augustinus in Epist. ad Vincentium Rogatistam 93. num 42. invehitur in eos, qui negabant reconciliationem adulteris, & *claves Ecclesiæ pulsantibus subtrahebant:* cumque lib. 1. de Serm. Domini in monte scripserit aliquod peccatum dari, quod nequit remitti: in priori Retractationum cap. 19. num. 7. tanquam id minus accurate assertum corrigens inquit: *Addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis perversitate* impius *finierit hanc vitam: quoniam de quocun-*

que pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, &c.

5. Et Rationes Theologicæ.

Probatur denique Catholica veritas ratiocinationibus Theologicis : quarum prima petitur ex quo misericors Deus veniam obtulerit peccatoribus scelestissimis, Caino etiam, qui omnium primus fraterna cæde sanguinem effudit humanum: unde Epiphanius hæresi 59. p. 493. infert *neminem, si exciderit, ab Ecclesia deserendum esse.* Quod argumentum, ut diximus, exemplis aliis illustribus, necnon parabolis Evangelicis confirmatur à Paciano. In idem Caini factum intendens animum Claudius Victor lib. 2. in Genesim cecinit:

At verò nulla est hominis tam dira nefandi
Culpa, Deus quam non animo clemente remittat,
Si modo pœniteat facti: quod teste Caino
Accipimus, quem tunc fraterna cæde madentem
Arguit, & leviter tanto pro crimine punit.

Aliud argumentum petitur ex quo Dominus Ecclesiam suam validissimis adversus portas inferi præsidiis instruxerit; nec omnino credendum sit, plus virium ad perdendas animas esse dœmoni per Christi mortem devicto, quam sit Ecclesiæ ad animas ipsas sanandas: ideoque S. Pacianus Epist. 1. *Habetne*, inquit, *tam diurnum serpens venenum, & Christus non habet medicinam? Diabolus in mundo interficit, Christus hic non potest subvenire?* Ambrosius itidem lib. 1. de Pœnit. cap. 3. num. 14. *Pro quibus ergo Christus interpellat, eos Novatianus accusat. Quos Christus ad salutem redemit, eos Novatianus damnat ad mortem. Quibus Christus dicit: Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, Novatianus dicit, Immitis sum,* Ac S. Hieronymus epist. 82. ad Oceanum pag. 646. tomi IV. ita loquitur: *Dicit enim esse aliqua, quæ Christus non possit purgare sanguine suo, & tam profundas scelerum pristinorum inhærere corporibus atque animis cicatrices, ut medicina illius attenuari non queant. Quid aliud agit, nisi ut Christus frustra mortuus sit? Frustra autem mortuus est, si aliquos vivificare non potest.* His accedunt alia complura, nimirum, quod Deus velit, ut Ecclesiæ ministri misericordiam suam imitentur, ut ignoscant omnibus, pro omnibus orent, neminem deserant, singulos paternis visceribus complectantur, atque de nullius salute in hac mortali vita desperent, quæ omnia satis ex dictis perspicua sunt.

Oppositionum Refutatio.

Adversus dogma catholicum ista militant. Ut sunt in veteri testamento quæ exaltant Dei misericordiam, ad pœnitentiam hortantur, & exemplis divinam indulgentiam commonstrant; ita plura sunt, quæ in gravia, vel in eadem scelera pluries lapsis comminantur indignationem Dei, ac sempiternum interitum, demonstrantque rerum eventu inutilem esse perditissimorum hominum pœnitentiam. Ecclesiasticus enim cap. XXI. 4 semel lapsum ad resipiscentiam exhortans, *Quasi romphæa*, inquit, *bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.* In Prov. cap. 1. 24. Is. LXV. 12. & Jerem. VII. 13. testatur Deus se subsannaturum illos, qui irruente repentina calamitate ad eum clamabunt, eoquod aliquando neglexerint increpationes. Amos cap. 1. & 2. DEUS de Damasci, Gazæ, Tyri, Moab, & Israel populis repetit: *Super tribus sceleribus, & super quatuor non convertam eum.* De peccatis autem in Deum, & in Sanctuarii ministerio patratis ita Heli ait ad filios suos 1. Regum II. 25. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Dominus: si autem in dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Exempla item occurrunt pœnitentiæ iniquorum à Deo reprobatæ: nam de Antiocho legitur in secundo libro Machab. IX. 13. *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus:* & de Esau ad Hebr. XII. 17. *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Patrocinantur itaque tam veteris Testamenti sententiæ, quàm exempla systemati & doctrinæ Novatianorum.

6. Quæ in veteri Testamento opponuntur.

7. Solvuntur.

Respondeo, nullum ex his locis suffragari Novatianis; non enim in eis sermo fit de potestate Ecclesiæ in remittendis peccatis, sed de execrabili impiorum conditione, de atrocitate scelerum & de falsa aliquorum pœnitentia: ac propterea, si hæc loca probarent aliquid, evincerent nec apud Deum crimina atrociora remitti; quod Novatus nunquam ausus est affirmare. Singula autem adducta loca percurrens dico Ecclesiasticum asserere peccata divinam majestatem irritare, atque homini æternam mortem, ac tale vulnus inferre, cui solus DEUS præstare potest gratia auxiliatrice, & sanante medicinam.

Quæ

Quæ sequntur dicta sunt in reprehensionem eorum, qui perverse sperando (ut inquit S. P. Augustinus serm. 87. de Verbis Evang. cap. 9.) de die in diem differunt conversionem, ac male sperando, & differendo miserrimè pereunt; quoniam, dum volutantur in flagitiorum gurgite, atque in mortifera delectatione, claudunt sibimetipsis ostium indulgentiæ, & à Deo, quem pervicaciter deserunt, justo rectissimoque judicio deseruntur. Verba Amos ita explicantur à Hieronymo tom. 3. pag. 1374. *Primum peccatum est cogitasse quæ mala sunt. Secundum, cogitationibus acquievisse perversis. Tertium, quod mente decreveris, opere complesse. Quartum, post peccatum non agere pœnitentiam, in suo sibi complacere delicto.* Teodoretus, aliique ita hunc locum exponunt, quod multiplicata scelera Deum compellunt ad punitionem. Increpationis Eli planus est sensus; nam cum Sacerdotes pro omnibus interpellent, si ipsi in Dominum peccaverint, nullus è populo accedit ad altare pro iisdem offerens sacrificia, ut rectè interpretatur hunc locum S. P. Augustinus concione 2. in Psal. 36. & libro 2. contra literas Petiliani c. 105. Addit S. Pater hæc in lege veteri dicta esse, in qua nobis promittebatur sacerdos, *pro quo nullus posset orare*, id est, Christus; cæterum tum etiam Sacerdotibus fuisse locum pœnitentiæ, & potuisse unum pro altero hostias offerre. Ambrosius verò in primo de Pœnit. cap. 9. num. 40. scite observat illa phrasi, *Quis orabit pro eo*, quæri, non excludi *qui in tali causa orare possit*, exponens hunc locum collatione similium, ut Psalmo XIV. 1. *Quis habitabit in tabernaculo tuo?* XXIII. 3. *Quis ascendet in montem Domini?* Lucæ XII. 42. *Quis fidelis dispensator & prudens?* Observat præterea, quo major est culpa, eo majora quærenda esse suffragia; non enim quicunque de vulgo, sed Moyses rogavit pro Judæorum populo, quando vitulum adoraverunt: & Hieremias quoque, licet ei dictum fuerat à Domino, *Noli orare pro populo isto*, oravit tamen, & veniam promeruit. Postremò exempla Esau, & Antiochi non sunt ad rem; de Esau enim scribit Chrysostomus Homilia XXX. in Epist. ad Hebræos: *Non ut oportuit egit pœnitentiam*, οὐ μετενόησεν ὡς ἐχρὴν. Nimirum de amissa hæreditate, non de commissis sceleribus eum pœnituit, sed continuo in Jacobum fratrem suum odio, & invidia contabuit: & insuper Apostoli verba alium patiuntur sensum. Esau nempe non potuisse lachrymis consequi benedictionem paternam: unde ibidem *non invenire locum pœnitentiæ*, est non obtinere id, cujus causa contristabatur; & inquirere *pœnitentiam*, metonymicè idem sonat, ac expetere benedictionem ipsam atque hæreditatem; prout manifestum est legenti ipsum Apostoli textum, & Genesis XXVII. 34. Antiochus etiam, ut præcitato Machab. cap. legitur, dolet, quoniam *per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus sætorem suum ferre non poterat*: unde S. P. Augustinus serm. 343. num. 2. infert, Antiochum *non fuisse dignum*, cui misericordia à Domino præstaretur.

8. Quæ ex Novo.

Opp. 2. Sunt in novo testamento loca quædam expressa & perspicua, ex quibus constat dari aliquod peccatum prorsus irremissibile. Primus locus est Matth. XII. 31. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Similia habentur Lucæ XII. 10. & Marci III. 29. Alter locus occurrit in Epist. ad Hebr. cap. VI. 4. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Tertius habetur in eadem Epistola cap. X. 26. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Habetur quartus in prima Joannis Epistola cap. V. 16. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Sunt ergo aliqua peccata prorsus irremissibilia, id est, blasphemia in Spiritum sanctum, apostasia, & peccatum, quod à Joanne dicitur *ad mortem*, sive idem cum apostasia sit, sive diversum.

9. Paritas.

Resp. primum testimonium ex Matthæo depromptum opponi hæresi Novatianæ: primo, quia si omnis blasphemia, & omne peccatum remittitur, cur hæretici *alligant vincula quæ non solvunt? cur nodos nectunt quos non relaxant?* inquit Ambros. libro 2. de Pœnit. cap. 4. num. 20. præterea, quia si Filius æque ac Spiritus sanctus est Deus, & nihilominus blasphemia in Filium remittitur; igitur

igitur non à gravitate peccati sed aliunde repeti debet, quod aliquod peccatum non remittatur. Deinde (ut directe respondeam) dico blasphemiam in Spiritum sanctum, quæ nunquam remittitur, juxta Augustinum Serm. 71. de Verbis Evangelii Matthæi num. 23. esse *peccatum impœnitentiæ contra donum Dei, & gratiam regenerationis vel reconciliationis, quæ fit in Ecclesia in Spiritu sancto*, E. G. peccatum hæreticorum, & schismaticorum, quos non pœnitet ejus peccati, quo alieni sunt ab Ecclesia Dei; in qua per gratiam Spiritus sancti fit remissio omnium peccatorum. Tale utique peccatum nunquam dimittitur, cum extra Ecclesiam gratia, remissio, & salus haberi nequeant. Tournely de Pœnit. pag. 21. ait juxta Patres alios, præsertim Hieronymum in Matth. Pacianum, & Ambrosium cit. loc. blasphemiam in Spiritum sanctum eam esse, qua veritas manifesta impugnatur, & Christi miracula dœmoni tribuuntur; videri autem interpretationem Augustini falsam esse, quia nec blasphemia in Filium remittitur, si cum impœnitentia finali sit conjuncta. Idem scripserat Bellarminus lib. 11. de Pœnit. cap. 16. sed (quod honore debito dictum sit) non videntur prælaudati viri Augustinianam doctrinam assecuti. Non enim docet S. Pater, blasphemiam in Spiritum sanctum esse duntaxat impœnitentiam finalem; sed docet, blasphemiam in Spiritum sanctum esse dividi à Christo, & velle extra unitatem corporis ejus remissionem peccatorum, ita, ut si quis ab Ecclesia separatus agat pœnitentiam, & non redeat ad unitatem, nequaquam salvari possit: unde citato sermone 71. hæc subjicit: *Si quemquam extra Ecclesiam suorum pœniteat peccatorum, & hujus tanti peccati, quo alienus est ab Ecclesia Dei, cor impœnitens habeat, quid ei prodest illa pœnitentia, cum isto solo verbum dicat contra Spiritum sanctum, quo extraneus est ab Ecclesia, quæ accepit hoc donum, ut in ea in Spiritu sancto fiat remissio peccatorum?* Et epistola ad Bonifacium 185. alias 50. exponens quale sit peccatum, quod nunquam dimittitur, iniquit: *Hoc est autem duritia cordis usque ad finem vitæ, qua homo recusat in unitate corporis Christi, quod vivificat Spiritus sanctus, remissionem accipere peccatorum.* Similia habet cap. 82. Enchiridii num. 22. Igitur in sententia Augustini vere, ac proprie nunquam blasphemia in Spiritum sanctum dimittitur, quia nunquam est particeps divinæ charitatis qui hostis est unitatis, & neminem extra corpus Ecclesiæ vivificat Spiritus sanctus; sed qui in Ecclesia est, tametsi dicat blasphemiam in Filium, si pœniteat, veniam consequitur quærens Spiritum sanctum in corpore Christi; dum econtra ab Ecclesia alienus, repugnans gratiæ, & non rediens ad corporis unitatem, vivificari nequit Spiritu Christi, qui est Salvator tantummodo corporis sui. Arbitror eadem cum Augustino sentire beatum Ambrosium: qui posteaquam præcit. cap. 4. ait blasphemiam in Spiritum sanctum esse illorum iniquitatem, qui dixerunt in Beelzebub Christum dæmonia ejicere; docet in iis eos designari, *qui membra Christi discerpunt, & separant Ecclesiam Domini*, additque num. 24. in horum numero comprehendi *omnium temporum hæreticos & schismaticos, quibus indulgentiam non negat; quod omne peccatum circa singulos est, hoc in universos. Soli enim sunt, qui volunt solvere Christi gratiam, qui Ecclesiæ membra discerpunt, propter quam passus est Dominus JEsus, Spiritusque sanctus datus est nobis.* Hinc vero non sequitur, ut dicam paulo infra, irremissibilia esse schismaticorum, hæreticorumque peccata; sed tantum sequitur remissionem non haberi extra Ecclesiam. Puto etiam Augustinianam expositionem plurimùm Evangelico textui cohærere: nam Dominus arrepta occasione dœmonii à se ejecti demonstrat pervenisse ad nos regnum Dei, alligari à se fortem, & diripi domum ejus, atque omnes, qui à se segregantur, stare contra se; his autem expositis, statim subjicit quæ supra objecta sunt: *Ideo dico vobis, Omne peccatum, & blasphemia, &c.* Quænam est ergo blasphemia in Spiritum sanctum irremissibilis, nisi eorum pervicacia, qui ad regnum Beelzebub, domumque direptam, id est, extra Ecclesiam confugientes putant salvari, ubi non est salus, atque ex arbore mala percipere fructum bonum? Hæc autem dicta sint de Augustiniana interpretatione, quæ utique plana est, atque omnino dirimit objectionem. Cæterum si velimus blasphemiam in Spiritum sanctum in præcitato Matthæi textu esse pervicaciam illorum, qui manifestam veritatem oppugnant, & Christi miracula tribuunt virtuti dœmonum (quod utique ob auctoritatem aliorum Patrum asseritur recte, neque à nobis refellitur) duplici ex causa dicitur peccatum istud irremissibile: primum, quia hujusmodi peccatum neque ex ignorantia, neque ex infirmitate procedit, ideoque non habet illam spem resipiscentiæ, quæ oritur ex veritatis assecutione,

cutione, per quam depellitur ignorantia, atque ex depressione terrenarum cupiditatum, per quam sanatur infirmitat. Deinde, quia hebraica phrasi dici solet, *Hoc fiet, istud vero non fiet*, ad commostrandum multo esse difficilius id, quod posterius ponitur, ut Isaiæ LIV. 10. *Montes commovebuntur & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te;* & Matth. V. 18. *Donec transeat cœlum & terra*, aut XXIV. 35. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Ad hunc modum Virgilius Eccl. I.

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces:
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Planus ergo verborum, quæ objiciuntur, sensus est, peccatum apertissimam veritatem negantium cæteris difficilius remitti: unde in hunc locum Chrysostomus Hom. 42. pag. 391. τί οὖν ἐστιν ὁ φησιν; ὅτι ὑπὲρ πάντα αὕτης ἡ ἁμαρτία ἀσυγνωστον. *Quid igitur est, quod dicit? Significare voluit, præ omnibus hoc peccatum minus esse ignoscibile.*

Alterius loci sensus est, illos, qui semel per sacramentum baptismi renovati sunt, si rursus in peccata labantur, non posse repetito baptismate consequi amissam regenerationis gratiam; quoniam sicuti Christus semel mortuus est, ita semel in baptismate consepulti sumus in Christo; ejusdemque baptismatis iteratio est maxima injuria facta Domino, quasi semel affixus cruci rursus mori debeat ad exhaurienda peccata. Id vero non facit, quin patrata à baptizatis crimina deleri possint per Pœnitentiam; semel enim renascimur, & innovamur, sed liberari à vetustate, ac sanari possumus iterum, iterumque; quemadmodum & carne semel gignimur, semel nascimur, deperditam autem valetudinem sæpe sæpius instauramus. Tradit hanc responsionem S. Epiphanius h. 59. pag. 495. S. Joannes Chrysostomus Hom. IX. in Epist. ad Hebræos, & S. Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 2. num. 8. eamque legitimam esse idem Patres ostendunt. Nam Epiphanius advertit Apostolum loqui adversus eos, qui Judaicis moribus assueti volebant baptismum itentidem usurpare, (quod constat ex principio ejusdem capitis sexti) illorumque pœnitentiam, & saniora consilia ipsum Apostolum confidenter expetere, prout apparet ex versu nono, & sequentibus. Chrysostomus insuper expendens ea verba, *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei*, demonstrat hæc quadrare in baptismum, in quo crucifigitur vetus homo, in quo consepulti sumus cum Christo in mortem, & in quo conformes facti sumus similitudini mortis ejus, sicuti ad Rom. VI. & ad Ephesios IV. scribit ipsemet Paulus. Eadem Ambrosius repetit, addens Apostolum, qui donavit Corinthio peccatum per pœnitentiam, non potuisse adversus factum suum prædicare, propriamque sententiam reprehendere. Inconcussa est itaque hæc responsio; quamquam nonnulli malint aliam adhibere, scilicet, quod in Epistola ad Hebræos Paulus sermonem instituat de crimine apostasiæ, quod perraro & difficulter ob causas paulo supra productas dimittitur; adeo, ut *Impossibile* dicatur ab Apostolo quod arduum, & difficillimum est, usitata in sacris literis phrasi, ut diximus lib. 2. cap. 6. explicantes quot modis dicatur aliqua res *impossibilis.*

Valet præcitata responsio ad solvendum quod objicitur tertio loco. In cap. enim X. ejusdem Epistolæ nomine *hostiæ* intelligitur mors & passio Christi, cui in baptismate configuramur. Audiatur S. Joannes Chrysostomus Hom. XX. pag. edit. Commel. 1884. *Hic rursus nos adoriuntur, qui tollunt pœnitentiam, & quicunque cunctantur venire ad baptismum. Hi quidem dicunt non esse eis tutum venire ad baptismum, siquidem non est secunda remissio: illi vero dicunt non esse tutum eos, qui peccaverunt, impertiri mysteriis, siquidem non est secunda remissio. Quid ergo dicemus utrisque? Quod hic non tollit pœnitentiam, neque eam, quæ per pœnitentiam fit, placationem; neque expellit, aut dejicit per desperationem eum qui lapsus est. Non est utique adeo inimicus nostræ salutis: sed secundum aufert lavacrum. Non enim dixit, non est amplius Pœnitentia, neque est amplius remissio: sed, non est amplius hostia, hoc est, non est amplius crux secunda: hoc enim vocat hostiam, &c.*

Quod opponitur ex epistola prima Joannis, solvitur ab Augustino lib. de Corrept. & gratia cap. 12. num. 35. dicendo, peccatum illud esse *Fidem, quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem.* Enimvero de quocunque pessimo peccatore in hac vita constituto non est desperandum; nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.

ratur. Quamquam vero de peccato *ad mortem* possunt multa & diversa sentiri, ut ibidem ait Augustinus; videtur tamen hæc responsio cæteris præferenda, quod plana sit, expedita, necnon confirmata canone quinto secundæ Nicænæ, sive VII. Synodi: *Peccatum ad mortem est quando quidam peccantes incorrepti persistunt.*

10. Quæ opponuntur ex PP.

Opp 3. Permulta sunt testimonia Patrum asserentium peccata regeneratorum esse irremissibilia, apostasiam præsertim, & blasphemiam in Spiritum sanctum, manifestæ scilicet veritatis oppugnationem; aut si Pœnitentiæ locum dedere, ejus vim denegarunt comparatè ad peccata graviora, & post consecutam semel remissionem perpetrata. Hermas enim, Pastor dictus, similitudine VIII. libri III. pag. 110. de iis, qui Deum abnegaverunt, inquit: *His igitur non est locus pœnitentiæ.* Tertullianus de Pudicitia cap. 1. de quodam edicto promulgato à Zephyrino Pontifice scribit: *Audio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium; Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. O edictum, cui adscribi non poterit, Bonum factum!* De Pœnitentia autem cap. 7. *Collocavit* (inquit) Deus *in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat; sed jam semel, quia jam secundo, sed amplius nunquam, quia proxime frustra.* Auctor Constitut. Apost. l. 2. cap. 23. pag. 233. ait: *Si quis instructa veluti acie rebellis delinquat tentans Deum quasi malos non insectantem; hujuscemodi venia carebit.* Origenes & Theognostus laudati à S. Athanasio Epist. ad Serapionem num. 9. docuerunt, illos, quibus in baptismate Spiritus sanctus tribuitur, si ad peccata redeant, non consecuturos remissionem: idemque Athanasius proximo num. 12. approbat sententiam illam, si restringatur ad blasphemiam in Spiritum sanctum; quam proximo num. 16. adscribit Pharisæis, qui ajebant Beelzebulis esse Christi opera, nec erubescebant in diabolum transferre Dei potestatem!, concludens juremerito Salvatorem declarasse, quod istiusmodi blasphemia nec veniam habeat nec remissionem. S. Cyprianus in lib. de lapsis pag. 379. demonstrat, nec Moysen pro peccatis populis orantem obtinuisse peccatoribus veniam, atque his insuper applicat quæ leguntur Ezech. XIV. 20. Si *Noe, Daniel, & Job fuerint in medio ejus, vivo ego, dicit Dominus, quia filium & filiam non liberabunt.* S. Pacianus Epist. 3. tom. IV. Biblioth. Patrum pag. 312. postquam ait blasphemiam in Spiritum sanctum esse cæcitatem, qua impius non vult videre quod videt, deputatque diabolo sancti Spiritus opera, *Hoc est ergo* (inquit) *quod non dimittetur; reliqua bonis pœnitentibus, frater Symproniane, donantur.* Ambrosius etiam lib. 2. de Pœnit. cap. 4. num. 24. testatur hæreticis, & schismaticis denegari indulgentiam, prout diximus paulo supra: atque de lapsu Virginis consecratæ cap. 8. num. 38. *Inhære,* inquit, *pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die veniam dari, quia decipit te qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim proprie in Dominum peccasti, ab ipso solo te convenit in die judicii expectare remedium.* Postremo S. Hieronymus in cap. XII. Matth. tom. IV pag. 50. scribit: *Qui autem manifeste intelligens opera Dei, cum Dei virtutem negare non possit, eandem stimulatus invidia calumniatur; & Christum Deique Verbum, & opera Spiritus sancti, dicit esse Beelzebub; isti non dimittetur neque in præsenti sæculo, neque in futuro.* Et Epistola ad Marcellam eod. Vol. pag. 164. demonstrat adversus Novitianos verbum in Spiritum sanctum non esse culpam illorum, qui tormentis compulsi, & variis eviscerati cruciatibus Dominum negant, sed eorum, qui cum in virtutibus videant opera Dei, calumniantur, & clamitant dæmonis esse virtutem. Atque istorum peccatum fatetur irremissibile his verbis: *Probet itaque Novatianus aliquem de his, qui sacrificare compulsi sunt ante tribunal judicis, respondisse omnia, quæ in Evangelio scripta sunt, non à filio Dei, sed à Beelzebub principe dæmoniorum fuisse perfecta; & tunc poterit approbare irremissibilem in Spiritum sanctum esse blasphemiam.* Et paulo infra: *Doceat igitur aliquem negatorem Beelzebub vocasse Christum, & ultro referam gradum, negatorem non posse veniam consequi post ruinam.*

11. Diluuntur.

Resp. Patres, qui peccata aliqua dixerunt *irremissibilia*, aut locutos fuisse de iis, qui peccare nunquam desistunt, aut de iis, qui deficientes à Christo degunt inter Ethnicos, vel propter hæreses vel schismata separatos, aut locutos de iis criminibus, quæ non infirmitatate, aut ignorantia, sed plena & prorsus inexcusabili perversitate patrantur, ideoque dicuntur *irremissibilia*, quia in se nihil habent excusationis, & quia difficilius, quam peccata reliqua, condonantur. Hanc esse mentem Pastoris inde constat, quod eadem similitudine 8.

posteaquam descripsit plura genera hominum, qui justo judicio deseruntur à Deo, & traduntur in reprobum sensum, concludit: *Qui si cito pœnitentiam egerint, in turri sedem habebunt; si vero tardius egerint, in muris habitabunt; si autem non egerint, mortem sibi acquirent.* Hermas itaque de impœnitentibus & pervicacibus verba facit. Idem præstat Pseudo-Clemens, sive Auctor Constitut. Apostolicarum; quamvis huic diversi diversa reponant. Post objecta enim verba immediate prosequitur, *Venia carebit, licet secum ipse dicat, Bene mihi sit, ambulabo in consuetudine cordis mei pravi; qualis exstitit Amon Manassis filius. Ait enim Scriptura: Et decepit se Amon mala cogitatione transgressionis, & dixit, Pater meus à puero multa inique egit, & in senectute pœnitentia ductus est; & nunc ego ambulabo prout desiderat anima mea, & postea ad Dominum me convertam.* Amon vero in hac perversa cogitatione, insidiis servorum interfectus est, ut lib. IV. cap. 21. narrat sacra Regum historia. Legitur in Constitutionibus Apostolicis initio ejusdem capitis: *Gravius delictum idololatria non reperitur; est enim in Deum impietas: nihilominus tamen & illud per sinceram pœnitentiam condonatum est.* Quæ verba è diametro Novatianæ hæresi sunt opposita. At Tertullianus, cum edidit librum de Pudicitia, jam defecerat ad Montanistas: quare hujus libri auctoritate nullatenus permovemur, tametsi de solo mœchiæ crimine differat, & disciplinam Ecclesiæ lapsos recipientis, quam alibi commendaverat, non vim pœnitentiæ ibidem reprehendat. In libro autem de Pœnitentia demonstrat non ideo hanc esse institutam, ut pateat aditus delinquendo, præmittens præclaram illam sententiam: *Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur.* Hinc infert pœnitentem ita debere esse comparatum, ut semel Deo reconciliatus, nunquam prævaricetur in posterum: atque de his, qui iterum deliquerint, è vestigio prosequitur: *Verum non statim succidendus, ac subruendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis iteranda medicina est.* Origenis & Theognosti sententiam officiose præterire possumus, maximè quod num. 12. prælaudatæ ad Serapionem epistolæ scribat Athanasius, *ambiguam* illam esse, atque *indigere mediocri quadam inquisitione.* Deinde respondeo ab Origine, & Theognosto duo affirmari, auctore citato in loco Athanasio, primum blasphemiam in Spiritum sanctum esse, *cum ii, quibus in baptismate donum Spiritus sancti tribuitur, ad peccata recidunt,* ὅταν οἱ καταξιωθέντες ἐν τῷ βαπτίσματι τῆς δωρεᾶς τοῦ ἁγίου πνεύματος, παλινδρομήσωσιν εἰς τὸ ἁμαρτάνειν, alterum hos *remissionem minime consecuturos,* μηδὲ ἄφεσιν αὐτοὺς λήψεσθαι. Ac prior hujus sententiæ pars refellitur ab Athanasio num. 12. & 13. quoniam blasphemiæ in Spiritum sanctum accusantur Pharisæi, qui lavacrum regenerationis non acceperant; & Paulus Corinthium, qui post baptismum peccaverat, pœnitentem in charitate firmavit, iterumque reformare studuit Galatas retrorsum abeuntes: quod, ut mox dicam, asseruit itidem ad Marcellam scribens Hieronymus. Quod vero baptizatorum peccata non remittantur, Origines non *absolute* affirmavit, sed comparate ad peccata eorum, qui delinquunt ante susceptum baptismum, attendens ad disciplinam, qua olim lapsi rejiciebantur à fidelium communione; nam lib. 3. contra Celsum pag. 154. edit Cantabr. hæc de Deo scribit: *Qui peccata sua damnant toto pectore, seque ipsos deflent ac lugent tanquam ob malefacta merito perditos, ac mox mutationem præseferunt, quæ resipiscentes decet, eis demum propter mutatam in melius mentem condonat errata præterita.* Idem vero credendum est sensisse Theognostum, cujus opera perierunt. De Cypriano, dicam cap. XV. Quantum ad Athanasium, qui blasphemiam in Spiritum sanctum appellat *irremissibilem*, id S. Doctor pronunciat suppositâ conditione, quod hujus criminis rei in pervicacia persistant, quod utique ob malitiæ perversitatem ut plurimum contingit. Etenim eadem Epistola num. 22. blasphemiam illam adscribit etiam Arianis, qui cum cernerent Dominum divina opera facientem, illum creatis rebus annumerabant, affirmatque Arianorum & Pharisæorum errores inter se collatos esse consimiles, & utrosque in vallem amaræ stultitiæ confertim esse collapsos, additque num. 23. illis verbis; *Qui vero dixerit adversus Spiritum sanctum, non remittetur ei*, declarasse Dominum, *tam illis, quam istis nullam fore supplicii debiti remissionem.* Et nihilominus Athanasius in Synodo Alexandrina, cui interfuerunt Eusebius Vercellensis, Asterius Arabs, & Episcopi

Episcopi ex Ægypto quamplurimi, anno 362. decrevit Arianos esse recipiendos, modo ejurarent hæresim, & Nicænam fidem amplecterentur. Vide Athanasii Vitam præmissam editioni Maurinæ pag. LXXIX. Censuit ergo Athanasius blasphemiam in Spiritum sanctum, accedente pœnitentia, remitti: omnemque dubitationem eliminat, dum in libro de communi Essentia Patris, Filii, & Spiritus sancti num. 69. ait: *Sunt alii, qui in Spiritum sanctum impingunt: qui scilicet in Christi Deitatem blasphemiam dicunt, ajuntque, In Beelzebub principe dæmoniorum, ejicit dæmonia. De istis intelligendum est, quod ait: Non remittetur neque in præsenti sæculo, neque in futuro. Quin & hoc observandum est, non dixisse Christum blasphemanti, & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti, idest, in blasphemia perseveranti. Quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum illis, qui vere ex animo, & ut par est pœnitentiam agunt.* Idem de S. Paciano asserendum est: qui enim nolunt videre quæ vident, sunt impœnitentes, & sponte in malo obdurati. Quare ibidem monetur lector, ne Paciani verba pravo accipiat sensu, cum eadem Epistola demonstret Ecclesiæ potestate quælibet peccata remitti, extendi hanc potestatem ad omnia crimina quantumvis gravia, & Novatianos aperte refutari Dominica sententia, *Quæcunque solveritis, erunt soluta*; siquidem, ait ibidem Pacianus, *Cum Christus hæc dixit, nihil excepit, non magna, non modica peccata.* Ad Ambrosium quod attinet, sunt qui ajunt dixisse blasphemiam in Spiritum sanctum irremissibilem *figura concessionis;* neque enim evincerent Novatiani quælibet graviora crimina baptizatorum non posse relaxari ab Ecclesia, etiamsi gratis daretur unum tantum inveniri scelus inexpiabile. Præterea Joannes Morinus libro IX. de Pœnit. cap. 28. num. 6. 7. & 8. non veretur concedere tam Ambrosium, quam alios Patres, etiam cum Ecclesiæ auctoritatem amplificant, & videntur nullum peccatum excipere quod nequeat ab illa condonari, in universali assertione non comprehendere unum illud prævaricationis crimen, quod in Evangelio appellatur verbum contra Spiritum sanctum. Neutram vero responsionem probo. Nam Ambrosius lib. 1. de Pœnit. c. 2, n. 5. de Novatianis ait: *Si unum tantum crimen exciperent sacrilegii, cui veniam negarent, dure quidem, sed tamen divinis tantum redargui viderentur sententiis, assertionibus tamen suis convenirent. Dominus enim nullum crimen excepit, qui peccata donavit omnia.* Non ergo Ambrosius concedit unum aliquod scelus inexpiabile; sed ait duntaxat, fore tolerabiliorem, suisque principiis & ratiocinationibus magis consentaneam sententiam Novatianorum, si irremissibile dicerent unicum tantum crimen; quamquam & id nimis dure affirmaretur, ac posse divinis testimoniis revinci. Imo eodem cap. IV. lib. 2. de Pœnit. ubi Ambrosius inquit denegari indulgentiam hæreticis, quos reos censet blasphemiæ in Spiritum sanctum, blasphemiam ipsam plurimis Judæorum condonatam fuisse fatetur. Ipse denique Morinus in Admonitione ad Lectorem posterius addita testatur nullum revera dari peccatum prorsus irremissibile, ac Patres accipiendos de quibusdam circumstantiis, *propter quas Deus interdum subtrahit impiis pœnitendi auxilia.* Rejectis itaque responsionibus istis, dico S. Ambrosium cap. 4. lib. 2. de Pœnit. asserere irremissibile crimen hæreticorum, quoadusque vivunt *extra unitatem Ecclesiæ*, ut supra dixi mentem S. P. Augustini explicando. Afferens namque ad exprobrandum crimen discerpentium membra Christi Evangelicam sententiam, *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum;* quæ legitur eodem capite XII. Matth. ubi de blasphemia in Spiritum sanctum fit sermo, *Arbor itaque* (ait Ambrosius) *congregatio est, fructus bonæ arboris filii Ecclesiæ sunt:* ac statim orationem convertens ad Novatianos, *Et ideo*, inquit, *revertimini ad Ecclesiam, si qui vos separastis impie; omnibus enim conversis pollicetur veniam, quia scriptum est, Omnis quicunque invocaverit nomen Domen Domini, salvus erit. Denique etiam Judæorum populus, qui dicebat de Domino JEsu, Dæmonium habet, qui dicebat, In Beelzebub ejicit dæmonia, qui crucifixit Dominum JEsum, Petri prædicatione vocatur ad baptismum, ut sceleris tanti merita deponat.* Igitur manifesta res est, S. Ambrosium appellasse inexpiabile hæreticorum scelus pro eo tempore, quo segregantur à Christi membris, eundem Ambrosium consentire Augustino in explicanda blasphemia contra Spiritum sanctum, utrique assentiri Athanasium; nullamque in istorum Patrum sententiis remanere, præmissa Augustiniana doctrina, speciem difficultatis. In eiusdem Ambrosii libro de lapsu Virginis nulla offenditur difficultas, si attendatur severa illius temporis disciplina

plina denegandi in vita indulgentiam prolapsis in execranda flagitia. Nil ergo aliud innuit S. Doctor, nisi mulierem illam, Susannam nomine, quæ post promissam ad aras virginitatem, sæpius ab impudico adolescente vitiata, cum maxima plurimorum offensione, & cum summo generis sui dedecore conceptum infantem dicebatur necasse, debere in pœnitentia ad extremum usque vitæ persistere. Cæterum eo in libro lapsam ad pœnitentiam stimulans, eamque ita alloquens, *Sed tu, quæ jam ingressa es agonem pœnitentiæ, insiste misera; fortiter inhære tanquam in naufragiis tabulæ, sperans per ipsam te de profundo criminum liberari;* hæc, inquam, auctor scribens demonstrat quam alienus sit ab hæresi Novatiana. Atque hinc etiam apparet eos falli, qui ob apprehensa hæreseos vestigia eundem librum abjudicarunt Ambrosio, cum Riveto, Coco, Erasmo, & aliis; de quibus legenda *Admonitio* Patrum S. Mauri tom. 2. pag. 304. Postremo S. Hyeronymus Comment. in Matth. & in Epistola ad Marcellam scribit utique blasphemiam in Spiritum sanctum nunquam remitti, sed hypothesi facta, quod improbi in perversitate permaneant, ut faciunt sæpenumero qui peccant non ignorantia, aut infirmitate, sed sola pervicacia malitiæ: non enim Hieronymus ignorabat, quæ adversus Novatianos ipse scripsit in præcitata ad Oceanum Epistola. Addo Hieronymum in Ep. ad Marcellam demonstrare adversus Novatianos blasphemiam in Spiritum sanctum non esse quodlibet mortiferum crimen baptizatorum: quod egregie probat iisdem fere argumentis, quibus in Epistola ad Serapionem usus est Athanasius, nimirum, quia Judæi de nece Domini cogitantes tali peccato non fuissent obstricti; & quia Petrus Apostolus ancillæ interrogatione perterritus Dominum negavit, & tamen flevit amare, ac trinam negationem trina postea confessione delevit. Inde vero Hieronymus infert falli Novatianos, qui blasphemiam in Spiritum sanctum lapsis omnibus impingebant, cum proprie blasphemia illa sit scelus eorum, qui Beelzebub vocant Christum, omniaque in Evangeliis tradita adscribunt principi dœmoniorum. Atque de hac etiam re ait fuisse *prolixius differendum*, commonstrans se Novatianorum alucinationem refutasse, prætermissa quæstione, Quo pacto blasphemia in Spiritum sanctum sit irremissibilis, de qua interrogatus non fuerat à Marcella. Hæc vero nos ad objecta Patrum testimonia respondemus: num recte, penes illos judicium sit, qui non solum Theologicas dissertationes, verum etiam ipsorum Patrum scripta perlegerint.

CAPUT IV.

Quid de prima Pœnitentiæ parte, id est, *Contritione* tradant unanimi sensu Doctores Catholici?

SUMMARIUM.

1. Quæ mens Tridentini circa partes Pœnitentiæ?
2. Rectè statuuntur tres partes.
3. Exclusis à ratione partis terroribus incussis.
4. Et fide.
5. Quid sit contritio?
6. Quale propositum requirat?
7. Quas ulteriùs conditiones?

1. Quæ Mens Tridentini circa partes Pœnitentiæ?

Diximus supra cum Tridentinis Patribus sess. XIV. cap. 3. esse *quasi materiam* hujus Sacramenti tres pœnitentis actus, Contritionem, scilicet, Confessionem, & Satisfactionem: in quo Catholici omnes conveniunt, etiamsi disceptare soleant Scoti, ac S. Thomæ discipuli, num hi actus sint sacramenti materia, ut inquiunt, *intrinseca*, an *objectiva*, seu extrinseca tantum. Horum itaque dissidium Scholasticis exercitationibus indefinitum relinquens Synodus sacrosancta, caute actus illos, non materiam, sed *quasi materiam* appellavit, tradiditque requiri actus ipsos in pœnitente ad integritatem sacramenti, & ad plenam perfectamque remissionem peccatorum. Mens enim ejusdem Synodi erat perstringere Novatorum errores, ac præsertim Lutheranorum, qui duas tantum Pœnitentiæ statuerant partes, *terrores conscientiæ incussos agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, seu absolutione, qua quis credit sibi remissa esse peccata.* Hanc hæreticorum doctrinam expressam articulo XII. confessionis

Augustanæ, ipsâ Tridentina Synodus canone IV. ejusdem sessionis ferit anathemate. Illa namque hæreticorum assertio multiplici ex capite falsa est; ac primo male pœnitentiæ partem vocat incussos terrores; male etiam his annumerat fidem; male absolutioni attribuit munus Evangelii; male denique confessionem peccatorum, & satisfactionem explodit. Hæc tamen coacti sunt hæretici evomere, repetentes justificationem à sola fide.

2. Rectè statuuntur tres partes.

Principio itaque conveniunt Catholici in tribus illis partibus constituendis, requirentes ex parte pœnitentium contritionem cordis, confessionem oris, atque satisfactionem operis. Etenim cordis contritionem, etsi male in incusso terrore constituunt, necessariam tamen agnoscunt iidem hæretici, eamque commonstrant loca Scripturæ producta priori in capite, atque paulo post repetenda. Cætera duo studiosius suis in locis tradentur. Omnia tria simul comprobat ratio Sacramenti, quod per modum judicii institutum est; & in quo peccatoris resipiscentia atque dolor necessariò requiritur ad vitæ emendationem, & tanquam obtinendæ reconciliationis dispositio: peccatorum confessio præmittenda est, ut judex cognita causa sententiam proferre possit; satisfactio denique, ut injuria Deo illata compensatione aliqua reparetur. Præterea tres ipsas partes commemorat S. P. Augustinus scribens in Psalmum CXLVI. v. 3. *Sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat se ipsos punientes.* Partes easdem viri docti permultis rationibus comprobant. Quidam ajunt peccatores contritione Deum, confessione Ecclesiam, satisfactione proximum sibimetipsis conciliare. Alii pœnitentem filio prodigo comparant, qui vitam pristinam detestatus, & ad pedes patris provolutus, sese hujus disciplinæ subjiciens tres illos actus præmonstravit. Hos nonnulli explicant exemplo Publicani, de quo legimus dolore perculsum noluisse oculos ad cœlum levare, se accusantem clamasse, *Deus propitius esto mihi peccatori*: pectusque tundentem suum exhibuisse opera pœnitentiæ. Afferunt scripturarum interpretes pœnitentiam Ninivitarum, quibus Jonas contritionem indicens ait, *Convertatur vir à via sua mala*; confessionem insinuans inquit, *Et clament ad Dominum in fortitudine*; & satisfactionis præscribens opera dixit, *Operiantur saccis homines, & jumenta.* Sunt & qui docent peccatorem domi mortuum esse cum filia Archisynagogi: in foribus cum filio viduæ, & in sepulchro cum Lazaro: revocari autem ad vitam domi per contritionem, in foribus per confessionem, in sepulchro per satisfactionem. Sed horum plura symbolica sunt potius, quam firma & inconcussa argumenta.

Nos ergo iis, quæ priori loco proposita sunt, addemus aliqua, duas illas pœnitentiæ partes ab hæreticis constitutas perspicue oppugnantia. Ac principio *terrores incussi* non sunt contritio, sed illud potius, unde contritio nascitur; quamvis hæc non uno ex capite oriri possit. Deinde contritio ac pœnitentia virtus est, non quatenus importat necessariam, indeliberatam, & extrinsecus provenientem *passionem*; sed prout dicit motum aliquem liberum, rectamque voluntatis electionem. Vide S. Thomam 3. p. q. 85. art. 1. ad 2. At terror incussus *passionem* dicit, externa pœnarum intimatione excitatam, non electionem, non propositum voluntatis, non liberum aliquem motum: igitur terror ipse neque pœnitentiæ, neque contritionis, neque virtutis alicujus rationem habere potest. Docent præterea hæretici nasci terrores, quos *contritionem* appellant, cum verbo Dei redarguuntur peccata. Cur autem peccata arguuntur, nisi ut peccator percipiens patratorum à se criminum fœditatem, debitumque supplicium, concutiatur timore? Terrores igitur illi ex culpæ discussione, suppliciique atrocitate peccatoribus incutiuntur. At per hæreticos, quos oppugnamus, dolor proveniens ex terrore, pœnarumque formidine, non pœnitentem aliquem facit, sed hypocritam magis & peccatorem. Igitur terrores illi nequeunt, in hæreticorum sententia, salutaris pœnitentiæ pars esse. Insuper si terrores pars pœnitentiæ dicendi sunt, quoniam Evangelium redarguens peccata terrores incutit: cur pœnitentiæ pars non erit spes, cum Evangelium gratiam remissionemque promittens spem excitet? cur non charitas, cum hanc Evangelium præcipiat? Cur non virtutes aliæ, ad quas nos Evangelium hortatur? Recte Andreas Leodius in Harm. Confess. Augustanæ p. 235. *Si ita philosophari oporteat* (quemadmodum philosophantur hæretici, dum statuunt duas illas pœnitentiæ partes, terrores incussos, quia Evangelium arguit peccata, & fidem, quia docet propter Christum remitti) *cur pari ratione spem, charitatem, Dei timorem, temperantiam, castitatem, cæteraque virtutes non faciunt esse pœnitentiæ partes?*

3. Exclusis à ratione partis terroribus incussis.

Idem

4. Et fide.

Idem asserimus de fide, quam ad remissionem peccatorum esse necessariam Catholici omnes fatentur, sed pœnitentiæ partem esse jure negant. Non enim sequitur, *Fides ad pœnitentiam prærequiritur: ergo fides pœnitentiæ pars est*; sicuti non tenet illatio ista, *Cognitio dilectionem præcedit: igitur cognitio est dilectio, aut pars dilectionis.* Inepte etiam ratiocinantur hæretici, dum ajunt, *Fides est primum gratiæ donum, quod in peccatore causat pœnitentiam: igitur fides est pœnitentiæ pars*; quemadmodum ineptissimè quis ratiocinaretur ad hunc modum, *Deus est rerum creatarum effectrix causa; ergo & pars earundem.* Ipsis quoque hæreticorum principiis doctrina eorum subruitur. Primùm quia fidem post terrores incussos enumerant. Qui autem non credit Deum iniquis indignari, eosque perdere in gehennam, nec Dei timet indignationem, nec gehennæ sempiterna supplicia. Fides itaque præcedit, non subsequitur incussionem terroris. Docent præterea hæretici veram fidem in peccatore non esse: quando igitur peccatori offertur per Evangelium remissio, quomodo potest credere, & justificari per fidem? Rursus asserunt oportere, ut peccator credat fide per charitatem formata; alibi vero propugnant fidem charitate formatam nunquam in peccatore inveniri; aliis itidem in locis hominem justificari absque charitate, & absque ullo opere per solam fidem. Quisnam maximam hic non miretur incohærentiam? Enimverò si proponente Evangelio remissionem peccatorum iniquus habeat fidem charitate formatam; necessum est, ut sit justus, priusquam ei tribuatur remissio: si fides illa sit absque charitate, nec donum Dei est in istorum hæreticorum sententia; si verò charitati sit conjuncta, non ergo justificat, ut ipsi autumant, fides sola. Quapropter hæreticam doctrinam tres pœnitentiæ partes negantem, constituentem vero ipsam pœnitentiam in fide atque in terrore per Evangelium incusso, rectissime confixit Leo X. cum reliquis Lutheri articulis; appellarunt traditioni universæ Ecclesiæ contrariam Carolus V. & Catholici Principes in Augustanis Comitiis; damnavit prælaudato canone IV. Synodus Tridentina; Philippus ipse Melanchthon Confessionis Augustanæ architectus eodem anno 1530. coactus est tres pœnitentiæ partes fateri, quamvis paulo post illas in Apologia iterum obruere molitus sit: execrati demum sunt hæreticam illam de Pœnitentia doctrinam quotquot Confessionem ipsam animadversionibus dispunxerunt, Cassander, Leodius, Hoffmeisterus, Virvesius, deinceps verò innumeri Catholicorum dogmatum propugnatores.

5. Quid sit Contritio?

Tribus igitur Pœnitentiæ partibus constitutis, *Contritio*, quæ in his prior em habet locum, definitur à Tridentinis Patribus, *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Fatentur autem Theologi, quod hunc dolorem atque detestationem præcedat fides, timor, spes, & aliqua etiam dilectio. Ad justificationem quippe disponimur, dum excitati, & adjuti divina gratia, fidem ex auditu concipientes, libere movemur in Deum, credentes quæ divinitus revelata & promissa sunt. Porro inter ea, quæ sunt revelata, non solum connumerantur Unitas, ac Trinitas divinarum Personarum, & Incarnationis Oeconomia, verum etiam Deum esse remuneratorem bonorum operum, vindicemque malorum, impios thesaurizare sibi iram in futurum, venturum Dominum ad judicium, sempiternas fore damnatorum hominum pœnas, aliaque plura, quæ imbuti fide repetentes memoriâ, utiliter divinæ justitiæ timore concutimur; idemque propterea timor gignitur in nobis fide, supernum donum est, atque pœnitentiæ salutaris initium. Qui enim peccati vinculis innectuntur, nunquam fere se illis extricare curarent, nisi accepta per legem cognitione peccati, ad evadendum supplicium, quod peccati *stipendium* est, divina excitante gratia stimularentur. Quare Is. XXVI. 18. legitur: *A facie tua Domine concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum*; sive ut leguut LXX. *A timore tuo, &c.* In Proverbiis etiam XIV. 27. *Timor Domini spes vitæ, ut declinent à ruina mortis.* Hinc rectè sapienterque Scholastici docent initium pœnitentiæ esse *ex timore*; ut inquiunt Magister dist. XV. S. Thomas q. 75. art. 5. necnon sapientissimus Augustinus Tract. IX. in Epist. I. Joannis num. 4. *Timor primo occupat mentem.* Sed non sistit pœnitens in solo timore; verum perpendens impium justificari per gratiam Christi, & hunc esse propitiatorem pro totius mundi peccatis, à timore ad considerandam Dei misericordiam se convertens, in spem erigitur, fidens Deum propter Christum sibi propitium fore, ut sess. 6. cap. 6. docet præcitata Synodus Oecumenica. Atque ita præconceptum timorem spes firma consequitur. Tum vero spe fretus Deum tan-

tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiens movetur adversus peccata odio quodam, & detestatione, statuens cessare ab iisdem peccatis, & proponens novam inchoare vitam, adeo, ut peccatum, quod cœperat homini displicere propter supplicia, displiceat postea propter Dei offensam, & turpitudinem suam, prout citato art. 5. ad 1. ait S. Thomas. Ex his, quæ vellem propter ea, quæ subsequentur, sedulo adverti, & de quibus nulla apud Catholicos oriri potest dissensio, cum iisdem fere verbis tradantur à Tridentino Concilio sess. VI. cap. 6. & sess. XIV. cap. 4. ex his, inquam, infertur primo timorem servilem esse donum Dei, disponere ad gratiam, atque, ut ait Augustinus, *quasi locum præparare charitati*: infertur deinde, nos minime à pœnitentia fidem removere, quod insolenti verborum strepitu in comitiis Augustanis vociferabantur hæretici: denique infertur, assertam à nobis contritionem non esse extortam & coactam, sed libero arbitrii motu conceptam, ut fide tenendum est. At recole quæ de Justificatione scripsi libro XIX. cap. 4. & de timore libro XXIII. cap. 12.

4. Quale propositum requiratur?

Sequitur ex dictis, ad contritionem necessarium esse novæ vitæ propositum: idque Tridentinum citato capite IV. his verbis definit: *Declarat igitur sancta Synodus non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Solet duntaxat disputari, an propositum istud debeat esse explicitum, atque, ut Scholæ loquuntur, *formale*: quod nos probabilius existimamus cum Soto in IV. dist. 17. quæst. 2. art. 1. Cajetano ac Sylvio in supplem. 3. p. q. 1. Suaresio disp. IV. sect. 3. aliisque Theologis probatissimis. Ducimur autem his momentis. Primo ipsum *propositi* nomen deliberationem aliquam, & actualem voluntatis intentionem, susceptumque consilium sonat. Deinde producta Concilii verba eadem ratione vitæ veteris odium, ac vitæ novæ propositum in vera contritione contineri declarant. Ad hæc inter præcipuos pœnitentiæ fines est emendatio vitæ: emendare autem vitam præteritam, & inchoare novam sunt prorsus idem. Denique constat tutiorem esse hanc sententiam, nec in re magni momenti inconsideratè repudiandam. Joannes Pontasius ex doctrina Sylvii videtur tradere oppositum v. Contrit. casu. 4. & revera Sylvius citato in loco docet *ad essentiam contritionis* non requiri: ut hujusmodi propositum *sit formale*, atque expressum, quoniam, inquit, *tota definitio contritionis reperitur in eo, qui peccatum ex animo detestatur, doletque se illud admisisse, virtualiter proponens non amplius peccare.* At idem Sylvius hanc proximam conclusionem 3. subnectit: *Per se, seu ordinarie loquendo propositum non peccandi debet esse formale & expressum. Nam alioquin frustra hanc partem*, cum proposito non peccandi de cætero, *in definienda contritione addidissent Concilia Florent. & Trid. nisi intellexissent istud propositum, per se loquendo, debere esse explicitum, quia implicitum continetur in priori parte illa*, dolor de peccato commisso. *Fieri enim non potest, ut is ex animo doleat de præteritis, qui non statuit, saltem virtute, deinceps cavere similia.* Hæc Sylvius: qui propterea negat duntaxat necessitatem propositi expressi *per accidens*, nempe si pœnitens tota cogitatione defixus in detestanda vita præterita, in imploranda Dei misericordia, in excitando se ad amorem Dei, non dicat intra se, *Volo emendare vitam*; quoniam in illa detestatione includitur propositum, de quo est sermo: contingere namque potest, ut idem Spiritus sancti impulsus inspirans erga patrata scelera actum odii, excitet etiam melioris vitæ consilium: imo forte unum ab altero divelli nequit, si odium illud sit efficax. Hoc interim indubitatum est, Concilium, dum exigit ad contritionem non solum cessationem à peccato, & novæ vitæ propositum, sed etiam veteris odium atque detestationem, repellere articulum illum hæreticum, quo asseritur, *contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, non præparare ad gratiam Dei*, recte damnatum sess. XIV. can. 5. sive præter resipiscentiam, & melioris vitæ institutum, requirere amaritudinem animæ ponderantis peccatorum suorum multitudinem, ac fœditatem, quod Lutherani temere denegabant.

7. Ulteriùs quas conditiones?

Huic contritioni, quæ propositum melioris vitæ, odiumque anteactæ complectitur, has conditiones tribuunt unanimi sensu Theologi, ut interior sit, vera & non ficta, supernaturalis, omniaque peccata detestans. Atque necessariam esse interiorem animæ contritionem demonstrant cum præmissa Tridentini definitio, tum Scripturæ præcipientes, ut *toto corde* ad Dominum conver-

convertamur, ipsaque in animo sedem habens ratio virtutis ac meriti. Quapropter etsi commendandus est sensibilis dolor, quandoque in lacrymas gemitusque prorumpens; non est is tamen contritio verax, nisi animum diverberet & excruciet. Nimium hic videntur acuti, qui objectant dolorem nihil aliud esse, quam affectionem sensuum: nam & detestationem cordis dolorem appellat, qui Psal. XII. 2. ait: *Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?* Affectio etiam sensuum ex animo corporeis vinculis alligato nascitur in hominibus ratione praeditis. Sequitur conditio altera, ut contritio non sit fallax & adumbrata, qualis utique nequit esse, si oriatur *ex toto corde*. Cavendum propterea est, maxime in iis, qui detinentur peccati consuetudine, ne tenues quædam animi commotiones, & desideria inefficacia & sterilia existimentur veræ contritionis effecta. Oportet insuper, ut contritio sit supernaturalis; nam Innoc. XI. anno 1679. proscripsit hanc propositionem num. 57. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam:* ac Tridentinum Concilium sess. 6. can. 3. definivit neminem *sine Spiritus sancti inspiratione pœnitere posse, sicut oportet.* Qui ergo aut propter dedecus & infamiam, aut propter pœnas humanis legibus statutas, aut propter mortem corporis, morborumque vehementiam, aut etiam propter sceleris fœditatem, quatenus naturali honestati repugnat, patratorum criminum conscientia angeretur, is utique nondum haberet sufficientem contritionem, sed inutilem, extortam, & qualem præcedenti capite diximus fuisse in Antiocho. Demum contritio *universalis* esse debet, scilicet peccatorum omnium, quæ commissa sunt, detestatio. Cum enim peccatum detestandum sit, quatenus est offensa Deo illata, non possumus revera ob causam illam dolere, nisi odio habeamus quidquid summum Deum afficit injuria. Quare Ezechielis XVIII. 30. ait Dominus: *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Hæc ergo sunt, in quibus penitus consentiunt Doctores omnes Catholici.

CAPUT V.

Cujus generis dolor ad gratiam, remissionemque peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ consequendam sit necessarius?

SUMMARIUM.

1. Varia attritionis acceptio.
2. Quænam ad propositum.
3. Sententia hæreticorum de attritione.
4. Sententiæ Catholicorum quatuor.
5. Dicentes requiri *amorem initialem* non esse censurandos patet primò ex authoritate Pontificum.
6. Secundò ex Thesibus in publicis Academiis propugnatis.
7. Tertiò ex authoritate Theologorum veterum.
8. Specialiter ex S. facultate Parisiensi.
9. Iidem directè opponuntur hæreticis.
10. Quod manifestùs evincitur ex ipsis adversariorum responsis.
11. Quæ adducuntur, & applicantur.
12. Tridentinum non definivit sufficientiam attritionis servilis.
13. Claret ex Historia Tridentini.
14. Discutitur Decretum præconceptum, & prout modò extat.
15. Causa reformationis Decreti.
16. De qua attritione in priori Decreto sermo fuerit.
17. Sententia requirens *amorem initialem* est conformis Tridentino.
18. Quidquid excipiant AA.
19. Nec obstant quædam verba Decreti.
20. Addita postfimum propter hæreticos.
21. Alia adhuc responsio præcluditur.
22. Est insuper conformis S. Scripturæ.
23. Timor servilis videtur veniâ indignus.
24. Exemplum Magdalenæ bene servit ad propositum.
25. Sicut & effatum Apostoli. 1. ad Cor. c. 13. v. 3.
26. Et 2. ad Cor. 7. v. 10.
27. Reticitis pluribus.
28. Est etiam conformis Patribus.
29. Præsertim S. Augustino.
30. Et aliis plurimis.
31. Est denique conformis rationibus Theologicis.
32. Confirmantur dicta.
33. Confirmantur ulteriùs.
34. Minimè favetur Quesnellianis.
35. Quod metu fit, adhuc voluntariè fit.
36. Et laudabiliter.
37. Quin sufficiat ad Sacramentum Pœnitentiæ.
38. Quod fortiter urgetur in sententia Suaresii.
39. Novum Argumentum Theologicum.
40. Ultimum.
41. Roboratur insuper Authoritate scribentium ante Tridentinum.
42. Etiam eorum, qui Tridentino interfuerunt.
43. Et eorum, qui post illud scripserunt.
44. Imò & eorum, qui sunt contrarii.
45. *Amor* ille *initialis* debet esse Charitatis, & non solius spei.
46. Quamvis spes non excludatur.
47. Prout excluserunt Quietistæ.

1. Variæ attritionis acceptio.

PERUTILEM aggredior quæstionem, magnisque animorum contentionibus agitatam, sit ne ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ percipiendam necessarius dolor, qui aliquem Dei amorem includat; an ille sufficiat, qui concipitur ex supernaturali timore gehennæ, cui nulla accedat dilectio Dei super omnia, sive dolor ille imperfectus, quem appellare solent Theologi benè multi *Attritionem*. Ut eadem quæstio perspicua methodo dirimatur, brevi primum tollendam puto æquivocationem verborum, deinde exponendam sententiarum diversitatem, ac postremò in certas theses totam controversiam distribuendam. Quantum ergo ad vocabula attinet, non semper, neque eadem significatione nomen *Attritionis* invenimus usurpatum; ab illo antiquiores omnes Theologi abstinuerunt, cœpitque in Scholis duntaxat audiri circa annum 1230. Ignotum fuit Hugoni, & Richardo à S. Victore, Roberto Pullo, Petro Pictavensi, Magistro sententiarum, Joanni Sarisberiensi, cæterisque à Carolo Vitasio singillatim enumeratis pag. 77. Primi omnium inveniisse istud nomen dicuntur Guilelmus Parisiensis, Alexander de Ales, & Albertus Magnus. Sed nullum de hac re cum adversariis dissidium: nova siquidem vocabula, novis exortis quæstionibus, utiliter, & quandoque necessario inducuntur. Sane *Contritionis* vocabulum fuit quovis tempore usitatissimum, sacrarumque literarum, Patrum, & Theologorum testimoniis frequentissime insertum.

2. Pœnam ad scopum.

Quod spectat ad vocabuli significationem, *Attritio* significat penes omnes *contritionem imperfectam*. Potest autem ex multiplici capite hæc imperfectio derivare. Imperfecta primo erit, si conditionibus paulo supra enumeratis sit destituta, scilicet, si ex corde non profecta, si naturali rationi innixa, si ad aliquod peccati genus coarctata: quo in casu non esse sufficientem probi omnes fatentur. Imperfecta dicitur ulterius contritio, quæ ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, & quidem supernaturali, concipitur, sed exspoliatur dilectione Dei benevola; quæ est detestandi peccata ratio timore illo perfectior. Denique imperfecta dici potest; quoniam concepta ex metu gehennæ procedit ad amorem *initialem*, adeo, ut peccata, quæ incipiunt displicere propter supplicia, odio habeantur quatenus sunt offensa Dei summopere diligibilis, sed nondum tamen est charitate formata, neque amore illo perfecto, qui non est absque peccatorum remissione. Si ergo petas, quomodo *Attritio* distinguatur à *Contritione*, sive imperfectus à perfecto dolore; respondemus à nonnullis discrimen utriusque doloris repeti ex intensione charitatis, adeo, ut dolor perfectus sive *Contritio* procedat ex charitate perfecta, sive amore Dei prædominante, id est, tam vehementi, ut omnes ad peccatum affectus superet & excedat, dolor autem imperfectus, sive *Attritio* non ex tali dilectione prædominante & flagrantissima oriatur, sed ab amore initiali, tenui ac remisso: alios vero discrimen illud in hoc constituere, quod dolor ille sit perfectus, qui oritur ex amore charitatis, cujuscunque intensionis & gradus sit; dolor autem imperfectus, qui concipitur ex solo metu sempiterni supplicii, nullo benevolæ dilectionis actu accedente. Quare non omnes, qui scripserunt *attritionem* in sacramento sufficere, amoris initialis negarunt necessitatem; sed attritionis nomine id intellexerunt, quod in eodem genere & ordine exiguum est ac pertenue, quasi grammaticalem significationem spectantes; nam Latini dicunt rem illam *atteri*, quæ ad alteram teritur, & quasi defricatur, aut leviter imminuitur; *conteri* autem, quæ tunditur, frangitur, atque in pulverem, trituramque redigitur. Jam vero qui propugnant *Attritionis* sufficientiam, solent illam à *Contritione* ita distinguere, ut in eodem ordine, sive, ut inquiunt, *specie* non comprehendatur, penitusque excludat benevolam Dei dilectionem. Quare Nostrates ad omnem vitandam ambiguitatem duplicem statuunt *Attritionem*; unam, quæ oritur ex metu pœnarum, & includit initialem amorem Dei, qua impius ex consideratione turpitudinis peccati, & ex metu gehennæ patratam culpam execratus, movetur ulterius ad eam detestandam tanquam offensam Dei summo amore digni: alteram, quæ sistit in solo timore, & culpam odio prosequitur, quatenus peccatorem sempiterno supplicio reddit obnoxium; ac primam appellant *Attritionem initialem*, alteram verò *Attritionem servilem*. Neque commentitia est hæc distinctio, sed deprompta ex D. Thoma, qui 2. 2. q. 19. art. 4. docet *objectum timoris servilis esse pœnam, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tanquam finis ultimus, & per consequens pœna timeatur tanquam principale malum*; & art. 5. ad 2. timorem servilem respicere Deum,

sicut

ficut principium inflictivum pœnarum. De timore autem *initiali* scribit art. 8. esse illum, *qui competit statui incipientium, in quibus inchoatur quidam timor per inchoationem charitatis;* & in resp. ad 2. ait timorem initialem non timere pœnam, *sicut proprium objectum,* & actum ejus manere *cum charitate imperfecta.* Rectissime itaque nostri attritionem, quæ habet initium aliquod charitatis, appellant *Attritionem initialem*; alteram verò, quæ respicit duntaxat inflictionem pœnæ, *Attritionem servilem,* & quidam expressius, *Attritionem pure formidolosam.* Atque hæc pro vitanda vocabulorum ambiguitate sint dicta.

3. Sententia hæreticorum de attritione.

Trado nunc sententiarum diversitatem. Hæretici tempore Tridentini Concilii autumabant *contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, non præparare ad gratiam, nec remittere peccata; sed potius facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, eamque contritionem dolorem esse coactum, & non liberum.* His verbis errorem hæreticorum propositum fuisse Patribus Tridentinis constat ex Pallavicino libro XII. Hist. cap. X. Refutatur autem, & damnatur cap. IV. & canone V. sessionis XIV. Ut recte hæreticorum mentem percipias; hi, Lutherani præsertim, affirmabant, quidquid sine charitate agitur, peccatum esse; charitatem imperfectam, & timori conjunctam esse impedimentum ad introitum regni cœlestis; ipsam charitatem timoris vitio contaminari; nullam proinde contritionem esse bonam, nisi concipiatur solo amore, qui timorem omnem expellat, & si quis sibi contritionem parare vellet recogitando annos in amaritudine animæ suæ, & ponderando peccatorum suorum multitudinem ac fœditatem, necnon amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum; illum hypocritam fore, non pœnitentem. Adversus igitur Lutheranam hæresim firmissime tenendum est timorem, qui prævenit charitatem, rectum ac saluberrimum esse; ab illo haberi pœnitentiæ initium; imperfectam charitatem, quæ timorem ipsum non excludit, nullam maculam ab illo contrahere; contritionem in nobis parandam esse consideratione peccati, ponderatione judicii, & discussione pœnarum; quæ omnia nos & asserimus, & adversus hæreticos propugnamus. Cæterum an solus timor contritionem sufficientem efficiat, necne nullatenus spectat ad hæresim hanc oppugnandam, nec habet cum ea aliquid affinitatis.

4. Sententiæ Catholicorum quatuor.

Inter Catholicos autem quatuor sunt celebriores sententiæ. Prima est eorum, qui dicunt contritionem *charitate perfectam,* quæ deleat culpam apud Deum, id est, conjunctam charitati habituali, & gratiæ sanctificanti, præcedere debere Pœnitentiæ Sacramentum; idque nullatenus derogare ejusdem Sacramenti virtuti, quoniam peccatores per contritionem interius vivificantur, per ministerium autem Sacerdotale absolvuntur à pœna, & admittuntur ad Sacramentorum communionem. Huic sententiæ permulti veterum adhæserunt, Hugo Victorinus, Richardus, Albertus Magnus, Alexander Alensis, S. Bonaventura, Gabriel Biel, aliique quamplurimi. Sententia altera illorum est, qui tenent sufficere ad gratiam in Sacramento recipiendam *attritionem servilem,* non tantum à charitate perfecta, verum etiam à charitate initiali, & ab omni actu amoris benevoli sejunctam; attritionem nempe illam, quæ ex turpitudine peccati, & ex metu gehennæ concipitur, & quam Lutherus negabat esse initium Pœnitentiæ, quæ sententia judicio doctissimorum virorum nata post Tridentinum Concilium, adeo celebris evasit, ut omnem aliam, saltem scriptorum numero, videatur superasse. Tertia præter attritionem ex metu gehennæ conceptam, necessarium in Sacramento putat amorem aliquem spei, quo Deus diligatur, ut bonus nobis, sive ut finis noster, atque beatitudo, non autem amorem charitatis, quo diligatur propter se: atque hæc sententia plures itidem habet assertores, & facile cum præcedenti conciliatur. Postrema denique sententia, quam Augustiniani omnes, aliique celeberrimi viri propugnant, tenet non quidem requiri in Sacramento Pœnitentiæ contritionem charitate perfectam, quæ hominem Deo reconciliat, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, requiri tamen amorem aliquem initialem, sive actualem dilectionem Dei super omnia, nec satis esse attritionem servilem, quæ in solo gehennæ timore perstitit, neque ad amorem procedit; oportere etiam, ut ipse amor charitatis sit, nec sufficere amorem concupiscentiæ, vel spei.

Quoniam vero sententiam istam vellicare nonnulli ausi sunt tanquam Lutherano affinem errori, alii Tridentino Concilio repugnantem dixere, complures illam nimis rigidam appellaverunt, ac multi innumeris argumentis conati sunt oppugnare, ex eo præsertim capite, quod certissimum putant attritionem servilem excludere voluntatem omnem

pec-

peccandi, ideoque esse in Sacramento ad gratiam consequendam dispositionem sufficientem ac proximam, necnon amorem omnem Dei benevolum, initialem quoque & remissum justificare impium vi sua, & absque Sacramenti actu suscepti adminiculo; principio eandem sententiam nostram ab omni censura vindicare conabor, ostendens quantum distet à damnatis erroribus; deinde inquiram, an Tridentino Concilio contraria, an potius consentanea dicenda sit; ac tandem proferam ea momenta, quorum causa sententiis cæteris est præferenda, omniaque exequar moderate, ut decet Augustini discipulum, postulantque illa duo, sæpenumero à sanctissimo Protoparente commendata, veritas nimirum, & charitas.

5. Dicentes, requiri *amorem initialem* non esse censurandos patet primò ex authoritate Pontificum.

Prop. I. Sententia propugnans necessitatem *amoris initialis* ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam nulla potest censura notari, quemadmodum nec opposita.

Demonstratur primò ex decreto Sanctissimi Domini nostri Alexandri Papæ VII. qui anno 1667, die 5. Maji provide in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ reservata Sanctæ Sedi præcepit, *cunctis, & singulis fidelibus, quocunque gradu, ac dignitate, Episcopali & majori, imo & Cardinalitia fulgentibus, ut si deinceps de materia attritionis scribent, vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut scholares, cæterosve eruditent, non audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem; donec à Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum, &c.* Benedictus XIII. in Institutione Christiana, quæ extat in Appendice ad Concilium Romanum celebratum an. 1725. & quæ probatur Tit. 32. ejusdem Concilii cap. 3. utriusque sententiæ meminit, neutram ab Apostolica Sede definitam esse declarans. At nunc Ecclesiam Pastorali sollicitudine regens, & singulari doctrina collustrans BENEDICTUS XIV. ut anno 1741. accepit virum nobilitatis genere, & eruditione conspicuum, Josephum Gorinium ab ingressu Xenodochii Mediolanensis prohibitum, quod sententia nostra in instruendis ægrotis uteretur, non tantum hanc immunem asseruit, ac sartam tectam præfata Alexandri VII. Constitutione; verum etiam nobilis viri pietatem, editos Soliloquiorum libros, impensamque infirmis operam summis laudibus commendavit, egitque officiosissimis literis ad Eminentissimum Archiepiscopum, & ad Urbis Mediolanensis Rectorem die 3. Aprilis ejusdem anni conscriptis, ut spirituale ac temporale subsidium monitis, studioque viri præclarissimi ægrotantibus iterum impenderetur.

6. Secundò ex Thesibus in publicis Academiis propugnatis.

Deinde constat propositio ex pluribus Thesibus in celeberrimis Academiis, urbibusque primariis ad hanc usque diem approbantibus supremis Judicibus, propugnatis. Nam in Ædibus sacræ Facultatis Parisiensis hanc thesim, *Attritio ex metu gehennæ concepta non est dispositio sufficiens ad justificationis gratiam in Sacramento obtinendam, nisi includat amorem Dei super omnia saltem inchoatum*, in tribus duntaxat annis, à die scilicet 28. Maji 1672. usque ad 23. Julii 1675. à XXI. celeberrimis Magistris traditam defensamque constat ex Appendice ad librum *de Contritione* Lovanii Gallice editum an. 1678. In Lovaniensi Archigymnasio eandem tradiderunt Ruardus Tapperus, Joannes Hessellius, Judocus Ravesteyn, Martinus Rythovius, Thomas Stapletonius, & ne singulos recenseam, contra adversarium strenuum Maximilianum Ledent, Franciscus noster Farvacques, ac postmodum Antonius Rolliers, Christianus Lupus, Leonardus Vanroy, & Aurelius Piette. In Duacensi Guilelmus Estius, & Franciscus Sylvius: atque, ut attingam tempora & loca proximiora, in Regio Taurinensi Lyceo non semel anno 1739, ac proxime præcedentibus, hæc positio fuit solemnioribus concertationibus proposita, *Attritio, quamvis hominem non faciat magis peccatorem & hypocritam, sed sit bonus ac utilis motus, sine formali tamen charitatis saltem initialis actu minime sufficit ad justitiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam.* Eandem arcte, mordicusque tenent institutores seminariorum Italiæ, Veronensis maximè, ac Patavini: atque hoc ipso anno, quo hæc mando literis, Romæ tum Cistercienses doctissimi Patres in Collegio S. Crucis in Jerusalem, cum Religiosissimi Scholarum Piarum Præceptores in Collegio Nazareno, accuratissima discussione præmissa, eandem sententiam adoptarunt, publicisque disputationibus iterum, iterumque exposuerunt; illi quidem his verbis: *Ad hoc, ut attritio concepta ex fœditate peccati,*

cati, & pœnarum metu sit dispositio proxima ad gratiam sanctificantem in Pœnitentiæ sacramento recipiendam, requiritur, ut annexum habeat aliqualem amorem Dei benevolum, qui Deum omnibus præponat, imperfectum tamen, & qui extra Sacramentum non justificet: hi vero verbis istiusmodi, *Quamvis attritionem mere servilem bonam, & utilem, motumque Spiritus sancti, non quidem inhabitantis, sed prævenientis esse doceamur à Concilio Tridentino sess.* XIV. *cap. 4. eam tamen sufficere ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, si quemcunque amorem Dei benevolum excludat: constanter negamus; nec opinionem nostræ contrariam unquam docere visa est Synodus Tridentina.*

7. Tertiò ex authoritate Theologorum veterum.

Tertiò thesis corroboratur auctoritate veterum Theologorum, qui ante Tridentinum Concilium floruerunt, de iis enim, qui subsecuti sunt, agendum postea. De illis ergo fatetur vir præstantissimus Pius Thomas nuper ex Ordine Prædicatorum ad Episcopalem Sedem Stabiensem evectus 3. Volumine Exercitationum in Propos. ab Apostolica Sede proscriptas pag. 210. neminem ambigere, quin veteres omnes indiscriminatim asseruerint contritionem, quæ aliquam charitatem saltem imperfectam includat, necessariam esse ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem. Auctor alter percelebris ejusdem familiæ, qui de Re Sacramentaria eruditos edidit Commentarios, tom. 2. pag. 67. scribit sententiam propugnantium sufficientiam timoris servilis, Theologis, qui à duodecimo sæculo ad tempora Tridentini Concilii floruerunt, esse aperte contrariam; atque idcirco eandem sententiam refellit ob novitatem doctrinæ. Idem docet Joannes Morinus lib. VIII. de Pœnit. cap. 4. & in Opere posthumo de Contritione, in quo per singulos Theologos accurate discurrens demonstrat sancti Thomæ, omniumque illius, ac præcedentis sæculi Theologorum, quorum scripta supersunt, fuisse circa necessitatem contritionis constantem exploratamque sententiam, illos vero, qui videntur adstruere Attritionis sufficientiam, aliud eo vocabulo significasse, quàm eodem designent Scholastici recentiores. Idem præstant q. 3. de Pœnit. art. 6. sect. 3. argumento tertio Vitasius, aliique hujus ævi scriptores. Dominicus etiam Soto in IV. dist. 18. q. 3. art. 2. scribit: *Doctrina hæc de Attritione, quæ in Sacramento fit contritio, licet sit vera, non est tamen multum vetus. Patres enim antiqui solam contritionem agnoscebant necessariam ad confessionem.* Mitto Joannem Launojum in libro de mente Concilii, qui habetur tom. 1. editionis postremæ pag. 143. Utrum res ita se habeat, dijudicare nequit, nisi qui Theologorum scripta pervolutarit. Horum testimonia collegerunt iidem, Morinus, Vitasius, & præcitatus auctor Operis Gallicè conscripti *de Contritione.* Inferius nos loca indigitabimus insigniorum. Interim hæc validè assertum confirmant nostrum: quis enim adeo perfricatæ sit frontis, ut carbone tetro notet sententiam, quæ sola ad sextumdecimum usque sæculum vel obtinuit, vel saltem dicitur obtinuisse?

8. Specialiter ex S. facultate Parisiensi.

Denique Sacra Parisiensis Facultas in comitiis celebratis die 23. Julii, anno 1716. declaravit sanam esse, & à Patribus acceptam, suisque tradendam doctrinam, quæ his propositionibus continetur: *Timorem gehennæ, etiam supernaturalem, quamvis sit bonus & utilis, non excludere affectum peccandi, nec sufficere in adultis ad justificationem, etiam in Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ obtinendam; sed præter hunc timorem, actusque fidei & spei, requiri amorem Dei, quo Deum, tanquam omnis justitiæ fontem, ut docet Concilium Tridentinum, diligere incipiamus: Hunc amorem ferri in Deum, tum ut in se summe bonus est, tum ut est summum bonum nostrum, quæ duo complectitur charitas inter virtutes Theologicas tertia: Hoc solo amore converti voluntatem ad Deum, & averti à creatura: Amorem Dei super omnia, qui charitatis inchoatæ saltem actus sit, necessarium esse, ut ab adultis obtineatur remissio peccatorum in Sacramentis baptismi & pœnitentiæ.* Quæ omnia, servatis iisdem quoque vocabulis, docent sententiæ nostræ propugnatores.

9. Iidem directè opponuntur hæreticis.

Prop. II. Eadem sententia propugnans necessitatem amoris *initialis* ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam è diametro opponitur doctrinæ hæreticorum à sacrosancto Tridentino Concilio proscriptæ.

Decretum paulo supra laudatum Alex. VII. opportune latum fuit ad compescendas contentiones in Belgio circa quæstionem, de qua agimus, fervescentes. Quidam enim affirmarunt eos, qui tenent *contritionem ex solo metu gehennæ, sine motivo charitatis conceptam sufficere ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ*, esse sequaces Lutheri, atque in eos à Tridentina Synodo intortum *anathema.* Quinam hi fuerint constat ex Apologia Xenii edita à Farvacquesio pag. 3. & ex mandato Epi-

Episcopi S. Pontii emanato Piterris pag. 37. At facillimi negotii est demonstrare quomodo nostratium sensus adversetur hæretici dogmatis pravitati. Principio iidem hæretici docuerunt pœnitentiam solo amore concipi, nec ex amore timori conjuncto, sed perfecto, metum quemlibet expellente. Id liquet ex Luthero qui in assertione art. VI. rejicit *Theologiam illam, quæ inter odium & gratificantem amorem medium fingit, quod contritionem paret:* & Joannes Eckius lib. I. de Pœnit. cap. I. ostendit in hoc sitam summam disputationis inter Lutherum, atque catholicos, quod ille vellet *Pœnitentiam non nisi amore concipi.* Hinc impius hæresiarcha inferebat, *eum, qui contritionem sibi parare vellet in amaritudine animæ suæ, reddi hypocritam & magis peccatorem.* Nos vero affirmamus pœnitentiam prius *ex timore* concipi, & hunc viam sternere amori, charitatem initialem, (non impios Deo gratificantem) esse post metum gehennæ necessariam ad contritionem, parari in nobis contritionem ipsam discussione peccati, recogitando in amaritudine animæ vitam præteritam, & ponderando peccatorum multitudinem, gravitatem, fœditatem, supplicium; atque impium hac ratione disponi ad gratiam, non magis inquinari peccato. Deinde Lutherus affirmavit *amorem initialem* conjunctum timori non esse dispositionem ad gratiam, sed impedimentum: ait namque in assertione art. IV. *Verum est imperfectam charitatem esse impedimento ad introitum regni propter vitium, quo imperfecta est;* scilicet, propter metum gehennæ, qui in hæreticorum sententia inficit, maculatque omnia, quæ ante charitatem perfectam & justificantem efficiuntur ab impio, etiam actum amoris initialis, cui timor conglutinetur. At nos constanter negamus amorem ipsum inchoatum atque imperfectum, necnon alia impiorum opera propter conjunctum timorem corrumpi; ac tantum abest, quod asseramus istiusmodi initialem amorem esse impedimento ad gratiam, quin econtra necessarium illum existimamus ad gratiæ consecutionem. Tertio, ut diximus præcedenti cap. hæreticici Lutherani in Confess. Augustana art. XII. duas tantum Pœnitentiæ constituerunt partes, id est, *terrores incussos, & fidem*, jure meritoque damnati canone IV. sess. XIV. à sacrosancta Tridentina Synodo. Tam ergo rejiciebant tanquam necessariam ad remissionem peccatorum detestationem peccati ob sempiterni supplicii metum, quàm opus aliud liberi arbitrii, præter fidem, à qua sola repetebant justificationem; & idcirco admittebant terrores incussos, non quasi ad gratiam disponant, sed ut impius incusso terrore & peccato agnito, concipiens fidem ex Evangelio & absolutione, certo credat sibi propter Christum dimitti peccata, & ita consolatione percepta liberetur ab incusso terrore. Hæc expresse traduntur in prædicto articulo Confessionis Augustanæ. Hæc Philippus Melanchthon in Apologia ejusdem articuli, ubi ait: *Intelligunt omnes boni viri utiliter & pie reprehensam esse doctrinam Sophistarum, & Canonistarum de Pœnitentia. Nam hæc dogmata aperte falsa sunt, & non solum aliena à Scripturis, sed etiam ab Ecclesiasticis Patribus, Quod per attritionem mereamur gratiam: Quod susceptio Sacramenti Pœnitentiæ ex opere operato, sine bono motu utentis, hoc est, sine fide in Christum consequatur gratiam.* Hæc longe antea Lutherus in XII. ex articulis à Leone X. damnatis, *Si per impossibile confessus non esset contritus, si autem credat se esse absolutum, verissime absolutus est.* Duo ex his inferuntur; unum, quod hæretici repetant justificationem à sola fide; alterum, quod falso calumnientur catholicos, quasi tradant Sacramentum Pœnitentiæ absque motu suscipientium gratiam conferre. Quid autem consentientes nobiscum Theologi? Docent non à sola fide, ejusque motu justificationem pendere, sed ad hanc disponere fidem, timorem, spem, dilectionem; justificationis vero gratiam, tanquam *causæ instrumentali*, tribuunt Sacramento. Distant ergo toto cœlo à Lutherano dogmate, directè sese opponunt doctrinæ Confessionis Augustanæ, & undequaque calumnias Melanchthonis exsufflant. Insuper ipse Melanchthon in eadem Apologia art. XII. non tantum Scholasticis objectat, quod doceant *nos per attritionem promereri gratiam*, sed ulterius, quod doceant *nos propter contritionem, non fide in Christum, consequi remissionem peccatorum.* Primam propositionem ideo Melanchthon falsam esse contendit, *quoniam propter Christum gratis remittuntur peccata:* alteram falsam item pronuntiat, *quia*, inquit, *non prius dilectio adest, quam fit fide reconciliatio facta: hæc enim non fit sine Christo juxta illud, Per Christum habemus accessum ad Deum.* Hæc Melanchthon. Quid nostrarum partium Theologi? Tenent fidem esse salutis initium, hominem gratis justificari, & nihil eorum,

rum, quæ justificationem præcedunt, sive fidem, sive opera, justificationis gratiam promereri; ad hanc tamen disponi adultos fide eorum, quæ revelata sunt, timore divinæ justitiæ, spe atque fiducia, atque ulterius dilectione benevola, adeoque haberi accessum ad Patrem per fidem quidem, at non per fidem inanem ac sterilem, sed per illam, quæ per dilectionem operatur. Atque id, quæso, nonne est toto cœlo à Melanchthone distare, eique in omni assertione adversari? Præterea hæretici magis insectabantur sententiam nostram, quàm nobis contrariam asserentium *attritionis servilis* sufficientiam; cum enim justitiam à sola fide repeterent, damnabant eos, qui detestationem peccati & dilectionem Dei propugnabant tanquam necessarias ad justificationis gratiam. Quare in Confessione Augustana reformata ann. 1540. art. XII. legimus: *Damnant illos, qui non docent remissionem peccatorum per fidem gratis propter Christum contingere; sed contendunt contingere propter dignitatem contritionis, dilectionis, & aliorum operum.* Et Philippus Melanchthon in Apologia Catholicis objicit, quod dicant, *peccatorum per actum contritionis recipere remissionem peccatorum;* quod nititur oppugnare insulso illo argumento: *Hoc nihil est, nisi legem docere, deleto Evangelio, quia lex exigit dilectionem.* Quæ exagitans Joannes à Daventria in Harmonia Confess. pag. 241. *Acute*, inquit, *& plane ut Monophthalmos decet, disputant. Sic enim ratiocinantur: Quia lex dilectionem exigit, ergo qui dilectionem requirunt, deserto Evangelio, legem docent*; demonstratque subinde vir doctus, dilectionem exigi etiam ab Evangelio, ideoque hæreticos frustra Catholicis esse infestos. Ita etiam compellat hæreticos ipsos Virvesius Philippica IX. pag. Harm. Confess. 164. *Rejicitis, & inter hæreticos annumeratis eos, qui docent remissionem Peccatorum contingere propter nostram dilectionem, aut crasse nimis obliti, aut impie damnantes, quod Christus ait Lucæ VII. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Jam vero ad hunc modum ratiocinabor: Pravæ doctrinæ dogmatizantium non contingere remissionem peccatorum propter præcedentem actum dilectionis, nil opponitur magis, quàm sententia docens ipsam dilectionem ad gratiam in Sacramento recipiendam prærequiri, ac sufficienter disponere. Atqui id tenet sententia, cui adhæremus. Igitur nil magis, quàm sententia nostra, opponitur perverso dogmati hæreticorum: & qui de illa siniſtram habuerunt opinionem, aut penitus ignorarunt, aut minime perceperunt nefarium, & hactenus expositum dogma ipsum Lutheri, Melanchthonis, & Confessionem Augustanam recipientium.

PROP. III. Quæ reponere possunt adversarii objicientibus sententiam, quæ propugnat sufficientiam attritionis *servilis*, in Tridentina Synodo anathema subiisse, eadem omnia sententiam nostram catholicam, & directè hæreticis oppositam esse declarant. 10. Quod manifestiùs evincitur ex ipsis adversariorum responsis.

Absit, ut hoc in loco adversariis nostris impingam ego hæreticæ labis notam, nec religiosissimè obtemperem Apostolicæ Sedis decreto. Fuerunt nihilominus, qui ausi sunt id asserere, quod Tridentini Patres proscripserint, non, ut jactant, definierint eorundem nobis adversantium opinionem. Joannes Morinus, ut alios mittam, vir in litteraria republica præclarissimus, capiti X. Operis *de Contritione & Attritione*, pag. 57. hunc præfigit titulum: *Concilium Tridentinum non modo non sancivit dolorem ex solo pœnarum terrore ortum justificationi sufficienter præparare, sed etiam hoc asserentibus anathema dixit.* Ad quod probandum vir doctus præmittit Concilium sess. XIV. in fine cap. 3. eos damnare, *qui pœnitentiæ partes incussos terrores, & fidem esse contendunt.* Deinde demonstrat per *terrores incussos* intellexisse hæreticos pavorem, & dolorem conscientiæ cogitantis, & quærentis quomodo pœnam gehennæ possit effugere: atque id Morinus evincit ex art. 12. Confess. Augustanæ, ex Melanchthone in cap. de Pœnit. ex Chemnitio parte 2. Examinis, necnon ex Calvino lib. 3. Instit. cap. 3. sect. 3. Hi omnes apertissimè asserunt terrores incussos, sive, ut Calvinus inquit, *mortificationem*, includere dolorem animæ, & detestationem peccati propter æternæ damnationis judicium. *Altera pars pœnitentiæ est contritio, hoc est, terrores incussi conscientiæ agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoscimus, & dolemus nos peccasse, & peccata detestamur, ac fugimus;* ita Confessio Augustana. *Vocamus contritionem pavores conscientiæ agnoscentis iram Dei adversus nostra peccata; & dolentis propter peccatum;* ita Melanchthon. *Pavor & dolor excitat, & urget conscientiam, ut cogitet, & quærat, an, & quomodo effugere possit iram Dei, & judicium damnationis;* ita Chemnitius. *De pœnitentia docti quidam viri* (Melanchthonem, aliosque Confessionistas intel-

intellige) *dixerunt constare duabus partibus, mortificatione, & vivificatione. Mortificationem interpretantur animæ dolorem & terrorem ex agnitione peccati, & sensu judicii Dei conceptum. Ubi enim quis in veram peccati cognitionem deductus est, tum vere peccatum odisse, & execrari incipit, tum sibi ipsi animo displicet, miserum se, & perditum fatetur;* ita Calvinus. Hinc apparet in ea parte pœnitentiæ, quam hæretici *timores incussos* appellant, contineri dolorem animi, & odium, atque execrationem peccati. Audias nunc Morinum ex dictis hæc inferentem: Igitur *contritio, quæ procedit ex solo terrore pœnarum conscientiæ incusso, nullumque aliud habet motivum, non est pars pœnitentiæ, ut docet Concilium adversus hæreticos id asserentes.* Subjicit Morinus hujus argumenti confirmationem: *Cum negat Concilium* (canone IV.) *terrores conscientiæ incussos & fidem partes esse pœnitentiæ, haud negat ista ad contritionem forenandam concurrere*; canone enim sequenti contrariam sententiam aperte damnat. Negat igitur Concilium terrores conscientiæ incussos esse partem pœnitentiæ, *quæ ad justificationem consequendam nos sufficienter disponat, ideoque hoc sensu ab hæreticis docebatur contritionem ex his solis terroribus constantem veram esse contritionem, & pœnitentiæ partem.* Hæc Morinus.

11. Quæ adducuntur, & applicantur.

Huic Morini argumento facile occurrent patroni attritionis *servilis*, respondendo, rectissime damnatas à Tridentino duas illas pœnitentiæ partes, *terrores incussos, & fidem*, non quod insufficiens sit dispositio dolor conceptus ex metu gehennæ absque motivo charitatis & dilectionis; sed ob hæreses complures sub hac male feriata divisione partium pœnitentiæ latentes. Hæresis prima est, quod in tali divisione excluduntur *Confessio, & Satisfactio:* altera, quod justificatio tribuitur duntaxat fidei, & timor, odium peccati, hujusque execratio ad gratiam in hæreticorum sententia non præparant: tertia, quod ipse timor, detestatio peccati, & quidquid justificationem præcedit, inquinatum est, magisque animam inficit, nil aliud præstans, nisi ut impius dejectus, & consternatus tremat, animum despondeat, desperet; *donec enim fides accedat*, inquiunt hæretici, *contritio est fuga Dei, & fremitus, quibus tandem ruitur in æternum exitium:* quarta tandem hæresis est, quod inter veram & falsam contritionem intersit hoc unum lepnum, & illustre discrimen, quod post incussos terrores & detestationem peccati, si accedat fides, habeatur contritio Petri, & Davidis, atque justificatio; nisi accedat fides, contritio Judæ, & Saulis, necnon mors æterna. Quatuor hæc asserta iisdem verbis hæreticorum, maxime Melanchthonis, conscripta sunt: à quibus cum longe distent patroni attritionis *servilis*, falso Joannes Morinus probare nititur istorum sententiam proscriptam à Tridentino, ubi damnat qui contendunt pœnitentiæ partes esse *terrores conscientiæ incussos & fidem.* Hæc ego candide Morino pro adversariis nostris respondeo, me illis gratificari confidens, atque, si sensa ipsorum penetro, certò sciens nequaquam hanc ab eis responsionem repulsum iri. Nunc mihi vices, uti ad gratificandum sunt longe procliviores, alterna lege rependant. Qui tradimus necessitatem *amoris initialis*, non excludimus duas pœnitentiæ partes, *confessionem atque satisfactionem*: non adscribimus justificationem *soli fidei*: non asserimus timorem & detestationem peccati esse animi inquinamenta: non constituimus inter veram, & falsam contritionem hoc unum discrimen, quod, si terroribus accedat fides, sit contritio Petri, & justificet, nisi accedat fides, sit contritio Judæ, trahatque in æternum exitium. Defendimus econtra confessionem peccatorum, satisfactionem operum, rectitudinem timoris, detestationem peccati, & constanter negamus solam fidem discernere inter contritionem veram & falsam. Igitur quæ proferre possunt adversarii in defensionem sententiæ suæ contra scribentes eam non differre à dogmate hæreticorum; eadem omnino adduci possunt à nobis in defensionem sententiæ nostræ.

12. Tridentinum non definivit sufficientiam attritionis servilis.

Prop. IV. Tridentinum Concilium non definivit sess. XIV. cap. 4. attritionem *servilem*, & ab amore *initiali* sejunctam ad gratiam, remissionemque peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam *sufficienter* disponere.

Hæc propositio ex dictis perspicua est. Si enim conferas doctrinam hæreticorum thesibus permissis expositam cum capite quarto sessionis XIV. synodi sacrosanctæ, percipies iisdem verbis ab ea damnari quidquid illi impie dogmatizant de contritione. Hæretici negant ipsam contritionem continere odium peccati, & recogitationem vitæ præteritæ in amaritudine animæ, tanquam præparationem quamdam ad gratiam; cum ea omnia, quæ præcedunt firmissimam illam fiduciam,

fiduciam, quæ excitatur in impio absolutione & Evangelio, juxta hæreticos eundem impium dejiciant tantum, prosternant, in desperationem trahant, & hypocritam magisque peccatorem constituant: idque, ut evidenter ostendi, effutiunt etiam de amore *initiali*, non expellente gehennæ timorem. Perlege nunc, præjudiciis sepositis, quartum, de quo agimus, caput; & perspicies recta methodo pernicioſæ hæresis dogmata radicitus extirpari. Definitur primo contritionem manare ex anteactæ vitæ odio, & peccatorum detestatione. Statuitur deinde attritionem imperfectam, quæ concipitur ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu, esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum, *quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*, non autem reddere hominem magis peccatorem: quod profecto intelligitur etiam de attritione *initiali*, quam Lutherus ajebat vitiari à timore, & esse ad gratiam impedimento; ideoque Concilium non inquit, Attritionem, *quæ includit solam turpitudinis peccati considerationem, vel solum gehennæ, & pœnarum metum, sed quæ hinc communiter concipitur*, & ad initialem amorem solet procedere. Declarat postea illam contritionem imperfectam per se ad justificationem non perducere, ad gratiam tamen in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere; quoniam contritio, quæ hominem justificat, antequam Sacramentum actu suscipiatur, est *charitas perfecta*; contritio autem imperfecta, quæ ex metu pœnarum *communiter concipitur*, non est impedimento ad gratiam, sed ad eam viam sternit, ac præparat; remote quidem sententiâ nostrâ, si in timore persistat; proximè, si accedat *charitas initialis*. Profert denique exemplum Ninivitarum, qui hoc timore utiliter concussi ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt; non utique absque amore, ut dicam paulo infra; sed ex timore *concipientes*, non in solo timore conceptum animi dolorem servantes.

13. Claret ex Historia Tridentini.

Nisi huic analysi, & collationi hæreticalis cum Orthodoxa doctrina acquiescas; non unum depromam pro firmanda thesi argumentum ex Historia Concilii ab Eminentissimo Pallavicino conscripta. In ea primò legitur lib. XII. cap. X. num. 24. sententiam complurium Theologorum, qui Concilio interfuerunt, fuisse, necessariam esse in Sacramento Pœnitentiæ charitatem aliquam initialem. *Didacus Lainius* (inquit illustris Historicus) *qui primo loco inter minores Theologos sermonem habebat, dixit: Sacramento esse necessariam pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, absolutionem. Dilectionem pariter tanquam necessariam enumeravit Jacobus Ferrusius, Hispanus, Segoviensis Episcopi Theologus, & per hoc eundem articulum improbavit, causatus solis terroribus minime contineri dilectionem, quæ absolute necessaria est, cum Christus pronuntiaverit, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; & Dilexit, inquit, per præteritum, quia dilectio remissionem antecessit.* Infra num. 25. *At Melchior Avosmedianus, tunc Pacensis Episcopi Theologus, postea vero reversus ad Pii Concilium Guadicensis Episcopus, dixit, prius nos propter pœnæ metum dolere, dein propter Deum; postea vero, ajebat, peccata confitemur. Et Bernardus Colloredus Dominicanus, Forolivienſis Episcopi Theologus, tanquam necessaria numeravit timorem, detestationem, ac fidem, ex qua spes oriatur, & ab hac dilectio. Ejusdem sententiæ fuit Franciscus Contreja ex Ordine Minorum Observantium.* Addit num. 26. *Aliquod duntaxat vestigium comperio opinionis negantis necessitatem amoris, in iis, quæ Granatensis disputavit.* Hinc proximam eruo argumentationem: Superat omnem fidem, voluisse Tridentinos Patres proscribere sententiam à celeberrimis Theologis propugnatam, & cujus oppositа in unius Granatensis disputationibus tradi tantummodo videbatur. At sententia, quam Theologi præstantissimi propugnabant, ea erat, quæ adstruit in Sacramento Pœnitentiæ necessitatem amoris. Superat ergo fidem voluisse Tridentinos Patres in eandem sententiam, quæ defendit amoris necessitatem, animadvertere.

Prosequitur eximius Historicus cit. num. 25. *Quantum ex Actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tanquam inhonestum improbantium pœnæ timorem, non item, ut ferrent sententiam de Scholastica quæstione, an hujusmodi timor non solum absque contritione animi perfecta (de quo controversia vix fuit, sicut patebit) sed etiam absque eo, quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem in Sacramento.* Hinc nostra roboratur assertio: etenim quæstio propugnans in Sacramento necessitatem *charitatis initialis*, scholastica est, ac nullam habet affinitatem cum impia hæreticorum assertione, quin huic oppo-

nitur è diametro, ut ostendi prop. 2. De hac ergo quæstione noluit veneranda Synodus proferre judicium. Deinde Pallavicinus producit invictum hujus rei argumentum, statim subjiciens: *Id vero clare liquet ex ipsa probatione Concilii, qua hujus articuli doctrinam firmat capite quarto, nimirum, Ninivitarum pœnitentiam ex timore profectam ipsis profuisse, cum certum esset eo tempore, quo Sacramentum Pœnitentiæ adhuc non extabat, eam formidolosam pœnitentiam minimè suffeciisse per seipsam ad peccatum delendum; sed vim tantummodo habuisse ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur charitatis affectus, quem omnes necessarium fuisse fatentur ante novam legem ad justitiam recipiendam.* Quæ verba hanc nobis argumentationem suppeditant: Voluit Concilium attritionem formidolosam utilem esse, & vim habere ad impetrandam gratiam, qua auxiliante conciperetur amor aliquis initialis; non ergo statuit formidolosam illam attritionem ad gratiam justificationis obtinendam sufficere, si amore ipso initiali sit exspoliata. Concilium præterea attritionem ex timore conceptam utilem esse pronunciat, quoniam Ninivitæ timore illo concussi pœnitentiam egerunt, & impetrarunt à Domino misericordiam. At Ninivitæ ideo misericordiam impetrarunt, quia per timorem adepti sunt gratiam sanctæ dilectionis, non facti sunt pervicaciores & magis improbi. Igitur Concilium commendat approbatque attritionem ex timore profectam, quia adjuvat impium, ut impetrare queat gratiam charitatis, non vero, ut ajebant hæretici. illum inquinat magis, deprimit, redditque sceleſtiorem.

§ 4. Discutitur Decretum præconceptum, & prout modò extat.

Rursus narrat Historicus alia ratione prius exaratum fuisse Synodi Tridentinæ decretum, atque hisce verbis conceptum: *Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, & solum vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, qui servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcunque de commissis delictis exprimat, statuit hæc sancta Synodus, & declarat, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem (ut quidam blasphemare non verentur) verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, ac donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitentes adjutus, cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat, viam sibi ad justitiam munit, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur.* Hujusmodi autem decretum ad eum modum, quo legitur in præsentia, instante Joanne Æmiliano Tudetano Episcopo, reformatum est. Nunc vero non extat particula *solum* in ea periodi parte, in qua legitur attritionem ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipi, & illius particulæ loco adverbium *communiter* est substitutum. Desunt quoque modò adjuncta illa pœnarum timori, *Qui servilis timor dicitur.* Dispuncta ulterius sunt ea verba, *Sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem.* Itidem desiderantur insequentia: *Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat.* Hinc primum infero, in decreto, quod promulgatum confirmatumque est, sermonem non coarctari ad solam attritionem servilem, quoniam explosa est particula *solum*, atque pariter verba illa expuncta sunt, *Qui servilis timor dicitur;* ideoque possumus optimè Concilium interpretari de attritione, quæ *communiter* quidem concipitur ex timore servili, sed aliquando oritur quoque ex amore initiali, sive ex timore ad amorem procedit; præsertim, quod hanc etiam attritionom initiali amore conjunctam damnabat Lutherus, & impie de ea pronuntiabat reddere hominem magis impium, & impedimento esse ad gratiam. Dein vero ex quo abrasa sint ea verba *sufficere ad Sacramenti constitutionem*, infero noluisse Concilium præjudicium afferre sententiæ veterum Scholasticorum affirmantium opus esse in Sacramento *contritione perfecta*, in qua proculdubio sententia fuit Joannes Æmilianus, ut paulo supra scripserat Pallavicinus: *At vero Joannes Æmilianus Hispaniensis Tudetanus Episcopus extremum oppositum sententiæ tenuit, hoc est, opus esse contritione perfecta; nec tamen hinc argui per Sacramentum peccatum non remitti, quippe quæ Sacramentum jam invenit remissa præeuntis contritionis efficacitate: siquidem ajebat, ipsa contritio id præstat virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur.* Quodsi Concilium noluit præjudicium ullum inferri sententiæ adstruenti necessitatem contritionis perfectæ, quæ efficacia sua remittit peccata priusquam Sacramentum actu suscipiatur; quanto magis immunem, integramque reliquit sententiam eorum, qui docent necessitatem amoris duntaxat *initialis*, qui amor peccatum efficacitate sua non remittit? Si vero adversarii contendant

dant in decreto, prout nunc extat, agi de attritione servili, & omni amore expoliata, propterea quod expuncta sunt ea verba: *Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat*; fateantur pariter necessum est, in eodem decreto pertractari de dispositione ad gratiam remota, & quæ viam sternit dilectioni, non autem de dispositione proxima atque sufficiente, quoniam & ea verba abrasa sunt, *Sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem.* Aut econtra, si placet adversariis Concilium, dum ait de contritione imperfecta, quæ concipitur ex gehennæ metu, *Ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*, de dispositione sufficienti & proxima fuisse locutum, quoniam in priori conscriptione decreti asserebatur attritionem hanc *sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*; fateantur vicissim pertractare Concilium de Attritione, quæ ex timore quidem concipitur, sed ulterius ad inchoatam charitatem pertrahit timentem; nam & in prima delineatione legebatur, *Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat.*

priori Decreto sermo fuerit.

15. Causa reformationis Decreti.

Tandem, ne reformationis illius decreti causam proprio marte fingamus, hanc memoratus Historicus assignans ait: *Laudatus Episcopus*, Joannes Æmilianus, *monuit falso dici, hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse: quod autem hæc attritio satis esset Sacramento constituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare auctorum sententias, adeoque id esse tollendum: quamobrem decretum, sicut nunc extat, reformatum est.* Ex his apertissimè constat, sacrosanctum Concilium delendo verba illa, quibus asserebatur contritionem imperfectam in Sacramento *sufficere*, perperciisse auctoribus docentibus necessitatem contritionis perfectæ, quæ vi sua remittat peccata; quandoquidem in Decreto ante reformationem legebatur attritionem *sufficere*, quoniam *absque motu dilectionis* vix esse potest; ideoque sermo tunc erat de attritione initiali, non autem servili: abradendo autem verba exprimentia sufficientiam attritionis imperfectæ, simulque ea, quæ exprimebant motum dilectionis conjunctum timori, demonstrasse attritionem servilem ab omni actu dilectionis sejunctam (indubitatum quippe est, amorem ac timorem posse invicem separari) esse quidem impulsum Spiritus sancti, & ad gratiam disponere, non tamen sufficienter, & proxime.

16. De qua attritione in

Instituunt hoc in loco auctores sententiæ nostræ quæstionem, an in Decreto prius delineato, in quo aperte tradebatur attritionis sufficientia, ageretur de attritione *servili* omni amore exspoliata, an de attritione *initiali* conjuncta amori imperfecto. De hac pertractatum fuisse commonstrant superiora argumenta; mihique persuasum est factam decreti reformationem in gratiam adstruentium necessitatem contritionis perfectæ. Qui hac in parte fluctuat, adeat Auctorem Opusculi de mente Concilii Tridentini circa Contritionem, & Attritionem p. 1. cap. 8. Petrum Lambertum Le-Drou dissert. 1. c. 3. Leonardum Vanroy de Pœnit. cap. IV. q. 7. Aurelium Lovaniensem q. 1. §. 2. Cæterum non ero de hac re plurimum sollicitus, sed utar satis obvio dilemmate: Aut de attritione conjuncta imperfectæ dilectioni in priori decreto agebatur, aut de attritione pure servili; si de hac postrema, inepte ex Concilio infertur sufficere in Sacramento, cum verbum istud *sufficere* expunctum sit: si de attritione imperfectæ charitati conjuncta; ineptius in nos detorquent adversæ partis Theologi, quæ nec feriunt adstruentes necessitatem contritionis & charitatis perfectæ.

Accedit in hujus thesis confirmationem, quod eximii Theologi, & qui Concilio interfuere, & qui illud subsecuti sunt, sententiæ subscripserunt nostræ, ut dicam infra Propositione VI. & de nonnullis tetigi paulo supra. Nec prætereundum est per Gallicanos Antistites anno 1700. hanc propositionem num. 87. *Concilium Tridentinum adeo expresse definivit, attritionem, quæ non vivificet animam, quæque supponatur sine amore Dei esse, sufficere ad absolutionem, ut anathema pronuntiet adversus negantes*, fuisse sequenti censura confixam: *Hæc propositio falsa est, temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in errorem inducit.* Vide perpolitum scriptorem de Re Sacrament. tom. 2. pag. 94.

17. Sententia requirens *amorem initialem* est conformis Tridentino.

Prop. V. Sententia ad gratiam in Sacramento consequendam exigens *initialem* amorem ipsi Tridentino Concilio, sacris literis, Patribus, & rationi videtur esse conformis.

Expulsis censuris, & adversantium Tridentino machinamentis disjectis, quæ superstrui solent damnato Lutheranorum dogmati, & orthodoxæ Concilii Tridentini doctrinæ, progrediendum mihi est ad stabiliendam sententiam hactenus ab erroris suspicione purgatam. Neque enim, si quidquam sapimus, immunis est solum, & disputantium arbitrio relicta; sed vera etiam, atque in primis eidem Oecumenicæ Synodi undequaque cohærens:

rens. Hujus veritatis haud obscura vestigia occurrent pacata mente legentibus præmissas duas positiones. Inde enim liquet sacrosanctum Concilium, dum ageret de dispositione sufficienti ac proxima, apposuisse *motum dilectionis in Deum;* & de hoc motu silens expunxisse, quæ sonant sufficientiam: quod utique argumento est, persuasum Patribus conceptam ex metu attritionem, nisi ad diligendum Deum progrediatur, non constituere contritionem illam, quæ est pars sacramenti, & ad gratiam justificationis proxima dispositio. Illud insuper sententiam, quam sequimur, plurimum corroborat, quod Tridentinum prælaudato cap. IV. declarat quovis tempore necessarium fuisse ad impetrandam veniam motum contritionis, ad hanc requiri aversionem à peccato, & conversionem cordis ad Deum, necessarium quoque esse animi dolorem, & odium ac detestationem peccati, oportere insuper, ut attritio voluntatem peccandi excludat: quæ omnia adversarii nostri fatentur, & attritioni pure *servili* inesse existimant. Qua in re si fallantur, quemadmodum eos falli suadent nobis ratiocinationes paulo infra subjiciendæ; sequitur consecutione legitima sententiam hanc nostram non everti, nec aliquatenus impeti, sed fulciri ac firmari ejusdem Tridentini Concilii firmissima & ineluctabili auctoritate. Postquam hæc leviter attigimus, recitanda sunt, quæ de necessaria ad gratiam dispositione docet ipsummet venerandum Concilium sess. VI. cap. 6. *Disponuntur* (inquit) *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo JEsu, & dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* Hinc argumentum istud eruitur: Præparatio animi necessaria ad obtinendam justitiam in Sacramento baptismi desideratur pariter in Sacramento Pœnitentiæ. At necessaria est in Sacramento baptismi ea præparatio, quæ præter fidem, timorem, & spem, includat initialem amorem, quo diligatur Deus tanquam fons omnis justitiæ. Igitur hæc animi præparatio desideratur pariter in Sacramento Pœnitentiæ.

Occurrunt huic argumento adversarii, reponentes Concilium accipiendum esse de amore concupiscentiæ, aut saltem de amore abstrahendo ab amore concupiscentiæ, vel charitatis. Amorem verò concupiscentiæ nec ipsi excludunt, siquidem cum attritione servili *spem* requirunt, quam expresse Concilium ipsum sess. XIV. cap. 3. commemorat. Quid ergo, si de amore charitatis Concilium accipiendum esse monstretur? At istud demonstratur perquamfacillime. Principio, cum decretum antea delineatum foret absque illis verbis, *Illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, postmodum addita hæc fuere, instantibus Theologis præstantissimis, ut insereretur actus aliquis charitatis, sine quo infructuosa esset pœnitentia. Arrige aures Eminentissimo Pallavicino hæc. lib. VIII. cap. 13. num. 13. enarranti. *Quod attinet ad id, quod dicitur de dilectione Dei, advertendum est, per tenorem decreti prius delineati nullam fieri dilectionis mentionem, sed Salvatorem Alepium Archiepiscopum, Turritanum, Claudium Jajum Societatis Jesu, Lippomanum Veronensis adjutorem, & Pium Franciscanorum præsidem admonuisse, ut aliquis charitatis actus insereretur; cumque id ad omnium Patrum judicium relatum fuerat, cum aliis præcipuis notis, ut indicavimus, viginti tres ex ipsis diserte illud comprobasse; adeoque insertum Decreto: sed postea aliis haud probatum; verum à Theologis strenue propugnatum, & per hæc verba retentum: Non est sermo eo loco de habitu charitatis; sed cum in particula, quæ loquitur de Pœnitentia, nulla fiat mentio amoris, visum est cum fide & spe jungere aliquem dilectionis actum; quia si pœnitentia tota esset ex timore, sine amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantum, & non propter Dei offensam, infructuosa esset.* Præterea non alia ratione quidam additamentum illud improbabant, nisi quia charitas, quæ diffunditur in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum sanctum, est *forma justitiæ*, non ad justitiam præcedens dispositio; sed ubi formatores decreti affirmarunt aliud esse actum charitatis, aliud habitum, & cum actu illo haberi quidem desiderium justitiæ,

18. Quidquid excipiant AA.

non

non semper obtineri justitiam ipsam; assensum singuli præbuerunt, statueruntque in habitu infuso charitatis, non in quolibet actu locandam justitiæ formam: quamobrem pergit memoratus Historicus cap. XIV. num. 3. *Quibusdam pariter animadvertentibus, charitatem superiori capite memoratam recenseri sub illius initium inter ea, quæ præparant animum ad justitiam suscipiendam, postea vero tanquam ipsius justitiæ formam poni; responderunt Decreti formatores, in primo loco sermonem esse de quodam actu charitatis, cum insit aliqua dilectio in homine non quidem obtinente, sed exoptante justitiam: at in secundo significari habitum charitatis.* Paucis te volo, qui negas de amore charitatis locutum esse Concilium. Cur de amore concupiscentiæ accipiendum illud est? Quoniam, inquis, dilectio & amor charitatis est *forma* justitiæ, aut saltem hanc semper obtinet. At falleris; primum, quia formatores decreti asserunt actum charitatis, qui præparat ad justitiam, hanc exoptare, non obtinere: deinde, quia docent illius dilectionis actum præparare animum ad justitiam suscipiendam, cujus dilectionis *habitus* est ipsa justitia. Hujusmodi autem *habitus* estne habitus spei, an habitus charitatis? Charitatis utique ex eodem Concilio proximo c. VII. Igitur dilectio præparans ad justitiam est dilectio charitatis, non concupiscentiæ, vel spei. Addo exigi à Patribus Tridentinis dilectionem, ut pœnitentia sit *propter Dei offensam*; quod auctore D. Thoma 3. p. q. 85. art. 5. ad 1. *pertinet ad charitatem;* verumtamen id paulo inferius expendam. Quid præterea opus erat commemorare præter spem actum dilectionis ad commonstrandum amorem concupiscentiæ à spe, cui non additur charitas, indivulsum? Hoc denique in loco amorem charitatis intellexerunt auctores Catechismi Romani, dum p. 2. cap. 5. num. 8. juxta doctrinam Tridentini exponentes gradus, quibus ascenditur ad pœnitentiæ virtutem, fide, timore, atque spe recensitis, *Postremo,* inquiunt, *charitate corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis & ingenuis filiis dignus oritur; atque id unum illud veriti, ne qua in re Dei majestatem lædamus, peccandi consuetudinem omnino deserimus.* Intellexerunt idem omnes illi Scholastici, qui cum Francisco Suarez Theologo Societatis Jesu doctissimo in 3. p. disput. IV. sect. 8. demonstrant hominem non posse Deo ad juris apices satisfacere pro semetipso, quia si id posset, posset præsertim per actum charitatis, quo diligeret Deum super omnia, qui tamen *actus amoris* (inquit Suaresius) *est dispositio, non autem formalis causa justificationis ex Tridentino sess.* VI. *cap.* 6. Intellexerunt idem Tannerus, eoque fatente, communi sensu Doctores alii; prout diss. 3. cap. 2. §. 1. demonstrat noster Le Drou:

19. Nec obstant quædam verba Decreti.

Neminem debet movere, quod præcipiat Tridentinum amorem, quo diligamus Deum, *tanquam omnis justitiæ fontem;* non enim his verbis præscribitur duntaxat amor Dei, quo diligatur propter nos, & tanquam causa justitiæ nostræ; sed ulterius exigitur amor, quo diligatur Deus propter se, ut summum bonum, ut illum, à quo est omnis justitia, & in quo, non tanquam in rivulis dispersa, tenuis, exhausta, quemadmodum in hominibus, sed tanquam in fonte permanet plena, incommutabilis, indeficiens. Primum namque hoc mente versabant editores decreti, ut exprimeretur actus dilectionis, quo *propter Deum*, non causa nostri, odio prosequamur peccata. Deinde amor justitiæ, quatenus est justitia nostra, & peccatorum remissio, nonne includitur in spe, qua erigitur animus, & qua fidimus Deum nobis propter Christum propitium fore? Nonne docet Scholarum Lumen S. Thomas 2. 2. q. 17. art. 8. pertinere ad spem illum amorem, *quo quis amat aliquid, non secundum se ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat?* Imo nonne amor iste præcedit spem, quæ teste Augustino cap. VIII. Enchiridii num. 2. *sine amore esse non potest?* Stulti ergo fuissent, nimiumque soliciti decretorum formatores, dantes operam, ut præter spem apponeretur dilectio, ne pœnitentia redderetur infructuosa; nisi aliam dilectionem intellexissent, quam spei comitem & pedisequam. Hospes præterea est in Augustini lectione quisquis nescit nil esse aliud amare Deum *tanquam omnis justitiæ fontem*, quam illum diligere tanquam rationalis creaturæ finem ultimum, à quo fine sese peccator avertit. Audiatur S. Pater lib. X. de Civit. Dei cap. 3. num. 2. *Ipse enim* (inquit de Deo) *fons nostræ beatitudinis, ipse nostræ appetitionis est finis. Hunc eligentes, vel potius religentes, amiseramus enim negligentes, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus.* Si velis expressum justitiæ nomen; S. Pater docens quomodo amandus sit Deus in lib. de Catech. rud. cap. 27. num. 55. *Amandus est* (inquit) *non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut amatur*

amatur sapientia, & veritas, & sanctitas, & justitia, & charitas; non quemadmodum sunt in homine, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis & immutabilis sapientiæ. In Psalmum itidem LXI. num. 21. ait: *Ergo cum sis injustus, esse non potes justus, nisi convertendo te ad quamdam justitiam manentem: à qua si recedis, injustus es; ad quam si accedis, justus es*, subinde demonstrans fusiori oratione, hujus justitiæ *fontem* esse Deum, qui est sua justitia, sua bonitas, sua veritas, summum denique bonum propter se diligendum.

20. Addita potissimum contra hæreticos.

Præterire non possum, quod sæpe in præcedentibus monui, agere Tridentinos Patres de dispositionibus ad gratiam adversus hæreticos repetentes justificationem à sola fide. Demonstravi autem Lutheranos negasse ad justitiam disponere fidem annexam operibus, & charitati inchoatæ, quam ob conjunctum timorem ajebant esse impedimento ad justitiam; & neminem proinde ante justificationem diligere Deum amore casto & innoxio. Hinc Lutherus in cap. 2. Epist. ad Galatas scribit: *Sophistæ cæci* (hoc nomine ab Apostata condecoramur) *somniant fidem non justificare, nisi ornata sit operibus charitatis.* Quid ergo magis veritati consonum, quàm si Concilium pertractans de dispositionibus ad justificationem, de illa dilectione verba faciat, quam hæretici negabant ad justificationem disponere? Sane, ne levem putes hanc conjecturam, Lovanienses Theologi ar. IV. in definitione contritionis apposuerunt ea verba *propter Dei offensam*, quæ non extant in definitione contritionis tradita à Conc. sess. XIV. cap. 4. subintelliguntur tamen, ut postea dicam: apposuerunt autem, inquit Ruardus Tapperus in Exposit. ejusdem articuli, *propter Martinum Lutherum, & Philippum, qui docent peccatorem non posse dolere de peccatis ob Dei offensam ex ejus amore, antequam remissum sit peccatum.* Eundem habuisse scopum Patres Tridentinos sess. VI. cap. 6. eo est verisimilius, quod ibi omnia, quæ præcedunt justificationem, difertissime connumerantur.

21. Alia adhuc responsio præcluditur.

Manet ergo primum hoc argumentum ab inani adversariorum effugio integrum, & inconcussum; nam quod quidam reponunt agere Concilium de justificatione extra Sacramentum, aut de dispositione congrua, sed non necessaria; deterior est responsio, nec alia indiget refutatione. Loquitur enim Concilium de justificatione suscipientium baptisma: eodemque cap. VI. ad dispositionem illam spectare docet quod legitur in Act. Apost. cap. X. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum.* Transiens posthac ad causas justificationis enumerandas, declarat ipsum Sacramentum baptismi esse *causam instrumentalem.* Exigit quoque, ut qui disponuntur ad justitiam, incipiant Deum diligere, ut moveantur adversus peccata *per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* De justificatione, quæ fit in Sacramento, necessum præterea est pertractet ea Synodus, quæ studet evellere hæreticum dogma adscribens justitiam fidei, quæ tanquam oppignoratione divina excitetur verbis Evangelicis, quibus Sacramentum administratur. De necessaria autem dispositione Concilium peragere, demonstrat verbum *oportet*, repetitum canone 3. evincit eadem de fide, de timore, de spe, atque de amore initiali loquendi ratio; unde sicut illa, ita iste necessario requiritur: confirmat additamentum decreto factum, ne pœnitentia evadat *infructuosa.* Cum igitur quæ ad consequendam justificationem in baptismo à Tridentino Concilio præscribuntur, à fortiori necessaria sint ad ipsam justificationem obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ, quæ laboriosus quidam baptismus appellatur ab eodem Concilio, necnon contritionem exigit, non tantum ut impius præparetur ad gratiam, qua ratione fuit quovis tempore necessaria ad veniam impetrandam, verum etiam tanquam partem Sacramentum constituentem; haud immerito existimamus Theologos pro necessitate charitatis initialis pugnantes nec latum unguem discedere à mente Patrum Tridentinorum.

22. Est insuper conformis S. Scripturæ.

Sacris etiam literis conformis videtur sententia nostra, sive attendantur quæ de charitate, & dilectione Dei in iisdem leguntur, sive quæ specialiter traduntur de conversione impiorum, atque de Pœnitentia. Quantum ad dilectionem attinet, habemus de illa primum omnium maximumque præceptum Deut. VI. 5. Matt. XXII. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Habemus singulare exemplum in muliere peccatrice, de qua legitur Lucæ VII. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Habemus charitatis nececessitatem apud Apostolum scribentem in priori ad Corinthios XIII. fidem, etiamsi montes transferat, eleemosynam,

mosynam, martyrium, aliaque sine charitate opera *nihil prodesse*. Quantum ad præceptum, tametsi non obliget semper, cum sit affirmativum, certum nihilominus est, aliquo tempore obligare, ac nimium laxos fuisse illos moralis Theologiæ Tractatores, qui vel dixerunt illud generale esse mandatum, & plene servari si cætera adimpleantur, vel asseruerunt per se obstringere duntaxat in mortis articulo, vel semel in vita, aut post longum temporis intervallum. Obviæ sunt damnatæ hac in re ab Innoc. XI. anno 1679. die 2. Martii propositiones. Si autem præceptum diligendi Deum obligat aliquando, tunc præsertim obligandi vim habet, quando peccator vult Deo, quem graviter offendit, reconciliari. Primo, quia aliàs fieri posset, ut scelestissimus homo nunquam in vita dilexerit auctorem suum, ac tandem supplicii terrore percitus peccata confiteatur, statim verò absolutione percepta extremam diem obeat, ideoque justificatus sit, quamquam toto vitæ suæ tempore Deum non dilexerit. Deinde, quia revera auctores nonnulli, ex eorum numero, qui defendunt sufficientiam attritionis pure servilis, architecti fuerunt earum propositionum, quas diximus ab Innocentio XI. fuisse proscriptas, cohærenti ratiocinio animadvertentes, quod si dilectio Dei ad justificationem non sit necessaria, nequaquam, aut dum primum illucescit ratio, aut dum humana vita transigitur, aut dum imminet fatum irreparabile, necessum sit Deum amare, nisi forte haberi nequeat alia justificationis via, intercluso ad Sacramentum accessu. Quid enim ultra ad salutem æternam desideratur, quando impius justitiæ gratia exornatus est, adoptatus in Dei filium, & factus divinæ consors naturæ habet pignus & arrham hæreditatis? Quod utique si præstat servilis timor, frustra opus aliud indicitur. Hinc adversariorum unus, à cujus nomine abstineo, p. 2. explicat. Decalogi cap. 3. §. 2. scribere non est veritus, *præceptum charitatis impositum fuisse ob justificationem impii, solum igitur obligare, quando impius, quia Sacramentum pœnitentiæ non est in promptu, non habet aliam viam, qua se justificet, nisi eliciat actum contritionis, quæ semper aliquo tandem modo actum amoris Dei super omnia dilecti involvit.* Id utique damnatum est decima nona ex laudatis confixis thesibus: sed hinc tamen apparet, ipsis propugnatoribus attritionis servilis persuasum aliquando, quod semel eorum sententia probata, nunquam obliget primum decalogi præceptum, nisi *indirectè*, & quando nulla alia adest via, *qua justificari possimus*. Nos contra, cum illud præceptum frequenter inculcandum esse arbitremur juxta ea, quæ scripsimus libro XXIII. cap. 15. maximè illud implendum asserimus, dum irato Deo volumus reconciliari, atque ea de causa ad sacerdotis pedes provolvimur, memores scriptum esse Deut. IV. 29. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & in tota tribulatione animæ tuæ:* & Ezech. XVIII. 31. *Facite vobis cor novum, & spiritum novum.*

23. Timor servilis videtur veniâ indignus.

Videtur propterea nobis magnopere cavendum, ne qui solo timore supplicii ad veniam petendam accedunt, à Deo, qui scrutatur renes & corda, tanquam adhuc corde aversi, & prava cupiditate irretiti, divina misericordia censeantur indigni. Conantur hæc Doctores nostri explicare comparatione mulieris, quæ in adulterio deprehensa, & permota solâ egestate, aut timore, peteret donari venia, virique consortio; at nunquam id assequeretur, si maritus gravi affectus injuria aversum à se mulieris animum inspiceret: non ita tamen, si foret ille timor uxoris castæ maritum suum diligentis. Atque exemplum istud acceperunt ab Augustino serm. 161. num. 9. & in Ps. 127. num 8. Eodem nos usi sumus IV. Volumine de variis timoris generibus differentes. Utitur consimili exemplo Albertus Pighius Controversia IX. pag. edit. Paris. 139. ubi ad ostendendum nunquam dolore solo, quo deflectur peccata *ob gehennæ metum*, veniam ab impio impetrari, *Si quis* (inquit) *homini, quem offendit, si servus Domino diceret: Doleo equidem vehementer; quod te offenderim, non tamen propter te; sed propter me doleo; quia ob tuam offensam merito cædor, vinculis constringor, bonis, quibus tibi obsequentes suaviter perfruuntur, ego miser careo; nunquid hic tali pœnitentiâ offensæ istiusmodi à Domino impetraret veniam?* Idem scribit Tapperus, de quo paulo infra; & Joannes à Daventria ad art. XII. Confessionis Augustanæ refutans hæreticos negantes dilectionem castam præcedere justificationem, *Nunquam*, ait, *inimicus reconciliatur, nisi prius diligat eum, quem prius odio prosequebatur: nunquam ingratus agnoscet beneficium in se collatum, nisi prius male affectum animum exuat, id est, inimicus & ingratus non justificantur, nisi charitate & gratia intervenientibus. Ideo*

Catholici tradunt non sufficere ad peccati remissionem, si tantum timeat, & peccatorum remissionem speret, sed quod oporteat eum ex toto corde dolere, & converti ad Deum, ita, ut non tantum timeat, sed diligat Deum. Vide Harmoniam Confess. Augustanæ pag. 239.

24. Exemplum Magdalenæ benè servit ad propositum.

Addidi supra exemplum Magdalenæ. Dicent, opinor, adversarii hanc sine virtute Sacramenti fuisse justificatam. Non tantum id fateor, sed etiam vehementem illam charitatem in paucis adesse credo. Ad rem tamen nostram exemplum istud profertur: primum, quia in Tridentino Concilio hoc idem protulerunt Theologi, ut *actus dilectionis* capiti sexto sess. VI. insereretur, ut dixi prop. 4. deinde quia Lutherana hæresi exorta adhibuerunt Catholici idem exemplum, ut evincerent dilectionem nostram requiri ad gratiam remissionis obtinendam, prout constat ex Philippica IX. Virvesii, de qua in prop. 2. Ulterius, quia Petrus Soto (de quo plura Lupus in Epistola ad Norisium cap. 2.) in Instruct. Sacerdotum Lect. XIV. disertissime docet nec veram, nec sufficientem esse contritionem sine illa dilectione Dei, de qua dictum est, *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum:* insuper quia doctus gravisque auctor sermonis VII. inter Augustinianos de Tempore, nunc Append. 117. num. 10. ita pœnitentes sese ad sacramentum disponentes alloquitur: *Vos modo debetis amare Deum, & de timore jam ad dilectionem transire, quia sic legimus in Evangelio de peccatrice illa, Cui multum dimittitur, multum diligit.*

25. Sicut & effatum Apostoli 1. ad Cor. c. 13. v. 3.

Commemoravi præterea Apostolum in prima ad Corinthios scribentem, nec donum linguarum, nec fidem, nec eleemosynam, nec ipsum martyrium ad vitam æternam absque charitate prodesse. De martyrio, quod tantum valet ad dimittenda peccata, quantum si quis abluatur sacro fonte baptismatis, neque ex opere operantis producit gratiam, sed ex se, & quatenus est imitatio passionis Christi, sicuti demonstratum est lib. XXXI. cap. 23. inquit laudato cap. 13. num. 3. prædicator veritatis: *Etsi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sine charitate igitur non percipitur martyrii fructus; quamvis martyrium sit species quædam baptismi; atque *ex opere*, ut inquiunt, *operato* conferat gratiam: ergo neque sine charitate percipi potest fructus Pœnitentiæ & sacramenti, quamvis istud vi sua, & supra dispositionem suscipientium, gratiam producat. Quod respondere solent, loqui Apostolum de charitate *habituali*, sine qua non habetur meritum *de condigno*, non una ratione manifestò refellitur. Nam egregius Pauli interpres Chrysostomus hom. 32. pag. 609. charitatem illam explicat iis, quæ Matth. XX. dicta sunt à Domino filiis Zebedæi, & quæ Joannis XXI. dicta sunt Petro; ubi commendantur exercitia charitatis, præsertim vero imitatio Christi, qui animam suam dedit pro humani generis redemptione; appellatque Chrysostomus charitatem illam τὸ κατόρθωμα, nimirum, ut in I. Officiorum scripsit Cicero, *recte factum.* Ac S. P. Augustinus serm. XV. de Verbis Apostoli nunc 169. num. 14. ad charitatem illam, de qua Paulus, explicandam utitur exemplo latronum, qui effossis quoque lateribus, & penè perditis membris nolunt obstinatione nequissima prodere conscios criminis, nec nomina sua confiteri: quod utique sine magno amore non faciunt, amore nempe cupiditatis, quo amant conscientiam scelerum, gloriamque facinorum; hæc subjiciens de charitate martyribus necessaria: *Nec tu poteris communicare Christi passionibus sine amore. Sed quæro, quo amore? Non sit cupiditas, sed sit charitas.* Ubi perspicuum est, Augustinum *charitatis* nomine intellexisse motum animi se convertentis in Deum, quemadmodum nomine cupiditatis intellexit motum animi se convertentis ad res creatas. Et revera Sanctus Pater *motum animi* cupiditatem, charitatemque à se appellari, testatur in tertio libro de Doct. Christ. cap. 10. num. 16. Insuper Apostolus eo loci memorat linguas, fidem, distributionem rerum, & charitatem, & quæ priori ordine complectitur, refert ad actum, non ad habitum, dicens, *Si linguis loquar, si distribuero, si montes transferam, &c.* Itaque & charitatem pro dilectione, non pro *forma*, & *habitu* accepit. Hinc Tannerus disp. 2. de spe q. 2. dub. 3. num. 95. ait: *Apostolus loquitur de charitate considerata quoad actum secundum, ut Sancti quoque intellexerunt, & constat ex antithesi linguarum, quæ vel solum, vel maxime ad actum secundum pertinent.* Tandem ut quis per martyrium consequatur vitam æternam, necessum non est, ut exornatus sit charitate *habituali*, & gratia sanctificante. Si ergo Apostolus ait martyrium absque charitate nihil prodesse, de charitate actuali, non de *habituali*, instituit proculdubio sermonem. Vide Hieronymum

Harts

Harts in libro, quem inscripsit *Catholica & salutaris Attritio*, pag. edit. Antwerp. 11.

26. Et 2. ad Cor. 7. v. 10.

Peculiarem denique de Pœnitentia locum legimus in 2. ad Corinth. VII. 10. *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur; sæculi autem tristitia mortem operatur.* Ex quo loco Florentius De-Coq. Præmonstratensis de Pœnit. sect. VIII. aliique posteriores inferunt attritionem formidolosam non operari *salutem stabilem*, cum non sit tristitia *secundum Deum*, sed secundum nos ipsos. Nec videtur mihi argumentatio ista imbecillis. Etenim S. Thomas sect. 3. in caput VII. nuper laudatum scribit: *Sciendum est, quod tristitia, & gaudium, & communiter omnis affectio ex amore causatur. Tristatur enim quis, quia caret eo, quod amat. Qualis autem est amor, talis est tristitia ex amore causata. Est autem duplex amor. Unus, quo diligitur Deus, & ex hoc causatur tristitia secundum Deum. Alter, quo amatur sæculum, & ex hoc causatur tristitia sæculi.* Si ergo tristitia pœnitentium debet esse *secundum Deum*, ex amore Dei oriatur necessum est. Dicent fortasse adversarii, idcirco Lutheranos damnasse timorem servilem, quod proveniat ex amore noxio. At nihil ad rem præsentem istud est: ostendimus enim lib. XXIII. cap. 12. amorem inordinatum nequaquam esse de essentia timoris, ac *servilitatem*, amoremque noxium, si timori insit, vitium esse timentis, non timoris. Ac dato insuper timorem servilem derivare ex recto amore sui, in quo nulla foret perversitas nec etiam ex parte timentis; non esset tamen pœnitentia inde tantum concepta derivata ex amore Dei, ideoque non constitueret tristitiam *secundum Deum.* Memini nunc opportunè eorum, quæ scribit Tapperus in Explicat. articulorum Lovaniensium pag. 112. edit. Colon. Demonstrat ibidem falsam esse opinonem Scholasticorum asserentium sufficere in Sacramento attritionem servilem valido hoc ratiocinio: *Nam Apostolus Paulus in Actis solum annuntiat pœnitentiam, quæ secundum Deum est, & ad Corinthios, Tristitia (inquit) quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: Ubi Ambrosius in Commentariis* (fateor ego non esse Ambrosii) *manifestum, inquit, est; quia qui tristis est quia peccavit, secundum Deum tristis est, dolet enim quia fecit quod odit Deus. Idem Beatus Chrysostomus, & Theophylactus. Nam ne homo quidem justus placaretur, cum is, qui læsit, nullam ipsius in dolore habet rationem, nec ab eo in amicitiam reciperetur, qui jacturam propriam sentit, & dolet, non amici offensionem. Oportet igitur cum attritione, quæ fit ob metum supplicii, aliam affectus mutationem conjunctam esse, ut scilicet rationes, ob quas de peccatis dolemus, moveant ad altiorem considerationem, mentisque ad Deum etiam affectionem.*

27. Reticitis pluribus.

Plura sunt alia, quæ Theologi nostri proferunt ex sacris literis, ut quod legitur Matth. x. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus:* quod ait Apostolus prope finem epistolæ 1. ad Corinthios, *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema;* & quod habetur 1. Joannis III. 14. *Qui non diligit, manet in morte*, ex quibus legitime inferunt eum, qui non amat Deum super omnia, indignum esse gratia & reconciliatione, habere in se obicem ad vitam spiritalem, atque divinæ execrationi obnoxium esse. De quibus Le-Drou cap. 1. diff. 3. De-Cocq citato in loco, Juenin. quæst. IV. de Contrit. §. 3. Witasse quæst. 3. sect. 3. argument. 1. Auctor librorum de Re Sacrament. lib. VI. cap. IV. art. 2. omnesque alii sententiæ nostræ defensores.

28. Est etiam conformis Patribus.

Quæ diximus è scripturis inferri, eadem traduntur à Patribus. Ut producam aliqua; Tertullianus de Pœnit. cap. 4. *Pœniteat*, inquit, *errorum reperta veritate, pœniteat amasse quæ Deus non amat; quando ne nos quidem ipsi servulis nostris ea, quibus offendimur, non odisse permittimus. Obsequii enim ratio in similitudine animorum constituta est.* Quomodo autem pœnitere nos possit quod amaverimus quæ Deus non amat, nisi etiam amemus quæ amat, studentes animum reformare divini amoris, & odii similitudine, id non adeo facile intellectu percipimus. Magnus Basilius in Regulis brevioribus, Interrogatione x. ait quidem debere eum, quem pœnitet, *magistram timoris sibi ascisscere comminationem æterni judicii, suppliciique*; sed Interrog. sequenti monet, postquam persuasum ei sit, quot, & quam gravium malorum peccata sint causa, oportere, *ut ex animo odium adversus ea concipiat ejuscemodi, quale is indicavit, qui dixit, Iniquitatem odio habui, & abominatus sum*; quod paulo infra explicans docet tale haberi odium, *si pœnitens animadverterit affectionem animi in se esse ei similem, qui dixit, Iniquitatem odio*

habui, &c. ἐαν θεώρησῃ αὐτον ἐν τῇ διαθέσει τῶ εἰπόντος, ἀδικίαν ἐμίσησα, καὶ ἐβδελυξάμεν. Quænam vero fuit affectio Davidis verba hæc proferentis, nisi forte quam subjectis verbis ipse declarat Psalm. 118. 163. *Legem autem tuam dilexi. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Expectabam salutare tuum, Domine, & mandata tua dilexi. Custodivit anima mea testimonia tua; & dilexit ea vehementer?* Pœnitentia itaque juxta Basilii doctrinam ex timore concipitur, sed tunc vere includit odium peccati, quando complectitur Davidis *affectionem.* Atque hæc aliquâ indigent notatione, siquidem adversariorum nostrorum nonnulli, atque hos inter domesticus Riccius, avide nonnulla Basilii verba arripientes, nec reliqua ponderantes, patronum jactant, quem vereri potius debent sibimet adversantem. Sequitur sanctus Ambrosius: qui lib. 2. de Pœnit. cap. 1x. num 80. docens veniam tanquam ex fide, non tanquam ex debito sperandam esse, *Tanquam ex syngrapho* (inquit) *fides impetrat. Prius solve quod debitum est, ut quod speraveris impetrare merearis. Solve boni affectum debitoris, ut versuram non facias, sed fidei tuæ censu contracti nominis fœnus evacues.* Ac paulo infra producto exemplo viduæ, quæ misit in gazophylacium duo tantum æra minuta: *Quid enim*, ait, *prodest collatio patrimonii sine gratia charitatis?* de affectu utique verba faciens, quem Deus exigit, ut debitum solvat contracti sceleris. In Epistola quoque ad Horontianum 74. nunc 78. num. 7. profert sententiam illam perspicuam, *Qui non diligit, peccato obnoxius est:* ac subinde aliam sedulo ponderandam, *Charitas peccandi excludit affectum.* Ex Græcorum eloquentissimo Joanne Chrysostomo sat est producere, quæ Billio interprete leguntur Hom. 1v. in Epist. 2. ad Corinth. *Cum peccaveris, ingemisce: non quod pœnas daturus sis, nihil enim hoc est, sed quod Dominum Deum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum, ut filium quoque suum tui causa tradiderit;* quæ Græcè extant: σύναξον ὅταν ἁμάρτῃς, μὴ ὅτι κολάζεσθαι μέλλεις. τοῦτο γὰρ οὐδέν. ἀλλ' ὅτι προσεκρούσας σὲ τῷ δεσπότῃ, τῷ ἅγιος ἡμέρᾳ, τῷ ἅγιος σε φιλοῦντι, καὶ ἐκκρεμαμένῳ τῆς σωτηρίας τῆς σῆς, ὡς καὶ τὸν υἱὸν ἐπιδοῦναι ὑπὲρ σοῦ. Augustinus fere totus exscribendus foret, si producenda essent loca ejus omnia quæstionem hanc attingentia. Quædam paulo post theologicis rationibus inseram. Sufficiat modo ea tantum præmittere, quæ sunt fundamenta cæterorum. Principio S. Pater docet sine charitatis officio, de quo legitur, *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* nil prodesse *inter quantacunque tormenta* confiteri Christi nomen: ita Conc. xxi. in Psalm. 118. num. 8. ac Tract. vi. in Joan. num. 23. ut mittam sermonem 53. de Tempore à nostris laudatum, rejectum tamen in Appendicem num. 108. Docet præterea *ad charitatem referri omne præceptum;* quod non refertur ad charitatem nondum fieri, *quemadmodum fieri oportet*, quamvis fieri videatur; sola dilectione & charitate *filios Dei discerni à filiis Diaboli*; ante charitatem, qua eligat, & diligat Deum, *hominem impium esse, nec veraci corde sæculo renunciare*: ita cap. ultimo Ench. 32. Tract. v. in Joannis Epistolam num. 7. de Patientia cap. 17. num. 14. atque Epist. 89. nunc. 157. ad Hilarium num. 34. Docet denique neminem posse *absque charitate* cum timore & tremore salutem propriam operari; neminem, nisi Dei & proximi amator sit, *de sinistra ad dexteram posse transferri*; atque unumquemque ex servo peccati fieri servum justitiæ, si *liberaliter* serviat, id est, *charitate potius, quàm timore*: ita citato libro de Patient. cap. 25. num. 22. lib. xv. de Trinit. cap. 18. num. 32. & epist. 144. nunc 145. ad Anastasium num. 4. In hoc postremo loco, ut unum saltem proferam integrum, ait S. Pater: *Inaniter autem putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit quia impune non potest fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam, peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit, quod eam si posset auferret? Ac per hoc quomodo justus est, justitiæ talis inimicus, ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si ejus amore non peccet: tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.* Hæc Augustinus. Quis autem, obsecro, eum ad recipiendam justitiam idoneum dixerit, qui illam

29. Præsertim Augustino.

profe-

prosequitur odio, qui nequit victor esse peccati, qui ipsi peccato *serviliter* subjicitur, qui nondum salutem propriam operatur, qui veraci corde perversis operibus non renunciat, qui nec credit, nec sperat, nec agit pœnitentiam, quemadmodum oportet, ut justificationis gratia illi conferatur? At hujuscemodi esse hominem, qui Deum non diligit super omnia, timetque tantum ardere, res est in Augustini libris frequentissime repetita. Cyrillus Alexandrinus Hom. VIII. in festis Paschalibus scribit, *plenitudinem omnium, quæ in lege præcipiuntur, effici à studio colendæ charitatis: eam vero qui negligat, vetitis se criminibus alligari.* Atque ad hoc comprobandum utitur illius comparatione, qui paratus est alienum thorum invadere, hominemque interficere, nisi præ studio charitatis abhorreat à molestia cuique inferenda, nec à pudore, & reverentia erga illum, cui necem intentat, traducatur ad facilitatem, animique mansuetudinem, concludens illustri hac sententia; ὁ νόμος πᾶσαν ἡμᾶς ἀρετὴν ἀπευθύνων νόμος, ἐν ἀγάπῃ τὴν πλήρωσιν ἔχει. *Lex igitur ad omnem nos virtutem informans, plenitudinem habet in charitate.* Vide p. 2. tom. 5. edit. Joan. Auberti pap. 95. Sanctus Petrus Chrysologus serm. 94. pag. Ven. edit. 115. ad hunc loquitur modum: *Audistis quemadmodum cælestis creditor totum debitum charitate compensat, & ad incrementum totius fœnoris amoris solius exigit, & requirit usuram?* Et infra: *Absolvi vis? Ama: charitas cooperiet multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid pejus? & tamen Petrus amore solo valuit hoc delere, probante Domino, cum dicit: Petre amas me? Inter omnia præcepta amor obtinet principatum*; & prope finem sermonis: *Fratres, si nos esse peccatores novimus, & esse nolumus peccatores, pedibus Christi demus lacrymas, spargamus capillos, figamus oscula, pietatis oleum tota devotione fundamus, ut dicatur nobis: Dimittuntur vobis peccata multa, quia dilexistis multum.* Proximus est Sanctus Leo, qui sermone VII. de jejunio septimi mensis post commemorata duo charitatis præcepta inquit: *Christo Domino docente cognovimus, quod in his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ, tantaque est sub hujus geminæ charitatis edicto utriusque copula testamenti, ut sine istarum connexione virtutum nec lex quemquam inveniatur justificasse, nec gratia.* Magnus Gregorius in lib. 1. Moralium cap. 26. num. 37. hæc de Sancto Jobo habet: *Bene autem dicit, Timens Deum, & recedens à malo, quia sancta electorum Ecclesia simplicitatis suæ, & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat: cui tunc est funditus à malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cum vero adhuc timore bona agit, à malo penitus non recessit: quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si peccare inulte potuisset. Recte ergo cum timere Deum Job dicitur, recedere etiam à malo perhibetur; quia dum metum charitas sequitur, ea quæ metu relinquitur, etiam per cogitationis propositum culpa calcatur.* Scribit consimilia lib. VI. cap. 15. num. 42. Vide & sanctum Paterium Gregorii discipulum lib. X. in 4. Reg. c. 3. S. Bernardus epist. XI. n. 3. de charitate ea verba interpretatur, *Lex Domini immaculata convertens animas*, eo quod sola charitas sit, *quæ ab amore sui, & mundi avertere possit animum. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam. Mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam.* Thomæ Aquinatis Scholasticorum principis producam nonnulla in proximis ratiocinationibus Theologicis. S. Thomas à Villanova Concione in Dominica Passionis docens opus esse, ut accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ dolorem *de peccato* concipiat, *Dolendum est* (inquit) *de peccato, prout est offensa Dei, sic, ut etiamsi nullum incommodum de peccato proveniret, neque esset infernus, aut judicium, etiam displiceret peccatum, quia Deus est offensus*; ac paulo post id *maxime advertendum esse* declarat. S. Bernardinus Senensis t. 1. serm. 12. p. Ven. edit. 78. posteaquam demonstravit dolorem pœnitentium esse *displicentiam rationis*, quæ scilicet *nullo pacto, nulloque commodo vel incommodo velit consensisse. Ex his*, inquit, *aperte elici potest, quod qui conteritur principaliter propter timorem inferni, & non propter amorem Dei, non est in statu salutis; quia non dolet amore Dei, sed amore sui, ut si cessaret damnatio ex perpetrata culpa, cessaret & contritio illa. Sed secundum Scotum in* IV. *dist.* 20. *licet ad veram contritionem concurrat timor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans.* Quod Bernardinus explicat comparatione ex Augustino desumpta, acûs, dum calceus consuitur, filum sutorium per setam introducentis. Eodem loco *ad displicentiam rationis* (quæ proculdubio etiam in Sacramento requiritur) ait necessum esse, *ut homo diligat Deum super omnia, etiam supra se ipsum*, ex quo docet nasci, *ut pro nullo commodo, vel incommodo offendere Deum*

30. Et aliis plurimis.

Deum velit. In serm. etiam de Confess. peccatorum tom. 3. pag. 358. exigit in Sacramento amaritudinem illam, de qua Isaias: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*, quod ita declarat: *In pace namque est amaritudo, cum mens de suis sceleribus in pace conscientiæ cruciatur, & in doloroso gaudio amaricatur; quæ quidem amara est ex afflictione æternæ pœnæ, amarior de amissione æternæ gloriæ, sed amarissima ex perpetratione divinæ offensæ.* Interim quid Scotus senserit, non inquiram; sed hæc tamen asseclis suis expendenda relinquo. Nec prætermittam Florentinorum Antistitem sanctum Antonium, qui in Summa tit. XIV. quartæ partis cap. 5. p. 242. *de timore servili* accuratissime disputans docet hunc bonum esse & à Spiritu sancto procedere; perutilem esse, *quia disponit ad charitatem:* produci hujusmodi timorem *ex fide licet informi*: cum hoc timore hominem velle sibi licere, *quod etsi non facit, tamen faceret*, nisi timeret subire pœnam: id expresse traditum ab Augustino, nec ignoratum à Poeta, qui ait, *Oderunt peccare mali formidine pœnæ:* atque post multa hujus generis admonendos docet pœnitentes, præsertim in gravi constitutos infirmitate, ne propter timorem servilem principaliter moveantur, *Nam* (inquit) *inutilis esset tibi talis pœnitentia.* In cujus rei confirmationem non solum ait hanc esse expressam Augustini sententiam; verum & refert quemdam Parisiis vitâ functum præceptori suo post obitum apparuisse, ac testatum se addictum esse sempiternis gehennæ suppliciis: quod cum præceptor summopere miraretur, eoquod ille Ecclesiæ sacramenta cum multis lachrymis suscepisset, *Pœnitentia mea* (inquit miserrimus animus) *& lacrymæ illæ non fuerunt ex amore Dei, & principaliter propter Dei offensam; sed propter timorem inferni, ne ad illum deputarer, & ideo mihi non valuit.* Postremo S. Franciscus Salesius lib. 2. de Amore Dei cap. 19. concludit: *Pœnitentia, quæ expellit amorem Dei, infernalis est, & pœnitentiæ damnatorum consimilis: pœnitentia vero, quæ non excludit Dei amorem, quamvis absque illo interdum sit, est quidem bona & exoptabilis pœnitentia, imperfecta tamen, & quæ salutem conferre nequit, quoadusque ad amorem pertingat, eique sit conjuncta. Quare sicuti magnus inquit Apostolus, nil sibi profuturum, si corpus suum igni traderet, omnesque facultates pauperibus distribueret, & non haberet charitatem; ita & nos vere possumus affirmare Pœnitentiam nostram, tametsi adeo esset vehemens, ut præ dolore oculi in lachrymas erumperent, & cor nostrum dolore macerareturr, nisi tamen in nobis sit amor Dei, nullius prorsus adminiculi futuram fore ad vitam æternam consequendam.*„ Le repentance (inquit pag. 192. edit Lugd.) qui forclost l'amour de Dieu, est infernale, pareille à celle des damnez: la repentance qui ne rejette pas l'amour de Dieu, quoy qu'elle soit encor sans iceluy, est une bonne & desirable repentance, mais imparfaicte, & qui ne peut nous donner le salut, jusques à ce qu'elle ayt attaint à l'amour, è qu'elle se soit meslè av ec iceluy: Si que comme le grand Apostre à dit, que s'il donnoit son corps à brusler, & tous ces biens aux pauvres, sans avoir la charitè, celà luy seroit inutile; aussi pouvons-nous dire en veritè, que quand nostre penitence seroit si grande, que sa douleur fit fondre nos yeux en larmes, & fondre nos cœurs de regret, si nous n' avons pas le sainct amour de Dieu, tout cela ne nous serviroit de rien pour la viè eternelle.„ Hæc, aliaque plurima, quæ prætermitto, quamvis non omnia Sacramenti mentionem faciant, demonstrant nihilominus odium peccati, quatenus offensa Dei est, proficisci ex aliquo charitatis amore, timorem servilem non adversari, sub hac saltem ratione, perpetratis sceleribus, & bonum esse utique, sed nunquam ad vitam sempiternam perducere, si divellatur à dilectione; ideoque omni jure etiam tenent de accedentibus ad Sacramentum, siquidem & hi debent admissam culpam odisse prout Deum afficit injuriâ, atque id agere, quod sibi ad salutem comparandam prodesse queat. Quidam etiam ex laudatis Patribus de ipsomet Sacramento pertractant; idque apertissimum est de Thoma Archiepiscopo Valentino, de Bernardino Senense, & de Antonino Florentinorum Antistite. Ad hæc vero elevanda nil roboris habent ea loca quamplurima, in quibus iidem Ecclesiæ Patres timorem commendant, hunc studeant incutere, ab hoc repetunt conversionem iniquorum, & huic tribuunt sæpenumero consecutionem salutis: nam præterquamquod solent hæc affirmare de timore filiorum, quem dicimus initialem; nil rectius, & verum magis dici potest, quàm à timore servili concipi spiritum dilectionis, & commoda plurima derivare alibi à nobis commemorata. Quare ex his intelligimus opportune Patres præfocasse nascituram hæresim damnantium sempiterni supplicii formidinem, simulque nobis

parasse

paraſſe præſidia, quibus pro ſancta dilectione pugnemus, & eos, qui pro timore decertant, non timeamus.

31. Eſt demum conformis rationibus Theologicis.

His accedunt argumentationes Theologicæ plures, quarum hoc in loco aliquas proferemus. Ac prior ſit, quod teneamur deteſtari peccatum, quatenus eſt Dei offenſa; id vero abſque initiali amore fieri nequaquam poteſt. Amor ergo initialis etiam in Sacramento requiritur. Quod debeamus deteſtari peccatum, *ut offenſa Dei eſt*, quamquam id negant nonnulli, adeo mihi perſpicuum videtur, ut animo quidem meo contraria aſſertio horrorem quemdam incutiat: nam primùm Tridentini Patres infructuoſam pœnitentiam dixerunt, quæ propter pœnam tantum eſſet, *non propter Dei offenſam*, prout ſuperius oſtendi. Deinde, etſi Concilium ſeſs. XIV. cap. 4 in definitione contritionis, quam neceſſariam fuiſſe *quovis tempore* affirmat, verba hæc *propter Dei offenſam* minime apponat, facile tamen illa ſubintelligenda declarat, dum ſemel iterumque requirit commiſſi peccati deteſtationem: cum enim peccatum ſit injuria Deo illata, divinæque legis tranſgreſſio, non video, quomodo cenſendi ſint odiſſe peccatum, qui injuriam ipſam, Deique offenſam non execrantur: nec percipio, quomodo formidare ſupplicium deteſtatio ſit criminis, & non potius pœnæ, qua plectitur criminoſus. Præterea Lovanienſes Theologi art. IV. declararunt comprehendi in definitione Tridentini hæc alia, *Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus*: in quem articulum Ruardus, *Dolor debet eſſe de peccato, ut peccatum eſt, hoc eſt, quia Dei offenſivum eſt. Eſt enim peccatum hac ratione dolendum, quia eſt receſſus à lege Dei, & per conſequens ab ipſo Deo, à quo avertimur eo ipſo, quod legi ejus non ſubdimur, ſed eam prævaricamur convertendo nos inordinate ad bonum commutabile.* Nec ſilentio prætereundum eſt XXXII. Lovanienſium articulos juſſu Caroli V. fuiſſe editos anno 1544. ejuſque auctoritate vulgatos ad hæreſeon extirpationem cum hoc titulo: *Axiomata ab omnibus fere de Catholica fide ſentientibus firmiter credenda.* Denonſtravimus inſuper triſtitiam pœnitentium debere eſſe *ſecundum Deum.* Clerus denique Gallicanus in comitiis generalibus celebratis primo hujus ſæculi anno hanc propoſitionem, *Attritio ex gehennæ metu ſufficit etiam ſine ulla Dei dilectione, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu, quia talis honeſta & ſupernaturalis eſt*: gravi hac cenſura notavit: *Hæc propoſitio, qua à diſpoſitione neceſſaria ad abſolutionem excluditur quilibet ad Deum offenſum reſpectus, temeraria eſt, ſcandaloſa, & in hæreſim inducit.* Ergo quod neceſſaria ſit in Sacramento deteſtatio peccati, in quantum eſt offenſio Dei, res eſt admodum manifeſta. At hujus generis deteſtationem proficiſci à charitatis amore, id quoque apertiſſimum exiſtimamus. Enim vero dederunt operam Patres Tridentini, ut capiti 6. ſeſs. VI. *aliquis charitatis actus inſereretur*, hac duntaxat ex cauſa, ne pœnitentia, ſi tota eſſet ex timore, & *non propter Dei offenſam*, infructuoſa eſſet. Putarunt itaque non eſſe revera dolorem propter offenſam Dei, qui non oritur ex actu aliquo charitatis. Et quidem ſanctus Thomas charitati tribuit, *quod homo doleat de offenſa in amicum commiſſa*, 3. p. q. 84. art. 5. ad 2. Scribit pertinere ad charitatem, quando peccatum homini diſplicet *propter Dei offenſam*, q. 85. art. 5. ad 1. Repetit q. 3. ſupplem. art. 1. ad 4. *Malitia in culpa mortali menſuratur ex eo, in quem peccatur, in quantum eſt ei indigna; & ex eo, qui peccat, in quantum eſt ei nociva. Et quia homo debet magis Deum, quam ſe ipſum diligere, ideo plus debet odire culpam in quantum eſt offenſa Dei, quam in quantum eſt nociva ſibi.* Ex his quis non videt illum deteſtari peccatum, *ut Dei offenſa eſt*, qui Deum diligit ſuper omnia? Viderunt id utique Franciſcus Victoria, Petrus Soto, Andreas Vega: quorum teſtimonia exſcripta à Morino p. 117. ideo prætermitto, quia omnium inſtar eſſe poteſt Gabriel Vaſquez hoc, quod contendimus, prolixè demonſtrans in 3. p. q. 85. art. 2. dub. 1. Eo loci num. 40. affirmat deteſtationem peccati, *ut Dei offenſa eſt*, pertinere ad charitatem: num. 41. hoc demonſtrat ex quo *omnis virtus amat ſuum objectum, & odit oppoſitum*: num. 42. ait eundem eſſe actum odium peccati, & amorem Dei; *ſicut enim*, inquit, *in actu delectationis de bono Dei, neceſſario eſt amor ipſius Dei; ſic in odio peccati, ut eſt Dei offenſa, intrinſece, & inſeparabiliter includitur amor ipſius Dei*: num. denique 45. concludit: *Sic ergo odium peccati, ut eſt Dei offenſa, & quodammodo malum ejus, eſt amor Dei, ut in ipſo complacentia propter ſuam bonitatem, & fuga peccati, ſeu diſplicentia: nollemus enim Deo, quòd eſt ſumme bonus, peccaſſe; unde conſtat, quomodo non imperetur à charitate, ſed ſit charitatis actus*, &c. Ita Vaſquez pag. edit. Lugdun. 41. Itaque hæc eſt noſtra, for-

fortasse non contemnenda ratiocinatio: Accedentes ad Sacramentum debent peccata detestari, quatenus sunt offensa Dei. Nemo peccata sub hac ratione detestatur sine actu aliquo charitatis. Ergo accedentibus ad Sacramentum actus aliquis charitatis necessarius est.

32. Confirmantur dicta.

Huic argumento firmitatem addunt alia, quæ, si rem penitius inspiciamus, in eo latent & comprehenduntur: Ac primum illud est, non unam esse in peccato malitiam, sive virtuti contrariam perversitatem, sed plures in illo, ut Scholastici ajunt, inveniri respectus, quorum unus est, quod afficiat Deum injuria, alter, quod ab ipso Deo separet, tertius, quod damnationem suppliciumque promereatur, postremus, quod sit res turpis, inhonesta, & humanæ etiam vitæ pernicios a. Hi autem respectus respondent variis animorum nostrorum affectionibus; primus quidem amori, quo Deum diligimus, ut in se bonum, alter amori, quo diligimus Deum, ut bonum nobis; tertius incusso timori, alii tandem honestatis, vitæ, rerumque humanarum dilectioni. Atque hæc à D. Thoma, nisi iisdem verbis, certo æquivalentibus, traduntur in locis paulo supra productis. Is ergo, qui Deum propter se, sive tanquam in se bonum non diligit, nequit sub ea ratione odio habere peccatum, *quatenus offensa Dei est.* Obversabatur profecto menti eorum, qui Catechismum Romanum, jussu SS. Pontificis Pii V. exornarunt, ratio hæc apertissima, dum p. 2. cap. 5. num. 27. scripserunt: *Si uti Deus summum bonum est inter omnia, quæ diligenda sunt, ita etiam peccatum summum est malum inter omnia, quæ odisse homines debent, illud sequitur, ut quam ob causam Deum summe diligendum esse confitemur, ob eandem rursus peccati summum odium capiamus, necesse sit.* Præterea nihil est odium, nisi indignatio quædam, aversio animi, & execratio, tam vehemens, quantum corda adversus amor incendit: unde Augustinus epist. 145. num. 5. ait: *Tantum porro quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit, quod non poterit lege terrente per literam, sed Spiritu sanante per gratiam*; & lib. 2. contra adversarium legis c. 7. num. 27. *Prohibitio enim peccati quod est lex, auget profecto desiderium peccandi, quod non extinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.* Si ergo quis justitiam non diligat, nec desiderium habeat recte faciendi, non prosequitur odio, nec aversatur peccatum: &, quoniam facile adversarii admittent hanc illationem, afferentes discrimen inter dilectionem justitiæ, & Dei amorem benevolum; adde consequentiam alteram, Si ergo quis non diligit justitiam, ut est ordo amoris, quo summum & incommutabile bonum præfertur rebus creatis, & bonis omnibus commutabilibus, is non habet odio peccatum, *prout est offensa Dei*, injuria scilicet illata summo Bono, incommutabili, cæterisque omnibus præferendo. Hi præterea, qui timore concussi aliquid agunt, non odio habent id, quod agunt, *ut est in se*, licèt non coacte, sed voluntarie illud agant, & agere proponant, ut malum vitent. Hinc S. Thom. 1. 2. q. 6. art. 6. ad 1. ait: *Id quod per metum agitur, fit voluntarium, ideo, quia motus voluntatis fertur in id, licet non propter se ipsum, sed propter aliud, scilicet ad repellendum malum:* & proximo articulo ad 2. inquit: *In eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia ad id, quo agitur, secundum quod in se consideratur*; & paulo infra: *Timidus agit contra id, quod etiam nunc secundum se vult.* Ex hoc loco male, ut reor, Joannes Morinus 2. p. pag. 35. infert ad sententiam nostram demonstrandam, *voluntatem hominis solo timore pœnæ à peccato abstinentis isto metu non mutari, & ideo involuntarie agere.* Mutatur quidem, & agit voluntarie: at non mutatur detestando peccatum *secundum se*, sed tantummodo prout est causa supplicii; cum qua detestatione stat amor, & voluntas peccati considerati *secundum se*, ut paulo post explicabo. Quamobrem facilius ac verius ex D. Thoma ad hunc modum ratiocinabor: Quisquis solo timore sese abstinet à peccato, licet voluntarie ac libere abstineat, habet tamen peccandi cupidinem, *si peccatum consideretur secundum se*, nimirum illud detestatur, non in quantum peccatum est, sed in quantum est causa sempiterni supplicii. Quomodo ergo qui solo timore ductus à peccato se continet, is odit peccatum, ut peccatum est, ut offensa Dei est, si ad peccatum *secundum se*, non habet in voluntate aversionem, & repugnantiam?

33. Confirmantur ulterius.

Nuper dicta aditum faciunt argumentationi apud scholæ nostræ Doctores usitatissimæ, dum ajunt attritionem pure servilem non excludere voluntatem peccandi, & consequenter non esse in Sacramento sufficientem dispositionem ad gratiam. Nam convenit nos inter & adversarios, hanc dotem proximæ dispositioni esse necessariam; quandoquidem con-

contritio, quæ pars est Sacramenti, definiente Tridentino, continere debet cessationem à peccato, vitæ novæ propositum & inchoationem, necnon veteris odium. Imo istud adversariis momentum est maximum, quod putant ea Tridentini verba, *Si excludat voluntatem peccandi*, convenire attritioni formidolosæ. Nostrates ergo in id totis viribus incumbunt, ut demonstrent non excludi solo gehennæ timore voluntatem omnem peccandi. Urgent vero ad hanc rem quæ supra produximus ex Augustini Epistola ad Anastasium, ex Gregorio Magno, ex Bernardo, ex Antonino. Et revera quid innuit ea in Epistola S. Pater, dum ait: *Inaniter putat victorem esse peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis?* Quid eo loci, subjiciens, *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere?* Quid contra Adversarium legis hæc repetens, *Desiderium peccati non extinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi?* Quid de natura & gratia cap. 57. scribens, *Qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus est à voluntate peccandi?* Quid, inquam, hæc innuunt, nisi forte in iis, qui solo timore perciti agunt pœnitentiam, latere adhuc in corde malam cupiditatem, & desiderium atque voluntatem peccandi? Idem docet S. Pater sexcentis aliis in locis, accurate ab Episcopo Porphyriensi Le-Drou in 2. dissert. collectis, atque illustratis. Augustino autem consentire S. Thomam 1. 2. q. 6. art. 6. & 7. quæst. 107. art. 1. & 2. 2. q. 19. art. 9. demonstrat eruditus Thomista altero Volum. *de Re Sacram.* pag. 65.

34. Minimè favetur Quesnellianis.

Usurus ego hac eadem argumentatione, præmittam latissimum sententiæ nostræ discrimen ab erroribus Quesnellianis; ex quo veluti sponte sua fluet argumentatio ipsa planior, & ab omni animadversione securior. Novi itaque dogmatistæ adeo supplicii timorem deprimunt, ut asserere audeant, illum, quo magis violentus est, eo magis ducere ad desperationem, manum duntaxat cohibere, cor tamdiu addici peccato, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur, scelus committere in corde suo, quisquis ab eo non abstinet nisi timore pœnæ, & sub maledicto legis peccari sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando. Continentur asserta istiusmodi sexagesimâ, & quatuor proximis propositionibus, in Constitutione *Unigenitus* suprema, & immobili Romani Pontificis auctoritate damnatis. Nemo sane, nisi summopere impudens & procax, dicturus est legi similia apud Augustinum, & Thomam: quorum unus serm. 11. in Psalmum 118. num. 1. scribit: *Qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus legis facit, profectò vitus facit. Quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi. Ac per hoc legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus: nec mundatur opere, qui immundus est voluntate.* Alter vero 2. 2. art. 1 q. 107. inquit: *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinent, non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus, qui amore justitiæ abstinet à peccato.*

35. Quod metu fit, adhuc voluntarie fit.

Quæso primum, ut advertas, ab Augustino, & Thoma non dici *absolute* pœnitentiam, quam animet solus timor supplicii, violentam, ac multo minus talem, quæ ad desperationem impellat, sed extortam, *non simpliciter*, conditionate tantum, & *si posset fieri*, ut à lege sub tali comminatione non juberetur. Enimvero quæ fiunt ex metu, revera voluntaria sunt, in quantum movent voluntatem, ut actu agat ad evitandum supplicium, sed sunt involuntaria sub conditione, quatenus minime voluntas id ageret, nisi percelleret eam timor. *Illud*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 6. ad. 3. *quod per motum agitur, absque conditione est voluntarium, id est, secundum quod actu agitur; sed involuntarium est sub conditione, id est, si talis metus non immineret.* Ex quo aperte sequitur, voluntarie quidem se continere à peccato, qui pœnitentiam agit timore ductus; sed motum voluntatis non adversari peccato *propter se ipsum*, atque ab illo removeri propter pœnam, quam timet, ut docet ibidem Angelicus hisce verbis: *Id, quod per metum agitur, fit voluntarium ideo, quia motus voluntatis fertur in id, licet non propter se ipsum, sed propter aliud, scilicet ad repellendum malum, quod timetur.* Hinc etiam consequitur, quod attigi paulo supra, & sanctus Thomas docet proximo articulo 7. in eo, qui per metum aliquid agit, esse quidem motum voluntatis, quatenus id quod agitur liberat à supplicio, sed remanere *repugnantiam voluntatis ad id, quod agitur, secundum quod in se consideratur.* Atque idem prædocuerat magnus Augustinus serm. xv. de Verbis Apostoli cap. 6. dicens: *Qui timore pœnæ non concupiscit, tuto quod*

quod concupiscit, nimirum, non concupiscit peccatum ut infert æternum exitium, concupiscit illud tamen quatenus peccatum est: quemadmodum leo, dum ingenti terrore revocatur à præda, hanc utique non rapit, ne telo confodiatur, at non deponit malitiam, qua prædam ipsam, ut præda est, appetebat. Atque hoc etiam exemplum profert eo in loco Augustinus. Hinc vides illud, quod timore agitur, non esse extortum & coactum, sed esse liberum & voluntarium, habere tamen, & compati *secundum se* repugnantiam in voluntate, eo prorsus modo, ne omittam vulgare exemplum, quo mercator, etiamsi velit merces projicere in mare, projiciatque reipsa, ut naufragium evadat, merces tamen ipsas in se spectatas amat adhuc, easque servare vellet, modo posset absque vitæ discrimine.

36. Et laudabiliter.

Neque timor, propterea quod conjunctus sit cum hac repugnantia voluntatis, aut malus est, aut ad desperationem trahit, aut cor addicit peccato, aut facit, quod ipsum peccatum committatur in corde, quemadmodum novi autumant dogmatistæ: sed plura affert commoda; & quidquid vitii permanet in timente, ab eodem timore non oritur, nec fovetur, sed frenatur potius atque comprimitur. Enimvero *timor præparat locum charitati*, inquit S. Pater tract. 9. in Epist. Joan. eamque introducit, *sicut videmus per fetam introduci linum, quando aliquid suitur*: timor est *quidam custos legis*, & *volentem peccare animum interiorem non sinit*, ait idem S. Pater serm. 161. aliàs 18. num 8. timor *homines salubriter excutit, ut tanquam de somno lethargico emergant*, repetit Ep. 48. nunc 93. num. 2. ad Vincentium Rogatistam: timor frenat *veternosissimam consuetudinem*, inquit serm. 28 de Verbis Apostoli cap. 9. nunc 180. num. 10. Vide de multiplici timoris servilis utilitate illustrem Lupum de Contrit. cap. 13. & quæ nos scripsimus lib. 23. cap. 12. Eo sensu S. Thomas docet 2 2. q. 17. art. 8. hominem, qui timore pœnæ cessat à peccato, *introduci ad amandum Deum*: & Tridentinum sess. VI. cap. 6. peccatores *à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem erigi*. Abeant ergo in malam crucem qui ausi sunt effutire, timorem peccato addicere, reum constituere, & causam esse desperationis. Complura à timore bona derivant, & si non eradicat repugnantiam illam voluntatis, quam supra explicavi, provenit hoc ex prava cupiditate timentis, non ex conditione timoris. Quod etsi exposui præcitato cap. 12. modo tamen repetam verbis Doctoris Angelici 2. 2. q. 18. art. 4. hæc scribentis: *Objectum timoris servilis est pœna, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tanquam finis ultimus, & per consequens pœna timeatur tanquam principale malum; quod contingit in non habente charitatem: vel quod ordinetur in Deum, sicut in finem, & per consequens pœna non timeatur tanquam principale malum, quod contingit in habente charitatem.* Ex quo infert S. Thomas *timorem servilem* secundum suam substantiam bonum esse, sed *servilitatem* ejus esse malam.

37. Quin sufficiat ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Jam vero his præmissis, argumentum illud petitum ex quo timor servilis non excludat voluntatem peccandi, potest hac ratione proponi: Tametsi timor servilis bonus sit, præparet locum charitati, frenet vetustam consuetudinem, cohibeatque etiam interiorem animum, ne peccare velit ad gehennam vitandam; attamen non excludit voluntatem peccandi, prout peccatum consideratur in se, sed cum hujuscemodi timore stare potest, quod in voluntate perseveret concupiscentia peccati, & repugnantia ad ipsam pœnitentiam, quam ideo amplectitur, ne damnetur; imo quod voluntas timeat pœnam tanquam principale malum, hominem vero, cui pœna infligitur, amet tanquam finem ultimum: igitur solus ille timor ad consequendam gratiam non sufficit. Requiritur enim, ut attritio excludat voluntatem peccandi per repugnantiam, qua voluntas aversetur efficaciter, & absolute peccatum. *Concilium Tridentinum* (inquit Franciscus Suarez nomen adversariis quoque nostris gratissimum) *expresse requirit attritionem, quæ voluntatem peccandi excludat, non negative tantum per solam cessationem à tali voluntate; hoc enim modo quælibet cogitatio alterius rei voluntatem peccandi excludit: sed positive per formalem aut virtualem repugnantiam, veramque mutationem voluntatis dissentientis peccato, & consentientis gratiæ Dei. Hæc autem dispositio non habetur sine efficaci detestatione, & absoluto proposito non peccandi: nam cum sola velleitate, seu simplici affectu non repugnat simul esse voluntatem peccandi.* Ita vir doctus in 3. p. disp. 26. sect. 2. num. 6. Bene habet. Qui ex sola pœnæ formidine, non ex Dei amore à peccatis retrahitur, is nec

simplici-

simpliciter ab his recedit, nec recedere vellet, si peccare posset impunè; servatque in animo pristinam reluctantiam ad pœnitentiam quam agit, & concupiscentiam ad peccatum quod fugit, & consequenter non habet veram voluntatis mutationem, neque absolutum non peccandi propositum: sed ut recte ajebat Augustinus, *nondum alienus est à voluntate peccandi, nec peccare metuit, sed ardere.*

38. Quod fortiter urgetur in Sententia Suarezii.

Quæ produxi nuper ex Suarezio, qui ait necessum esse, ut voluntas peccandi excludatur *positive*, id est, per voluntatis repugnantiam, valide corroborant argumentationem præcedentem. Ut enim *positive* aliquid excludatur, opus est, ut inter utrumque, excludens scilicet & exclusum, pugna sit, & insociabilis oppositio. Ita enim fides infidelitatem excludit, spes desperationem; sed fides se ipsa non excludit intemperantiam, injustitiam, incontinentiam, propterea quod his non adversatur; unde & persæpe contingit, ut quis credat, sit tamen intemperans, incontinens, & injustus. Atque id adeo certum est, ut dogma sit fidei, in impio fidem ipsam persistere: quod & de spe eadem ratione affirmatur. Nec inde tamen aut spes, aut fides aliquid habent vitii, quia intemperantiam, injustitiam, & incontinentiam minime excludunt; sed veram virtutem redolent, propterea quod sunt principium credendi, & sperandi, arcentque ex corde hominum infidelitatem atque desperationem, cui opponuntur: excludere autem vitia reliqua, animumque his adhærentem, non fidei, aut spei munus est, sed temperantiæ, continentiæ, justitiæ. Ad hunc ergo modum timor fidei, atque spei conjunctus, bonus, rectus, & perutilis est; fertur enim in pœnas à rectissimo judice statutas, quas Evangelium, omnisque ratio suadet ut timeamus; coercet etiam contumaciam animi imperterriti minas ac tormenta spernentis; nam huic contumaciæ opponitur semetipso: & præterea adminiculo fidei, & spei longe distat ab infidelitate, atque à desperatione, & ad considerandam divinam misericordiam convertit timentem; quæ omnia recta sunt, plurimumque proficua. Verum quod timor excludat voluntatem peccandi *secundum se*, & in quantum est *Dei offensa*, id fieri non potest, quoniam peccato secundum hanc rationem non opponitur, nec habet cum eo repugnantiam: & nihilominus hoc non est vitium timoris, quemadmodum non est vitium fidei, vel spei; quia excludere sub hac ratione voluntatem peccandi officium est exercendum ab amore summi Boni, qui amor directe opponitur ejusdem summi Boni odio, & offensæ. Ajebat ptopterea Augustinus lib. 2. contra adversi. legis cap. 7. num. 27. *Desiderium peccandi non extinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.*

39. Novum argumentum Theologicum.

Accedit ratiocinatio altera. Nemo sanæ mentis negabit ad veram pœnitentiam requiri, ut peccator *avertatur à viis suis pessimis, & convertatur ad Dominum*, quod Ezechiel XVIII. 30. Joel. II. 12. aliique sacrorum librorum auctores asserunt quamfrequenter. Id autem sine amore initiali fieri nequit. Si enim attendamus naturam timoris, avertit quidem ab eo, quod timetur; sed non convertit ad illud, quod est amandum. Affectio quippe animi *inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens eoque fruens, lætitia est; fugiens quod ei adversatur, timor est; idque si acciderit sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor; bona, si bonus.* Verba sunt hæc Augustini de Civ. Dei lib. XIV. cap. 7. num. 2. Dum itaque audio *timorem gehennæ*, percipio motum voluntatis fugientis pœnam, non conversionem cordis quærentis Dominum. *Fuga* etenim *animi timor est*, inquit idem Augustinus tract. 49. in Joan. num. 8. ac similia S. Thomas 2. 2. quæst. 19. art. 11. Ut ergo convertar ad Dominum, amor facit: si amor sit spei, convertor ad Dominum ut est bonum mihi; si charitatis amor sit, convertor ad Dominum ut bonum in se. Cum itaque converti debeam *in toto corde*, Deum super omnia diligens, (qui enim rem aliquam creatam diligit plusquam Deum, clamante Evangelio, non est dignus Deo) sequitur, ut converti debeam per charitatem. Præclare Petrus Soto scribens adversus articulos Confess. nomine Ducis Witthembergensis oblatæ Tridentino Concilio 24. Januar. 1552. *Hic locus* (Ezech. XVIII. 30.) *si recte pensetur, & dolorem, & mutationem cordis oppositam peccato, & charitatem Dei docet.* Et Joannes Maldonatus Soc. Jesu Theologus de Pœnit. pag. 4. cap. 2. *Eadem via* (inquit) *necesse est ad Deum convertamur, qua ab eo discessimus. Discessimus autem ab eo, quia illi anteposuimus res creatas. Ergo debemus ad illum redire dolendo, quod ipsum offenderimus, plusquam doleremus propter omnes res creatas.* Nititur hoc argumentum

principiis Augustinianæ doctrinæ; juxta quam rationalis creatura fit recta, *dum convertitur ad incommutabile bonum*, fit impia *dum avertitur*, ut scripsi libro XXI. cap. 4. ubi plura huc pertinentia.

40. Ultimum. Postremò non licet *in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*, ex propositione 1. ab Innocen. XI. proscripta 2. Martii anno 1679. Detur autem, quod sententia adversariorum nostrorum sit probabilis, certe nostra tutior est. Igitur non licet à sententia nostra recedere. Hanc tutiorem esse demonstratur primùm, quòd sufficere contritionem ex amore conceptam, consentiant omnes, at satis esse attritionem servilem negent permulti. Demonstratur ulterius, quod inter adversarios clarissimi fateantur sententiam suam non adeo esse veterem, nec certam, nec dignam, cui animarum salus committatur; illorum præcipui concedant tenendam non esse in mortis articulo *ob grave*, ut inquiunt, *damnationis periculum*; nonnulli etiam doceant, prudenter non agere qui illam sectatur in praxi. Lege ex nostratibus Nicolaum GirKen in Summa tom. 3. pag. 371. & ex contrariis Franciscum Hennum de Pœnit. diput. IV. quæst. 6. art. 9. Imponamus finem huic quintæ propositioni verbis Cleri Gallicani in Comitiis Generalibus anni 1700. *Placet etiam caveri à Sacramenti pœnitentiæ administris, ne sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore; neve pœnitentes ipsorum fidei animam suam committentes admonere cessent, ut in pœnitendo inchoatæ saltem dilectionis Dei viam ineant, quæ sola secura est; graviter peccaturi in hoc salutis discrimine vel eo solo, quod certis incerta præponant.*

41. Probatur insuper authoritate DD. scribentium ante Trid. Prop. IV. Sententia, quam propugnamus, Theologorum plurium, ex illorum etiam numero qui ei adversantur, fulcitur auctoritate.

Ac primo diximus prop. I. sententiam oppositam fuisse ignotam Theologis omnibus, qui præcesserunt Synodum Tridentinam, idque Morinum asserere, fateri Dominicum Soto, & confirmare scriptorem hujus ævi Episcopum Stabiensem. Primum illius sententiæ auctorem citatus Morinus lib. VIII. de Pœnit. cap. 4. facit Melchiorem Canum, & subobscure paulo ante traditam ait à Dominico Soto, & à Vega. Suarez in 3. p. q. 90. disp. 15. sect. 4. num. 17. scribit opinionem illam, præsertim si attritio cognita sit, *nec valde antiquam esse, nec multum communem.* Christianus Lupus in Epistola ad Norisium cap. IV. demonstrat testimonio Hugonis Matthoudi viri doctissimi, *hesternum esse commentum.* Carolus Witasius q. 3. art. 6. sect. 3. arg. 3. enumerat quadraginta novem Theologos, qui ante Tridentinum Concilium floruere, omnes tradentes necessitatem amoris, & in ea tantum quæstione discrepantes, an sufficiat *actualis* charitas, vel requiratur *habitualis*. Hinc Le-Drou pag. 478. infert non servari ab adversariis nostris præscriptum illud Deuteronomii XXXII. 7. *Interroga majores tuos, & dicent tibi*, & Lupus urget adversus illos præscriptionem antiquitatis, qua Tertullianus Praxeam, Hermogenem, cæterosque hæreticos refellebat, scribens *esse adulterum quodcunque posterius.*

42. Etiam eorum, qui Tridentino interfuerunt. Theologi, qui Tridentino interfuerunt Concilio, majori saltem ex parte adhæsisse sententiæ nostræ, constat ex quo plurium suffragio decretis sess. VI. *actus charitatis* insertus sit, ut demonstravi præcedenti propositione. Eandem sententiam præ cæteris liquet tradidisse Franciscum Sonnium Tract. IV. de Pœnit. Ruardum Tapperum ad art. IV. Lovanienses Academiæ, Martinum Rythovium in IV. sent. dist. 14. Cornelium Jansenium Gandensem Episcopum cap. 55. Concordiæ Evangelicæ, Joannem Hesselium de Sacram. Pœn. cap. I. & 3. Judocum Ravesteyn p. I. Apologiæ, quam conscripsit pro defensione decretorum Concilii; quorum omnium testimonia collegit in Appendice ad Quæstionem suam Quodlibeticam §. 3. eruditus Farvacques. Quibus addere possumus Fridericum Nauseam Viennensem Episcopum, Joannem Medinam, Marianum Victorem, Casalium nostrum, Richardotum præsulem Atrebatensem, aliosque à Lamberto Le-Drou productos differt. IV. cap. IV. paragrapho IV. Ex quorum virorum doctrina & celebritate saltem excluditur moralis illa certitudo, quam sententiæ suæ patroni attritionis servilis confidenter adscribunt, eademque sententia ad limites opinionum probabilium redigitur, subjecta proinde incommodis omnibus, quibus subjacet sententia altera opinionum probabilium propugnatrix.

43. Et eorum, qui post illud scripserunt. Quanti vero post Tridentinum sententiam hanc nostram amplexi sint, apparet ex postrema dissertatione ejusdem Le-Drou, qui omnibus singillatim enumeratis, verbisque eorum exscriptis demonstravit auctorem Operis, seu Tractatus de Pœnit. Romæ in lucem editi, dum scripsit comprobari sufficientiam

tiam attritionis servilis *praxi*, *& sensu totius Ecclesiæ*, splendide fuisse mentitum. Inveniens ibidem longe ab hoc auctore recedere Petrum Soto, Ludovicum Granatensem, Joannem Viguerium, Maldonatum, Theodorum Macherentinum, Gentianum Hervetum, Ernestum Leodiensem, Joannem Samarinum, aliosque quamplurimos. Inter quos, ne videamur nimium addicti nostratibus, si eorum catalogum conscribamus, aut recentioribus bene multis, quos, ut facilius exsibilent, per fas, aut nefas appellant quidam Bajanos, Jansenianos, Quesnellianos; referam tantummodo, quæ lib. 1. de Pœnit. cap. 3. scribit Edmundus Augerius societatis Jesu vir celebris, his plane verbis: *Hoc est in primis omnino certum, ut veniam consequamur necesse esse nosmetipsos condemnare metu enormitatis peccati nostri ductos, tum quia peccatum adversatur summo bono amisso, quod est Deus, cujus offensam debemus metuere, tanquam illius, quem supra omnia diligere debemus, tum etiam propter pœnam, quam incurrimus.* Quapropter haud satis mirari possumus, Joannem Cardinalem de Lugo, virum alioqui doctissimum, facientem verba de Sylvio, qui in Supplem. q. 1. art. 3. sententiam nostram disertissime tradit, ad hunc modum imponere imperito lectori disput. v. de Pœnit. sect. 9. num. 133. *Hæc tamen sententia est contra omnes Theologos, & contra Tridentinum.* Si cæteros à Theologorum gradu adversarii nostri dejiciunt; parcant saltem eximiæ doctrinæ, nominique celeberrimo Purpuratorum Patrum, Cardinalis Denoff, qui sententiam nostram tradendam præcipit in Instruct. Pastorali pag. 42. Cardinalis de Lauræa, qui illam indubitatam esse scribit tom. 4. in 3. p. disput. XI. art. 1. num. 52. Cardinalis Le-Camus, qui docendam jussit in Theologia morali edita ad usum Seminarii Gratianopolitani tract. VI. cap. 5. Cardinalis Aguirre, qui *probabilismo* diem dixit, & de præcepto charitatis tom. 3. Theolog. S. Anselmi pag. 614. pertractavit egregie, Cardinalis Moniliani, qui de Pœnit. cap. 35. negat sola attritione servili veniam impetrari. Addi potest Cardinalis Toletus, qui lib. 3. de Instruct. Sacerdotum cap. 4. & 10. apertissime nobis adhæret, si consulantur antiquiora exemplaria an. 1599. 1600. 1601. nam quæ postea prodierunt, turpiter adulteratas esse conqueruntur viri doctissimi, Farvacques, Queraffius, Witasse, Habert, & Auctor annotationis ad cap. XVI. Operis Joan. Morini de Contritione. Quamquam dato consentiant autographis in Romano S. J. Collegio servatis editiones posteriores, sunt adhuc in his aperta veritatis vestigia, illudque expressum, ubi legitur cit. cap. 4. attritionem non sufficere ad Sacramentum, *si talis sit, ut cognoscat pœnitens se non detestari peccatum, ut est Dei offensa.* Subjiciuntur utique nunc ea verba, *Sed tantum ut est alicujus mali temporalis causa*, sed desiderari, *Et pœnæ inferni* (ut extat in editionibus antiquioribus) inde colligitur, quod Toletus pertractat de attritione, quam paulo supra ait detestari peccatum, *non quia offensa Dei, verum aut quia est quoddam malum animam fœdans & deturpans, faciensque servam diaboli, aut quia ei debetur pœna æterna, aut quia ex eo secutum est malum aliquod temporale.* Cum utrumque hìc ponat, malum temporale, & pœnam æternam; quis non videt utrumque pariter in altera periodo fuisse comprehendendum, maxime quod huic conjecturæ accedit priorum editionum auctoritas? De his autem, qui nobis assentiuntur, dictum satis.

Ad adversarios quod attinet, principio multi, qui tales videntur, tales non sunt revera, nam Petrus Binsfeldius in Enchiridio, edito an. 1626. affirmat Theologos complures tradere, *attritionem & contritionem non differre, nisi penes intensum & remissum*, quod & ipse defendit; & Joannes Molanus tract. 1. cap. 7. Theologiæ practicæ testatur, idem asserere *Scholasticos seniores.* Plures ergo, qui ajunt, *Sufficit attritio*, loquuntur de attritione, quæ non est absque amore initiali, tametsi concipiatur ex timore pœnarum. Deinde inter adversarios præcipui fatentur sententiam propriam incertam esse. Canus parte v. Relectionis de Pœnit. inquit: *Quod attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est tamen adeo certum, & indubitatum.* Dominicus Soto in IV. dist. 19. ait: *Quod attriti per Sacramentum fiant contriti, non est expressa Evangelica assertio, aut Ecclesiastica definitio. Imo neque apud Augustinum, aliumve illius classis auctorem reperitur, sed est Scholasticorum collectio, quæ quamquam sit vera, non tamen est digna, cui bilances perpetuæ nostræ aut salutis, aut damnationis confidamus.* Paulus Comitolus, si velimus hunc adversariis accensere, & ipse lib. 1. Respons. Moralium q. 32. num. 7. scribit: *Neque adeo certum est attritionem esse satis.* Suarez in 3. p. q. 90. art. 4. disp. 15. sect. 4.

44. Imò & eorum, qui sunt contrarii.

sect. 4. num. 17. *Licet* (inquit) *sit opinio probabilis attritionem cognitam cum Sacramento sufficere ad justificationem, tamen non est certa, & potest esse falsa. Ergo qui sciens & videns ita se mori permittit, voluntarie se exponit periculo æternæ damnationis.* Sanchez in Summa lib. 1. cap. 9. num. 34. docet Sacerdotem mortaliter peccaturum, si in articulo mortis pœnitenti cum sola attritione cognita Sacramentum ministret, *propter grave damnationis periculum.* Quod denique in mortis discrimine necessum sit, ut pœnitens ad Sacramentum disponatur per actum aliquem charitatis, fatentur adversarii fere omnes, ut inquit Tract. VIII. de Sacram. Pœnit. Joannes Dicastillus, & assentitur Thomista Gonet tr. v. disp. 7. art. 4. §. 3. ea producta ratione, *Cum non sit omnino certum ac indubitatum, attritionem solam cum Sacramento justificare, & plures Theologi non contemnendæ auctoritatis non solum id esse incertum, sed etiam falsum existiment.* Patiantur ergo viri doctissimi, nos tanquam pro aris focisque, pugnare pro ea sententia, quæ in Pœnitentiæ Scramento exigit *initialem amorem*, & quod ipsi damnant in morientibus ob sempiternæ damnationis periculum, reprobetur à nobis tum ob hanc eandem causam, tum ob vitandam Confessionem sacrilegam atque inutilem, cum non minus cavendum sit propriæ salutis detrimentum, quàm profanatio Sacramentorum; quorum unum est exitium maximum creaturæ, alterum summa in Creatorem injuria. Illi autem, qui minus docti sunt (sunt autem cæteris audaciores) desinant eam sententiam proscindere, quam fatentur suarum partium scriptores, Becanus quoque tract. 1. cap. 4. quæst. 9. de bonitate & malit. hum. actuum, & Platelius p. 5. synopsis cap. 6. §. 5. n. 216. *tutiorem esse*, necnon defendi à Theologis pluribus *non contemnendæ auctoritatis:* singuli denique, donec accedat Sedis Apostolicæ definitio, scribant, doceantque quod sentiunt, atque, ut est in proloquio, *Dentem dente ne rodant.*

45. *Amor* ille *initialis* debet esse Charitatis, & non solius spei.

Prop. VII. Amor necessarius ad gratiam in Sacramento obtinendam est amor charitatis, non spei tantum, quo diligitur Deus, *ut bonus nobis.*

Manifestam puto sextam hanc propositionem ex quinta præcedenti, nec in ea confirmanda insumerem minimum temporis, nisi recentiores quidam conati fuerint demonstrare necessarium quidem esse in accedentibus ad Sacramentum amorem Dei inchoatum, & initialem, sufficere tamen amorem spei, quem adeo commendant sacræ Literæ, & frustra damnant Lutherani, & Quietistæ. Præstat id inter cæteros eruditus Tournely q. 5. de Pœnit. art. 3. concl. 1. & 2. ad se pertrahens quæ de necessitate amoris Scriptura divina, Augustinus, S. Thomas, atque ipse historicus Pallavicinus tradiderunt. Sed Tournely adversæ nobis parti undequaque consentit, cum adversariorum nullus spem amoveat à pœnitentibus; dum vero loca persequitur, quæ de charitate intelligenda sunt, atque ab adversariis aliis explicantur aut de charitate *habituali*, cui inest meritum *de condigno*, aut de actuali, quæ opinione suâ absque Sacramento confert justitiam, causam propriam male agit, & adversus illam intorquet calamum. Nullius est operis hoc evincere. Requiri enim *initialem amorem* demonstrat primo Tournely iis Scripturarum testimoniis, quæ commonstrant Deum *ex toto corde, & ex tota anima diligendum*, ut legitur Matth. XXII. 37. At quis inficias ibit, tradi eo loci charitatis præceptum? Profert deinde illa Augustini testimonia, quibus præcipitur dilectio justitiæ; sed nimium est in Augustini doctrina hospes, qui ignorat in hoc veram justitiam sitam esse, quod rationalis animus convertatur per charitatem ad bonum incommutabile, istud exquirat in se & propter se, teneatque ordinem amoris, summum bonum rebus cæteris præferentis. Affert postea declarationem Cleri Gallicani, qui anno 1700. statuit non adimpleri necessarium Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ propositum vitæ novæ inchoandæ, *Si pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat*; & quid est, quæso, mandatum illud primum ac maximum, nisi præceptum charitatis? Si hoc in dubium vertat Tournelius, cum ea declaratione Cleri Gallicani conferemus nos aliam posteriorem, de qua vide prop. 1. hujus capitis, qua verbis rotundis asseritur amorem justitiæ juxta Tridentinum in Sacramento necessarium, *ferri in Deum, tum ut in se summe bonus est, tum ut est summum bonum nostrum.* Præterea producit Tournelius Historiam Eminentissimi Pallavicini lib. VIII. cap. 13. Verum & ex hac Historia compertum est, à Patribus Tridentinis præter fidem & spem insertum capiti 6. sess. VI. *actum charitatis*, atque ejusdem charitatis, *cujus habitus est ipsa forma justitiæ.*

tiæ. Postremo vir doctus demonstrat ex 3. p. D. Thomæ q. 85. necessarium esse dolorem de peccato, *in quantum offensa Dei est.* At dolor iste, prout habetur in eadem quæstione art. 5. ad 1. *pertinet ad charitatem.* Ex his ergo, quæ propositione præcedenti fuse sunt pertractata, constat in Sacramento requiri actum inchoatæ charitatis; idque ob illa eadem momenta, quibus præstantissimus iste Theologus necessarium demonstrare nititur amorem spei.

46. Quamvis spes non excludatur.

Neque tamen nos excludimus amorem spei, quasi nefas sit servire Deo intuitu sempiternæ mercedis. Vide quæ de spe in libro XXVI. cap. 16. conscripsimus, ubi demonstravimus sedulo bonis operibus studendum esse, ut consequamur æternam vitam, & summo & incommutabili bono fruamur, cujus desiderium, sanctum utique & rectum *spem* appellamus. At sententiâ nostrâ hujusmodi desiderium debet dirigi in finem ultimum, ita ut summum bonum, ad quod spes tendit, non tam appetatur gratiâ nostri, quam propter se ipsum; illudque gratis amemus, in eo finem ultimum collocantes, & quærentes videre faciem ejus, ut ipsi castis inhæreamus amplexibus. Quod si fiat, spes dirigitur charitate, & gratis amatur Deus; quoniam, etiamsi attenditur merces magna nimis, ea tamen merces est ipsemet qui amatur. Atque ita de spe locutos Augustinum, Bonaventuram, Franciscum Salesium eodem cap. 16. demonstravimus. Si forte videamur obscure locuti, explanabimus rem totam verbis Doctoris Angelici 1. 2. q. 62. art. 3. *Voluntas ordinatur ad finem, & quantum ad motum intentionis in ipsum tendentem, sicut in id, quod est possibile consequi, quod pertinet ad spem: & quantum ad unionem quamdam spiritualem, per quam quodammodo transformamur in illum finem, quod fit per charitatem.* Dolorem ergo, quo detestamur peccatum, ut est offensa Dei, quatenus est objectum nostræ beatitudinis sensu explicato, fatemur esse sufficientem, sed negamus à sola spe derivare; nam inquit idem S. Thomas proxima quæst. 65. art. 5. *Charitas est amor Dei, quo diligitur ut beatitudinis objectum*, siquidem in tali amore præter motum spei tendentis in finem ultimum, est affectio cordis optantis unionem ejusdem finis. Atque hinc apparet nullam vim habere adversus sententiam, quam teneo, argumenta, quæ urgere solent nonnulli, ut probent efficacem amorem beatitudinis excludere se solo voluntatem peccandi: nam si loquantur de amore beatitudinis nunc explicato, admittam æquo libentique animo quidquid opponent.

47. Prout excluserunt Quietistæ.

Detegunt pariter hæc omnia Quietistarum, qui invexerunt amorem, quem vocant *purum*, dementiam & mentis insanitatem. Si enim quisquis caste Deum amat, exoptat ipsius societatem atque unionem; profectò commentitius est ille amor, à quo divulsus sit motus spei, quando nondum rationalis creatura adhæret Deo inseparabili nexu; nam si adhæreat, succedit cupiditati lætitia, & spei delectatio. Contingit hoc tantum in patria, ubi spe abunde expleta, summo Bono conglutinata manet charitas. Distant propterea toto cœlo à Quietistarum insania castissimæ illæ animæ, quibus præ cæteris summum Bonum in hac vita dulcescit; hæ siquidem, licet Deum diligant *propter se*, quia tamen carent perfecta illius unione, sperant adhuc, & ingemiscunt. Sed recole quæ adversus *Quietismum* scripsimus IV. vol. p. 329. Lege etiam epistolam XI. S. Bernardi ad Carthusienses, in qua n. 7. docet quomodo charitas implet legem servi, ordinatque cupiditatem mercenarii; ac n. 8. gradus spiritualis amoris ornate, ac distribute distinguit. Quod enim proposueram ostendere, veritatem scilicet, & æquitatem susceptæ causæ, videor jam numeris melioribus explevisse.

)o(

CAPUT VI.

Momenta adversariorum proferuntur, & refutantur.

SUMMARIUM.

1. Variæ objectionum classes.
2. Objectiones 10. ex Tridentino.
3. Solvitur prima.
4. Secunda.
5. Tertia.
6. Quarta.
7. Quinta & Sexta.
8. Septima.
9. Reliquæ tres.
10. Aliæ octo objectiones ex virtute timoris.
11. Respondetur ad primam.
12. Ad 2dam.
13. Ad tertiam.
14. Ad Quartam.
15. Ad quintam, sextam, & septimam.
16. Ad octavam.
17. 10. Aliæ objectiones ex efficacia Charitatis.
18. Notandum ante solutionem.
19. Contritio & amor Benevolentiæ non semper Justificat.
20. Amor initialis non efficit Contritionem perfectam.
21. Nunc respondetur objectioni primæ.
22. Secundæ, & tertiæ.
23. Quartæ.
24. Quintæ, sextæ, & septimæ.
25. Octavæ, novæ, & decimæ.
26. Ultimò adhuc pauca objiciuntur ex efficacia Sacramenti, & numero contradicentium.
27. Quibus suo ordine satisfit.
28. Satisfaciendo pergitur.
29. Conclusio.

1. Variæ objectionum Classes.

NULLAM puto, vel nonnisi facillimæ solutionis oppositionem posse illis occurrere, qui se accurata præmissi capitis lectione præmunierint; quamquam & multa & contentione magna urgeant ex adverso innumeri, gravissimique Theologi: quorum luctationes excepturus alacri & prompto animo, tantum abest, ut abjecte declinem, quin potius illorum vires dispersas & paulo supra cunctractas simul colligere, atque instaurare conabor. In quinque autem classibus eas collocabo, ut habeant rectum ordinem, & distributionem argumentorum; atque nos undique adoriantur, à fronte, à tergo, à lateribus. Dabo priorem locum iis, quæ innituntur auctoritati sacrosanctæ Synodi Tridentinæ: tenebunt proximum, quæ petuntur ex vi & efficientia timoris, plurimum, & quidem jure meritoque à sacris literis, & à Patribus commendati: locabuntur in tertio quæ habent robur à charitatis virtute & præstantia: consequentur ea, quæ fulciuntur Sacramentorum novæ legis amplitudine atque energia; nec prætermittentur deprompta à sententiæ oppositæ celebritate, & applausu. Atque rejectis his omnibus, arbitror non esse ulterius pro necessitate amoris initialis adstruenda, & vindicanda, in hoc Opere allaborandum.

2. Objectiones 10. ex Tridentino.

Ex Tridentino itaque Concilio possunt opponi quæ sequuntur. In tio sessionis XIV. testatur Synodus sacrosancta traditam à se ob publicam utilitatem de iis, quæ spectant ad sacramentum Pœnitentiæ, *exactiorem, & pleniorem definitionem.* At in ea sessione de necessitate *initialis amoris* nec verbum quidem. Omisissetne articulum istum attingere, ubi ait spectari à se fidelium omnium utilitatem, tradique hac de causa uberiorem & absolutam institutionem? Nequaquam. Non agnovit itaque Oecumenica Synodus hujus initialis amoris necessitatem. II. Quid vero dicam, non agnovit, quando exclusit aperte? Enimvero quarto ejusdem sessionis capite declarat primùm contritionem, quæ est prior pars Sacramenti, esse *dolorem animi, & detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*, ubi sane nullum dilectionis vestigium appareret. Deinde hanc contritionem dividit in eam, quæ perficitur charitate, & in eam, quæ *communiter concipitur* ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu. Utraque ergo contritio, perfecta illa charitati conjuncta, & imperfecta hæc ex metu concepta comprehenditur in communi illa contritionis definitione, & utraque est *pars Sacramenti.* III. De hac contritione, quæ concipitur ex metu gehennæ, inquit veneranda Synodus: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Quibus sane verbis nil magis expressum, magisque perspicuum dici poterat. IV. Alucinantur enim, & fucum faciunt, qui eadem verba aut de dispositione quadam distanti, & remota, aut de attritione initiali amore formata explicant inepte & insulse. Accipiendum quippe Concilium de dispositione sufficiente, & cui nihil desit ex

parte

parte pœnitentium, primum inde constat, quod in Sacramento tribuitur attritioni virtus & efficientia, quam extra Sacramentum non habet. At attritio servilis etiam extra Sacramentum *remote* disponit ad gratiam, eo nempe sensu, quod sternit viam dilectioni, utiliter peccatorem concutiendo; ideoque in Sacramento, si habet in illo plus aliquid roboris, disponere debet *ultimo & proxime*, ac tali ratione, ut accedente Sacramenti virtute impius justificetur. V. Hæc deinde verba, *Ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit*, parum, aut nihil discrepant ab illis, quæ ante reformationem legebantur, videlicet, *Per eam ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur.* Tunc vero de dispositione sufficienti sermonem fuisse institutum, res manifestissima est. Oportet ergo, ut etiamnum Concilii verba de dispositione sufficienti ac proxima interpretemur. VI. Atque nisi id fiat, incaute prolabimur in hæresim Lutheranam. Ajebat enim Lutherus attritionem ex solo metu conceptam reddere hominem magis hypocritam & peccatorem. Quid contra Synodus Oecumenica? Definit hanc attritionem, *Si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum.* Attritio autem servilis, quamvis omni dilectione Dei super omnia sit exspoliata, est definiente Concilio donum Dei. Excludit ergo *voluntatem peccandi*, ideoque est ad impetrandam gratiam ultima & proxima dispositio. VII. Revera quid est *hypocrisis*, nisi vitium illorum, qui se externa specie continentes à peccatis, hæc intus fovent in corde, & his voluntate adhærescunt? Igitur si cum attritione tantum servili persisteret voluntas peccandi, redderet illa hominem hypocritam, & magis impium; quod est damnatum & perniciosum assertum hæreticorum. Esset etiam *extorta & coacta, non libera & voluntaria*, quod pariter in Synodo damnatum est; timore enim incusso vellet adhuc voluntas peccare & à peccando retraheretur invita. VIII. Cum his aperte demonstratum sit loqui Concilium de proxima ad gratiam dispositione, facili negotio evincitur in ea attritione, cui dispositionem ipsam attribuit, nullum charitatis, quantumvis minimæ, actum præsupponi: quod suadet primò Concilii scopus, & proscriptio hæreticorum damnantium, tanquam animorum inquinamentum, timorem gehennæ. IX. Idem præterea confirmant verba Concilii hanc attritionem conceptam ex metu opponentis illi, quæ proficiscitur ex charitate, & quæ hominem Deo reconciliat, priusquam Sacramentum actu suscipiatur. X. Hoc idem tandem eruitur ex Historia ejusdem Concilii, ex qua constat in Decreto, ut prius fuerat delineatum, extitisse hæc verba, *Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat:* quorum verborum abrasio, facta ad instantiam Episcopi Tudetani, evidentissime commonstrat sacrosanctum Concilium intelligendum esse de timore servili exspoliato qualicunque dilectione Dei super omnia. Atque hæc sunt, quæ objici possunt ex Tridentino Concilio.

3. Solvitur Prima.

Quamvis his omnibus abunde satisfactum sit præmissa explicatione Lutheranæ hæreseos, & examine mentis Patrum Tridentinorum, ad singula tamen ad hunc modum respondeo. Ad primam objectionem dico, in procœmio sessionis XIV. apposite promitti *exactiorem, & pleniorem definitionem*, comparate ad ea, quæ definita fuerant sess. VI. quoniam præter illic statuta *de Justificatione* in genere, & de necessariis ad illam dispositionibus, evellendi erant errores, quos singillatim de Sacramento Pœnitentiæ evulgarant hæretici, negantes Pœnitentiam sacramentum esse à Baptismo diversum, utilem esse conceptum ex metu dolorem, parandam contritionem per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, & cætera in eadem sessione saluberrime definita. *Plena* itaque & *exacta* Tridentini definitio supponit quæ generaliter de Justificatione decreta fuerunt sessione sexta; cui cap. 6. illis verbis, *Illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, insertus est *actus charitatis, ne, si pœnitentia esset propter pœnam tantum, & non propter Dei offensam, infructuosa esset;* nec non canone 3. definitum est non posse hominem absque præveniente Spiritus sancti inspiratione *credere, sperare, aut diligere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur.* Igitur Concilium, dum promittit definitionem *exactiorem, & pleniorem*, revocat ad memoriam necessitatem *initialis amoris* in decreto de Justificatione statutam, ubi *multus fuit de Pœnitentiæ sacramento, propter locorum cognationem necessaria quadam ratione sermo interpositus.* Atque hinc apparet sententiam nostram firmari, non everti prima adversariorum oppositione. Deinde consulto Tridentinum inquit *definitionem*, non autem *institutionem*, aut

declarationem, ne quis opinaretur velle Concilium de iis pertractare, quæ salva fide à Scholasticis in utramque partem discutiuntur; à quibus definiendis alienissimum fuit, quippe coactum erat *non ad decidendas opiniones, sed ad errores recidendos*, ut non uno in loco testatur Eminentissimus Pallavicinus. Quare prætermisit etiam, Scholarumque concertationibus discutiendam reliquit quæstionem, an in Confessione aperiendæ sint circumstantiæ aggravantes intra eandem peccati speciem, necnon aliam, num opus fit proposito expresso, seu, ut inquiunt, *formali*, aliasque non attingentes scopum ipsius Concilii ad extirpandas hæreses congregati. 4. Secunda. Quod sequitur, & istud sententiam confirmat nostram. Quando enim Concilium in generali Contritionis definitione inquit hanc esse *animi dolorem & detestationem de peccato commisso*, subintellexit, *prout est offensa Dei*, quemadmodum demonstravi capite præcedenti; detestari autem sub hac ratione peccatum *pertinet*, ut ait S. Thomas, *ad charitatem*. Ideo autem has particulas, *prout offensa Dei est*, veneranda Synodus non apposuit, quia hæretici admittentes duntaxat timores incussos & fidem, prorsus inutilem reputabant amaritudinem animi, & peccati detestationem; ut apparet ex v. canone ejusdem sessionis. Hanc ergo hæresim damnans sancta Synodus, ac supponens detestationem peccatorum spectare *offensam Dei*, dispescens postea contritionem in perfectam, & imperfectam, demonstrat quod utraque, *ut pars sit Sacramenti*, continere debeat detestationem illam, quæ in præmissa definitione comprehenditur. Quare juxta Concilium in hoc contritio *perfecta* distinguitur *ab imperfecta*, quod illa conjuncta est vehementi, & flagrantissimæ charitati, hæc vero *communiter* ex gehennæ metu concipitur; sed, ut contigit in Ninivitis, pertransit ad conversionem cordis, & ad illam detestationem & contritionem, quæ ad remissionem peccatorum fuit quovis tempore necessaria. Præterea, ut gratis concedam Tridentinum Concilium loqui de attritione, quæ non solum ex metu concipitur, sed etiam in metu persistit, nec procedit ad gradum aliquem charitatis; & dato etiam, quod in definitione contritionis minimè subintelligantur ea verba, *Quatenus est offensa Dei*, quæ tamen duo falsissima sunt, & apertissimè refutata: his, inquam datis, nihil aliud ex secunda objectione deducitur; nisi attritionem illam locum habere inter bonos actus pœnitentis, non verò inutilem esse atque pernicioſam. Non enim in præmissa contritionis definitione inquit Concilium, *Contritio, quæ sufficit ad constitutionem Sacramenti, est animi dolor, &c.* sed ait: *Contritio, quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, &c.* Etiamsi ergo concedamus comprehendi sub hac definitione attritionem servilem, nihil aliud infertur (ex sophistica etiam & subtiliori dialectica) nisi hanc eandem attritionem inter actus pœnitentis esse connumerandam. Hinc rectè, sapienterque in reformatione decreti abrasa fuerunt ea verba, *Sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*; quamvis nec aperte sermo ibi esset de attritione ab amore divulsa, imo addita essent verba illa, *Cum fine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat.* 5. Tertia. Tertium pariter argumentum aut nihil probat, aut probat sententiam nostram. Discrepant enim Theologi pro nobis certantes, an ea verba, *Ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*, accipienda sint de *dispositione proxima* ad justificationem, vel *de dispositione remota*. Qui primum tenent, inquiunt Concilium loqui de attritione quidem ex metu gehennæ concepta, sed quæ procedat ad dilectionem, siquidem exigit, ut hæc attritio excludat voluntatem peccandi; eandemque attritionem proficuam esse demonstrat exemplo Ninivitarum, quos proculdubio timor ad conversionem, at non ad justitiam ultimò proximeque disposuit; alibi etiam Concilium addidit timori & spei *initialem amorem*, ne pœnitentia propter pœnam tantum foret infructuosa. At qui tenent Concilium loqui de dispositione tantum remota, inquiunt mentem Concilii fuisse definire tantummodo, quod attritio servilis est bona & perutilis, & non est impedimentum ad gratiam, sed dispositio; primum, quia id erat adversus hæreticos decernendum; deinde, quia ex decreto dispuncta sunt ea verba, *Sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*; præterea, quia Pallavicinus testatur ideo attritionem servilem ad gratiam disponere, quia *ejus ope adjicitur charitatis affectus*; quod ait clarè evinci ex ipsa probatione Concilii, & ex producto exemplo Ninivitarum. Tene ex hac duplici sententia illam, quæ magis arrideat. Opinio mea est, noluisse Concilium ferre de præsenti judicium quæstione, ut affirmat ibidem Historicus Eminentissimus, in sententiam tamen nostram, si

omnia

omnia expendantur, Patres conspirasse: quod ostendi quarta, & proxima præcedentis capitis positione. Habeto itaque ad pertenuem fractamque objectationem responsum. Si Tridentina Synodus loquitur de attritione concepta ex metu pœnarum, & progrediente ad amorem, pugnat pro nobis argumentatio; si de remota duntaxat dispositione, pro nobis pariter militat: si denique de sola timoris utilitate, ac dispositione ad gratiam, præscindendo ab ea quæstione, num disponat *proxime*, vel *remote*; est ipsamet argumentatio prorsus cassa, nullaque ratione nos impetit. Ad quartam progredior, ac primo fateor attritionem habere vim in Sacramento proximæ dispositionis, si à timore, ex quo communiter concipitur, ascendat ad amorem initialem, per quem excludat prorsus voluntatem peccandi: hoc autem dato, quid adversus sententiam, quam propugnamus? Deinde nego Tridentinam Synodum opponere attritionem in Sacramento attritioni à Sacramento disjunctæ, illique vim attribuere proximæ dispositionis: neque enim ait, *Quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, in Sacramento tamen per se ad justificationem peccatorem perducit*, quæ foret objecta ab adversariis antithesis. Ait, *Tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*, caute particulas *per se*, & verbum *perducit* omissis, & pro vocabulo *justificationis* gratiæ nomine substituto; ut nempe quisque intelligeret, attritionem non esse qualem impius hæresiarcha delineavit, sed perutilem, & talem, quæ licet *se sola* nequeat justificare, hoc tamen affert commodi, quod disponat ad charitatem initialem, cujus adminiculo gratia in Sacramento impetratur. Hunc utique Tridentini sensum assecuti sunt viri maximi, & præclarissimi. Alphonsus enim Salmeron Concilii Theologus tom. XI. tract. 22. versans vulgatum illud proloquium, *Accedens ad Sacramentum ex attrito fit contritus*, ait id non alia ratione evenire, nisi, *quia accedente nova gratia, & liberi arbitrii conatu perfectum peccati odium & detestatio concipitur*. Franciscus Sonnius, qui pariter Concilio interfuit, tract. IV. de Pœnit. cap. 6. inquit: *Attritio non efficit veram pœnitentiam, sed tamen ad illam præparat. Sicut videmus, ait Augustinus, per setam introduci linum, sive filum, quando consuitur corium, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum. Sic timor primum occupat mentem, non autem ibi manet, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem. Concutitur quidem cor timore, sed lenit succedens charitas: timor impellit ad contritionem, cæterum perficit eam charitas: timor medicamentum est, charitas sanitas, timor exordium pœnitentiæ, charitas valor ejusdem.* Viguerius quoque in Institutionibus approbatis à sacra Facultate Parisiensi, de Sacram. Pœnit. versu 10. docet in Sacramento attritionem non sufficere per se, *sed propter aliud principium, sive objectum superveniens, quod est timor filialis.* Legimus pariter in Constitutionibus Bononiensibus Gabrielis Cardinalis Palæoti editis anno 1594. parte 2. serm. de Sacramento Pœnit. *Rursus etiam, quamvis dolor non potissimum ex timore Dei, sed potius ob suppliciorum metum excitetur, & ita veram rationem contritionis non attingat, quo potius attritio dicenda esset, non tamen ideo peccator à spe salutis, & consequendæ veniæ excidit, ut à Tridentino Concilio declaratum est, quoniam iste dolor ad verum Dei timorem & gratiam in Sacramento disponit, &c.* Neque ut alia producam necessum est, cum teste Eminentissimo Pallavicino id clare liqueat ex ipsa probatione Concilii, & ex adducto exemplo Ninivitarum, in quibus formidolosa pœnitentia minime sufficiens fuit seipsa ad peccatum delendum, *sed vim tantummodo habuit ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur charitatis affectus.* Quæris ergo quomodo attritio servilis ad impetrandam gratiam disponit? Respondeo breviter, Disponit quia viam parat ad conversionem cordis, ad charitatis affectum, ad timorem Dei filialem, idque præstat uberius in Sacramento, ad quod accedenti facilius ob humilitatem, qua se clavibus Ecclesiæ subjicit, Deus dans gratiam humilibus impertitur sanctæ dilectionis inspirationem: atque hac responsione expeditur quarta objectio.

6. Quarta.

At quintam brevissime refutabo; in priori namque decreto legebatur attritionem *sufficere*, quod postea dispunctum fuit atque erasum. Breviter etiam sexta diluenda est: nam demonstravi apertissime, Lutherum probasse solam contritionem proficiscentem *ex amore justificante*, nec aliter sentire potuit qui putabat solam in Christum fiduciam justificare impium, hujus vero opera, quæcunque justificationem præcedunt, sive sit metus, sive dilectio, sive peccatorum detestatio, esse inquinamenta & sordes, decipi proinde scholasticos asserentes exigi ad remissionem peccatorum

7. Quinta, & Sexta.

rum dolorem aliquem, discussionem peccatorum, & prævìam dilectionem. Mens ergo Concilii fuit non solam attritionem servilem, sed etiam initialem, necnon motus alios liberi arbitrii se disponentis ad gratiam commendare, atque inter dona Dei recensere adversus hæreticam pravitatem. Unum addam: tametsi Lutherus damnasset solam attritionem servilem, & de hac sola affirmasset non sufficere ad justificationem in Sacramento; nihil tamen evincerent adversarii: cum Tridentinum definierit quidem attritionem esse bonam, & dispositionem ad gratiam, non autem esse dispositionem sufficientem, & proscripserit primam Lutheri assertionem, non alteram. At enim, inquis, definit Concilium attritionem esse Spiritus sancti impulsum & donum Dei, *si excludat voluntatem peccandi.* Et hinc apparet (reponunt Doctores nostri) Concilium loqui de attritione initiali, quæ sola voluntatem peccandi excludit: hujusque assertionis suæ proferunt rationes plurimas, quas non vacat repetere. Insistens tamen ego iis, quæ superiori capite demonstravi, ineo responsionem longe planiorem: & dico excludi voluntatem peccandi, quatenus peccatum est causa supplicii ac sempiternæ damnationis, per attritionem servilem; quæ utilis est, & ad gratiam impetrandam disponit: *Cum enim illi qui habent timorem*, inquit Augustinus in Psalm. 127. n. 7. *per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat amari.* Excluditur autem voluntas peccandi, in quantum peccatum est offensa Dei summopere diligendi, per amorem charitatis; qui longe utilior est, & ad gratiam obtinendam non disponit tantum, sed in Sacramento etiam sufficit. Ad VII. respondeo sententiâ nostrâ nec attritionem servilem reddere hominem hypocritam, neque pœnitentiam ex eadem attritione manantem extortam esse, & coactam. Non est in attritione servili hypocrisis; quoniam qui timet, revera timet; hypocrita autem est, qui simulat exterius quod non habet in corde, ut de Pharisæis non uno in loco legitur in Evangelio, & docet sanctus Thomas 2. 2. quæst. 111. art. 2. de iis omnibus, *qui videri volunt quod non sunt*, & veluti in theatro agunt partes Agamemnonis. Quod autem sub timore lateat voluntas aliqua mala, id non facit, ut timor reddat hominem hypocritam; quoniam talis voluntas non est à timore, sed proficiscitur à prava cupiditate timentis: alioqui & fides, quæ voluntatem peccandi non excludit se sola, mala esset, & magis homines inquinaret; cum tamen sit virtus Theologica, & donum Dei. Nos ergo nequaquam hypocritas illos appellamus, qui vere timent, sed eos, qui aut timorem, aut pietatem, aut devotionem, aut virtutem aliam apparenter exercent, ei pares, de quo satyra v. Aulus Persius:

Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Astutam vafro servas sub pectore vulpem.

Sed neque pœnitentia solo timore animata dici potest extorta & coacta; siquidem licet timor, ut est concussio animi, seu *passio*, non sit cum electione liberi arbitrii, dolor tamen ex timore conceptus est motus liberrimus voluntatis: non enim quæ fiunt ex metu, involuntaria sunt, sed libera & voluntaria, ut docent Scholastici omnes cum D. Thoma 1. 2. q. 6. a. 6. Verùm hinc non infertur excludi omnino à timore servili voluntatem peccandi; quoniam ex doctrina ejusdem S. Thomæ citato, & proximo articulo in iis, quæ aguntur ex metu, *remanet voluntatis repugnantia ad id, quod agitur, secundum quod in se consideratur;* & motus voluntatis in illud fertur, *non propter se ipsum, sed propter aliud, scilicet ad repellendum malum, quod timetur.* Scio doctum scriptorem de Re Sacrament. to. 2. pag. 69. concedere attritionem ex metu gehennæ conceptam extortam esse, non liberam, *vitio timentis;* negare talem esse *vitio timoris.* Si velit vitium esse timentis, non timoris, quod persistat in voluntate affectus ad peccatum *secundum se;* verum dicit, idemque à nobis supra demonstratum est: si autem velit timentem ob metum pœnarum timere coacte; falsum est, repugnatque communi *de voluntario, aut involuntario* notioni, ac præsertim S. Thomæ 1. 2. q. 6. art. 6. In tribus autem reliquis objectionibus inaniter loquitarer, si fierem prolixior. Nam de scopo Concilii, qui objicitur octavo loco, dictum satis, superque. Quod proxime ponitur de charitate, quæ justificat priusquam Sacramentum suscipiatur, repetendum est paulo infra. Illud denique, quod opponitur de erasis verbis, *Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat*, nihil aliud evincit, nisi attritionem servilem, quæ bona est, posse aliquando à charitate divelli, non autem à charitate initiali sejunctam esse dispositionem sufficientem & proximam ad gratiam

8. Septima.

9. Reliquæ tres.

gratiam in Sacramento impetrandam. Potest etiam hæc objectio ex propositione quarta præcedentis capitis retorsum flecti in adversarios; quorum priores impetus non sustinuimus tantum, sed infregimus quoque, & elusimus.

10. Objectiones aliæ octo, ex virtute timoris.

Excipiendi sunt modo, qui timoris laudibus & efficacia decertant. Hi primum objiciunt, quæ de timore æternarum pœnarum tradunt divinæ literæ. Ecclesiasticus cap. 1. 27. *Timor Domini*, inquit, *expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari*; & cap. XXI. 7. *Qui timet Dominum, convertetur ad cor suum:* & rursus cap. XXV. 15. *Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei.* In Proverbiis pariter legimus cap. XIV. 27. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis.* Apud Isaiam XXVI. 18. *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum.* Christus demum in Evangelio Matth. X. 28. *Timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Hæc aliaque nos ipsi produximus tom. IV. pag. 503. demonstrantes timorem servilem esse donum Dei, & afferre plurimum utilitatis. II. Disertissime Patres tradunt homines perculsos gehennæ timore avocari à peccato. Ut mittam Basilium in Psalmum 33. Ambrosium in Psalmum 118. serm. 15. num. 37. & Hieronymum in cap. 1. Malachiæ: sat est unius Augustini loca quædam proferre. Ergo S. P. tract. IX. in Epist. Joan. num. 4. ait: *Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum; putredinem tollit.* Sermone 161. aliàs 18. de Verbis Apost. num. 8. *Timor*, inquit, *quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animum interiorem non sinit.* Item serm. 156. cap. 13. num. 14. scribit: *Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat timor in corde tuo.* Quid vero ulterioris dispositionis in Sacramento requiritur, quando abscinditur putredo peccati, interior animus cohibetur, & diabolo janua cordis occluditur? At præstat hæc omnia juxta Augustinum timor servilis. Disponit ergo ad gratiam *sufficienter*. Decretoria sunt autem quæ S. P. ait in libro de Catechizandis rudibus cap. 17. ubi distinguit tria genera hominum Christianam religionem amplectentium. Locat in primo genere illos, qui propterea volunt esse Christiani, *ut aut promereantur homines à quibus temporalia commoda exspectant, aut offendere nolunt, quos timent.* Hos vero reprobos appellat, & asserit portari ab Ecclesia, sicut area sustinet paleam usque ad tempus ventilationis, in fine separandos, si non se correxerint, & Christiani propter futuram sempiternam requiem esse cœperint. Statuit in altero genere illos, qui *meliori quidem spe, sed tamen non minori periculo, jam Deum timent, & non irrident Christianum nomen, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei, sed in ista vita exspectant felicitatem, ut feliciores sint in rebus terrenis, quàm illi, qui non colunt Deum.* Atque istos appellat S. P. infirmos in fide, quando quidem dum vident impios in sæculi prosperitate pollere, perturbantur quasi sine causa Deum colant, & facile deficiunt à fide. In tertia tandem classe constituit eos, qui ad gehennam vitandam, & beatitudinem consequendam Christiani fiunt: atque de his num. 27. ita loquitur: *Qui autem propter beatitudinem sempiternam & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est, cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, & in abundantia bonorum terrenorum modestus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens.* Hunc ergo ductum spe sola ac timore justificatum fuisse in baptismo negabimus? Faceſſat ergo, concedatque dura hæc, & oppositа Augustino sententia. III. Non potest hæc effugere intertum in Quesnellum anathema. Asserit Novator iste hæreticas, erroneasque propositiones illas: *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem: Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur: Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo: Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore: Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.* Continentur hæc in Bulla *Unigenitus*, num. 60. & sequentibus. Quisquis Bullam hanc, uti decet, sincero animo (veneratur, autem omnes præter illitos Quesnellii pice) profiteri debet veras esse propositiones oppositas, ac pœnitentiam solo timore animatam esse motum voluntatis liberum, cohibere interiorem animum, amovere à peccato, & consequenter ad gratiam *sufficienter* disponere. IV. Quod ita res se habeat, manifesta suadet

det ratio: nam certum est, timorem servilem excludere voluntatem peccandi; primum, quia si quis velit malum aliquod evitare, vult etiam evitare quidquid pertrahit ad ipsum malum. Sed qui habet attritionem servilem vult vitare gehennam. Vult igitur etiam evitare peccatum, quod ad gehennam perducit. Et nota, quod argumentum istud non solum probat attritionem servilem retrahere ab externo actu peccati, sed etiam evincit amovere ab interiori animi voluntate, siquidem & hæc voluntas trahit ad sempiternum exitium. V. Et quidem si metus cohibere potest pravam cupiditatem, si charitati parare locum, si avertere ipsius peccati malitiam & pravitatem; quare intimam voluntatem non potest penitus immutare? Nonne magis est arduum atque præstantius ad charitatem disponere, & reluctantem animum coercere, quàm ab illo avertere cupiditatem inhiantem peccato? Timor itaque si illud efficit, & hoc potest facere. VI. Saltem timor spei conjunctus debet quamlibet peccandi cupidinem amovere; nam spes, si efficax sit, vult adhibere media ad finem ultimum necessaria, omniaque vitare impedimenta, quæ obstant ejusdem finis consecutioni. Hæc enim natura & indoles est desiderii cujuslibet efficacis, ut media ponat, ac tollat impedimenta, studeatque potiri bono quod expedit. VII. Etiam in Republica homines duplici ratione arcentur à malo, & ad virtutem inflammantur: improbi pœnarum intimatione; boni autem patriæ, & honestatis amore: quod & innuit Horatius Epistola XVI. ad Quinctium, alloquens malum civem,

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

Duplicem hanc viam tenet Deus, impiis indignationem, bonis autem charitatem suam manifestans; ut illi convertantur timore pœnarum, isti autem delectatione justitiæ. VIII. Quid ratiocinationibus opus est, cum ubique personet absoletum illud, atque vulgare pronunciatum, *Accedens ad Sacramentum ex attrito fit contritus?*

VI. Respondetur ad primam.

Respondeo primam hujus classis argumentationem nullum nobis negotium facere, utpote qui timorem Dei bonum, perutilem, & ad gratiam disponentem fateamur. Protegant se ergo, si valent, ab istiusmodi telo, quo & nos strenue illos petimus, assectæ Lutheri, Jansenii, Quesnellii. Præterea dicimus cum Doctore Aquinate 2. 2. q. 19. art. 7. & 8. non alia ratione timorem Domini (si *timorem servilem* intelligamus) esse *initium sapientiæ*, & peccatum expellere, nisi quatenus dilectionis principium est, eamque, *sicut seta linum*, introducit: quam doctrinam lubentius amplectimur, quia traditam novimus ab Augustino. Si autem *de timore initiali* sacras accipias literas, quatenus per timorem initialem homo Deum reveretur, eique subjicitur, quod est prior veræ sapientiæ effectus, ut eodem art. 7. docet Angelicus, vides, opinor, argumentationem in auctores cassam inanemque redire. Cohærent hæc iisdem, quæ objecta sunt locis: Nam in primo capite Ecclesiastici vers. 12. legitur: *Timor Domini delectabit cor*, & 14. *Dilectio Dei honorabilis sapientia;* & rursus 25. *Radix sapientiæ est timere Deum:* item cap. XXV. 16. *Timor Domini initium dilectionis ejus.* Quid ergo inaniter ludimus, quando tam aperte Scriptura ipsa testatur, ideo timorem esse initium sapientiæ, ideo peccatum expellere, *quia est radix & initium amoris?* Id vero nihil est aliud, quam sæpe inculcata doctrina Augustini, scribentis tract. 9. in Epist. Joan. num. 4. *Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini: timor quasi locum præparat charitati.* Nota obiter ea verba, *Timor Domini expellit peccatum*, desiderari in nonnullis Græcis Versionibus, etiam in Sixtina LXX. tom. 2. pag. 303. habentur tamen in vetustioribus, & apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Pædagogi cap. 8. sed pro *Expellit*, est ibi, ἀπωθεῖται, scilicet, *despicit*, sive, *aversatur.* Hunc præterea locum Tridentina Synodus sess. VI. cap. 6. producit ad demonstrandum, quod timor sit dispositio ad gratiam, ibi tamen exigens ulterius *initialem amorem:* ideoque juxta Tridentinum timor expellit peccatum, tanquam dispositio quædam remota, eo pacto, quo ibidem sacrosancta Synodus inter dispositiones ad justificationem necessarias demonstrat connumerandam esse fidem, & spem ex illo loco Matthæi 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Merito proinde, ut ad postremum Scripturæ locum deveniam, præcipitur nobis, ut gehennam timeamus. *Cum Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum, Male times? Ista non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas. Sed interrogo te, si non te videret Deus, quando facis,*

facis, nec quisquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te vide. Non enim potes ad omnia verba mea respondere, inspice teipsum. Si faceres, ergo pœnam times, castitatem nondum amas, charitatem nondum habes: serviliter times, formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, & perducat ad dilectionem. Agnoscis, opinor, Augustinum in serm. 161. n. 8. de timore loquentem. Præterire nolo, ipsum Dei timorem nobis præcipi, ut inde assurgamus ad castum ipsius amorem. Quare Deut. xxx. 15. legitur: *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum; ut diligas Dominum Deum tuum.* Eapropter, *in ipsa minarum intentatione tacite ostendit Dominus suam in homines benevolentiam*, ut ex verbis Amos cap. IV. 12. demonstrat citato libro Pædagogi pag. 117. sanctus Clemens Alexandrinus. Sed de prima objectione dictum satis. Non aliud, ut exsufflemus alteram, docent Patres; in quos conjiciens oculos miraberis complurium alucinationem. Et quamquam eorundem Patrum prolixe sensum exposui, juvat tamen brevi objecta loca discutere. Basilius in Psalm. XXXIII. timorem, de quo agit, appellat τὸν τέλειον φόβον, *timorem perfectum*, quod ignoro, num de *servili* dictum sit. Sed de quocunque loquatur, plurimum illum commendat, propterea quod *instituendæ vitæ nostræ jaciat fundamenta*, παιδεύῃ ἡμῶν τὴν ζωήν. Id verò non est aliud, quàm cum Augustino facere timorem *legis pædagogum*. Ambrosius citato loco docens *clavis configi carnes à timore Dei*, supponit timorem conjunctum amori; præmiserat enim: *Qui diligit Domini testimonia, configit clavis carnes suas*: additque num. 39. *Hanc imaginem clavi non solum timoris, sed etiam charitatis affigunt.* Atque id etiam illud idem est, quod Augustinus in eundem Psalmum 118. serm. 25. num. 7. ait, configendas carnes *timore casto, quo peccare timet charitas, etiamsi sequatur impunitas.* Hieronymus item in primum Malachiæ docet velle Dominum nos habere servos, ut à malis pet suppliciorum formidinem recedamus. Sed addit velle primum, *ut filii simus, & bonum voluntate faciamus*; scilicet, quod & Augustinus noster monuit quæst. 36. ex LXXXIII. num. 2. *ut charitatis libertas præ servitute timoris emineat.* Ita nimirum Augustinus aliique Patres consentiunt ad invicem. At, inquis,

12. Ad secundam.

Augustinus ipse docet oppositum. Ubinam, quæso? Primò ais, tract. IX. in Joan. num. 4. *Excute aures, intende melodiam*, prosequitur eo loci Augustinus: *sunt homines, qui propterea timent Deum, ne mitantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille, qui introducit charitatem; sed sic venit, ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times. Non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo quod mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare. Cum bona desiderare cœperis, erit in te amor castus.* Hoc ergo præstat per Augustinum timor servilis; intrat, pungit, stimulat, occupat cor, *ut introducat charitatem*, & sufficit ad tollendam putredinem, non ad sanandum. In ser. 161. post verba, quæ objiciuntur, hæc immediate addit: *Est enim quidam custos timor, quasi pædagogus legis, littera est minans, nondum gratia juvans. Custodiat tamen te timor iste, dum non facis timendo, & veniet charitas; intrat in cor tuum, & quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat, ne faceres: charitas id agit, ut nolis facere, etiamsi impune possis admittere.* Ex quo vides ita per timorem servilem cohiberi interiorem animum à peccato, ut nisi superveniat dilectio, maneat conditionata voluntas peccandi, si posset impune; cum hæc peccatum detestetur, ut sæpe monui, tanquam causam suppliciorum, *non secundum se*, & tanquam offensam Dei. Quod autem opponitur ex sermone 156. solutum est, si Augustini verba à præcedenti periodo repetantur. Ita enim ea sonant. *Qui adhuc ideo bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum est inter filios: utinam tamen vel pœnam timeat. Timor servus est, charitas libera est; & ut sic dicamus, timor est servus charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ. Veniet domina, & servus abscedet, &c.* Ad postremum Augustini testimonium exscriptum ex libro de Catech. rudibus, manifestum est appellari eo in loco *verè Christianum* illum, qui spe cœlestis regni & formidine gehennæ profitetur Christi religionem, quoniam *motivo* verè supernaturali, non timore mundano, aut spe inani, (quemadmodum ii, qui locantur in aliis duobus generibus) ad Baptismum accedit. Ille namque timor, & spes illa nonnisi superna fide excitantur; qua non movetur qui fit Christianus *humana*

commoda cupiens, vel incommoda fugiens, ut legitur eodem libro cap. v. n. 9. An vero hac dispositione ad Christum veniens justificationem adipiscatur, non quærit S. Pater hoc in loco, imo requirit, ut, si ad æternam requiem pervenire velit, *plus amet Deum, quam timeat gehennam, adeo, ut etiamsi dicat illi Deus, utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris, exhorrescat, & omnino non peccet, non jam ut in illud, quod timebat, non incidat, sed ne illum, quem sic amat, offendat.* Responderi etiam potest, Augustinum in illo desiderio beatitudinis supponere motum aliquem charitatis, cum vera beatitudo sit adhærere Deo summo Bono, *& amor Dei, quo diligitur ut beatitudinis objectum, sit amor charitatis*, ut supra diximus cum S. Thoma 1. 2. q. 65. art. 5. De propositionibus Quesnellii actum supra.

13. Ad tertiam. Ad repellendam tamen falsam omnem & iniquam insimulationem, de iis rursus dicam. Quantum spectat ad sexagesimam, falsa illa est, atque hæretica, cum certum sit eum, quem pœnitet ex timore, pœnitere non coacte, sed libere; & fide tenendum sit, Deum timorem incutere, ut convertamur ad Dei misericordiam, & in spem erigamur. Quapropter, si timidi aliquando desperent, non ideo desperant quia timent, sed quia sunt fide atque spe destituti. Verum illa voluntas libera, nisi charitas introducatur, nondum odit peccatum secundum se, sed tantum ut causam supplicii, servatque ad ipsam pœnitentiam quam agit, talem reluctantiam, ut non pœniteret, si posset impune. Quemadmodum ergo in timente requiritur spes veniæ, ne desperet, ita requiritur motus sanctæ dilectionis, ut prorsus amoveatur peccati voluntas; quoniam, ut sæpe diximus, contraria contrariis pelluntur. Merito pariter damnata est proxima Quesnelliana propositio, nam timor præter cohibitionem manuum, sive operis exterioris, cohibet effluentem animum, frangit vetustam consuetudinem, & præparat locum charitati: ac tantum abest, ut addicat peccato, quin imo vere ab eo retrahit; & licet se ipso ad justificationem non sufficiat, facit tamen, ut pœnitens studeat adhibere ea, quæ sufficiunt, inter quæ locum obtinet sententiâ nostrâ motus contritionis & amor. Dicam verbo; timor servilis est impulsus Spiritus sancti, ut definivit Synodus Tridentina, non inutilis & pernicious, ut inquit Novator; sed utrum ad justificationem in Sacramento sufficiat, neque Synodus Tridentina definivit sess. XIV. neque Clemens XI. in Constitutione *Unigenitus*. Timendo autem perpetrari peecatum, observari legem Judaico more, & consequi ea, quæ à Quesnellio subjiciuntur, nemo nostrum asseruit unquam; neque enim aut timorem saluberrimum inter animi inquinamenta computamus, aut comminationem temporalium malorum, quam formidabant Judæi, comparandam dicimus timori, incusso ab Evangelica quoque lege, æternorum suppliciorum. Ex quibus omnibus constat, quantum ab improbis Dogmatistis distent Augustinenses Theologi, & quam immerito illi honestissimo istorum nomine glorientur. Quod opponitur quarto loco, perspicue solutum est: ex Augustini enim, & S. Thomæ doctrina, necnon ex manifesta ratione, qui vult malum evitare, effugit ea, quæ ad ipsum malum perducunt, quatenus causa illius sunt, non *secundum se* considerata; ideoque pœnitentiam agens ex solo pœnarum metu non odit peccatum quatenus est in se detestabile, & Deo injuriosum, sed peccare vellet, si posset impune: atque, ut inquit Augustinus in Ps. 127. num. 8. *Timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam.* Nego itaque voluntatem timentis adeo esse efficacem, ut evitare velit quidquid impedit sponsi amplexus, & aversetur pœnam damnatorum præcipuam, privationem scilicet summi Boni, si nullatenus inflammetur amore casto. Atque, ut liberalis sim, si voluntas non peccandi solo metu animata vere sit efficax, nihil aliud consequetur, nisi voluntatem hanc niti ad ponenda media, quibus gehenna evitatur, ideoque ad servanda præcepta, quorum illud est primum, maximumque, *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Ad quintum respondeo, quod cohibere interiorem animum, & parare locum charitati in Schola Augustiniana idem sunt: *cum enim per timorem homines continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus*, inquit Augustinus ser. nuper laudato n. 7. malitia autem, à qua avertit timor servilis, est, quod peccatum sit malum nobis, non quod sit offensa Dei: atque hoc postremum unusquisque inquit S. Thomas q. 3. supplem. art. 2. *plus debet odire, quia debet magis Deum, quam se ipsum diligere.* Quod sequitur de spe, dilui-

Gehennæ commina-tionem non legi in Veteri Testamento, advertit Augustinus in Ps. cv. num. 26.

14. Ad quartam.

15. Ad quintam, sextam & septimam.

diluitur eadem facilitate: siquidem si spes tendat *ad unionem spiritualem*, per quam adhæreat summo Bono, non est absque charitate initiali, si autem habeat intentionem finis non ordinem, non est efficax, neque pulcherrimi sponsi quærit amplexus: atque, ut istud etiam large liberaliterque concedam, si efficax est, adnitetur ea perficere, quibus finem consequimur, & memor verborum illorum, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, incipiet diligere Deum summe bonum, quem timet summe justum. Ad 7. dicimus rectissime Deum uti comminationibus ad convertendos scelestiores; quos enim nondum delectat pulchritudo justitiæ, coercet terror supplicii. Verum non est pœnarum interminatio præcipuum conversionis *motivum*, sed occasio quædam aut insinuatio conversionis: etenim Deus se ostendit iratum, ut quæramus amantem; atque ut ajebat sanctissimus æque ac sapientissimus Institutor in primo de Doctrina Christiana cap. xv. 14. *Magnum timorem incutit negligentibus, ut se ad diligentiam convertant, eumque magis bene agendo desiderent, quam male agendo formident.* In republica autem attenditur magis externum officium, quam cordis affectus: non enim est rector civitatis, quemadmodum auctor sæculi, *scrutator cordium.* Cæterum nec in ipsa republica laudantur qui servant legem sola pœnarum formidine, & Horatii ad Quinctium plena sententia hæc est:

Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, & opertum milvius hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore:
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.
Sit spes fallendi: miscebis sacra profanis.

16. Ad octavam. De proloquio demum Scholastico dictum supra. In unum constringam quæ fuere dispersa. Non esse illud expressam Evangelii assertionem, aut definitionem Ecclesiasticam, nec inveniri apud Augustinum, vel auctorem alium ejusdem classis, imo dignum non esse, *cui bilances perpetuæ nostræ salutis, aut damnationis confidamus*, fatetur in IV. dist. 18. q. 3. art. 2. & dist. 19. quæst. 2. art. 6. Dominicus Soto. Quid ergo, si pronunciatum illud rejiceremus? Deinde veteres Scholastici, inter quos S. Thomas quæst. 28. de veritat. art. 8. attritionem à contritione distinguunt *per intensionem doloris, & per informationem gratiæ*: in quorum proinde sensu ex attritis contriti fiunt, qui accedentes ad Sacramentum cum amore *initiali* recipiunt gratiam *habitualem.* Multi præterea, etiam post Tridentinum, in eo sensu interpretantur effatum illud, quod attritioni accedat uberior gratia & motus sanctæ dilectionis, huic vero per Sacramenti efficientiam remissio peccatorum; ut diximus supra de Viguerio, Sonnio, Pallavicino, aliisque viris doctissimis. In istorum ergo, & in antiquiorum illorum sensu vulgare pronunciatum recipimus, & probamus; in sensu autem adversariorum (quos jam in secunda argumentationum congerie propellere, & propulsare studuimus) minime, haudquaquam.

17. 10. Aliæ objectiones ex efficacia Charitatis.

Ventum est ad classem illam oppositionum, quæ petuntur ex charitatis energia atque excellentia. Eò autem collineant, ut demonstrent omnem amorem Dei benevolum justificare *se solo*, & consequenter nihil collaturum fore Sacramentum, si ad ipsum prærequireretur actus a quis charitatis. Itaque adversantes nobis Theologi charitatem, quantumvis minima sit, non posse cum peccato consistere demonstrant insequentibus argumentis. Id primùm charitati attribuunt divinæ literæ, quæ, ut homo sit justus & Deo acceptus, ad charitatem ipsam hortantur, non requisita ejusdem charitatis magnitudine atque vehementia, neque ullo discrimine facto inter charitatem prævalidam & remissam. Legitur enim Proverb. VIII. 17. *Ego diligentes me diligo.* Joannis XIV. 21. *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* In Epistola ad Rom. XIII. 10. *Plenitudo legis est dilectio.* In I. Joannis IV. 7. *Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est*; atque in I. Petri IV. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* II. Tridentina Synodus expresse id definivit verbis illis sess. XIV. cap. 4. *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur.* III. Conspirant hac in re maximi Ecclesiæ Patres: Chrysostomus enim Hom. 7. in 2. Epistolam ad Timotheum ait, *Sicut ignis, ubi sylvam occupaverit, omnia purgare consuevit, ita & charitatis fervor, quocunque inciderit, omnia perimit atque perrumpit.* Augustinus Tractatu V. in Epist. Joan. num. 3. *Non discernuntur*, inquit, *filii Dei à filiis diaboli, nisi charitate:* in Evangelium Joannis Tract. IX. de

IX. de charitate scribit, *Quam cum habere cœperit homo, Spiritum sanctum habebit; quam si non habuerit, sine Spiritu sancto erit. Et quomodo corpus tuum sine spiritu, quod est anima tua, si fuerit, mortuum est, sic anima tua sine Spiritu sancto, id est, sine charitate si fuerit, mortua deputabitur.* Item de natura & gratia cap. ultimo fatetur charitatem, licet sit duntaxat inchoata, esse justitiam, dicens: *Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.* S. Gregorius Magnus in cap. 3. libri primi regum hæc habet: *Ex vi conversionis magnitudo deletur criminis: vis autem conversionis est affectio charitatis cordi infusæ visitatione sancti Spiritus. Et scriptum est de eodem Spiritu, Quia ipse peccatorum remissio est.* IV. Qui asserit charitatem posse consistere cum reatu peccati, assentitur propositionibus in Bajo proscriptis. 31. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* 32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* 70. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Sunt aliæ apud Bajum hujus farinæ propositiones ab Apostolica Sede confixæ pariter, ac reprobatæ. V. Sanctus Thomas in 3. p. quæst. 70. art. 4. ait: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis; minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti*: atque in Supplem. q. v. art. 1. & 3. scribit peccatum solvi *per dolorem ex amore charitatis ordinato causatum, quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat.* VI. Hoc postremò demonstratur rationibus Theologicis; quarum prima est, quod charitas etiam initialis est charitas perfecta, atque, ut docet Bellarminus lib. 2. de justificat. cap. 16. etiamsi actualis sit, non *habitualis*, contrarie opponitur peccato, ideoque illud efficienter expellit, saltem *per modum ultimæ dispositionis*, quam ex natura rei, & infallibili quodam nexu consequitur infusio gratiæ. VI. Sequitur ratio altera: Amor, quo diligitur creatura plusquam Deus, reddit hominem impium, quamvis amor ille tenuis sit ac remissus: igitur amor, quo Deus diligitur super omnia, quantumvis remissus ac minimus, reddit hominem justum. VII. Accedit proxima ratio: Intensa & remissa charitas actualis specie, ut aiunt Scholæ, non differunt; si ergo illa justificat, id præstat & ista. VIII. Argumentari etiam possunt: Si per intensionem contritio imperfecta distinguatur à contritione perfecta, eodemque pacto distinguatur charitas à charitate; nemo discernere poterit, an contritionem perfectam habeat: ex quo necessum est oriatur magna animi anxietas ac perturbatio. IX. Urgent & illud: Quod præstat habitus *habitualiter*, id facit *actualiter* actus. Igitur si charitas habitualis justificat *habitualiter*, charitas actualis *actualiter* justificabit. X. Tandem, si sola actualis & imperfecta charitas naturâ suâ non traheret formam justitiæ, & Dei amicitiam, ii, qui morte proximi eliciunt contritionis actum, etiam cum voto Sacramenti, in æternum perirent: atque ita damnarentur qui Deum diligunt: quod nimis absurdum est, & horrendum.

18. Notandum ante Solutionem.

Priusquam hæc argumenta diluam, ad memoriam revoco fuisse complurium antiquorum opinionem, necessariam esse in Sacramento pœnitentiæ contritionem charitate perfectam, atque apud Deum hominem justificantem, nec tamen opinionem illam fuisse expressa damnatione proscriptam. Illam quippe propugnarunt præclari viri, Thomas Illyricus, Alphonsus Tostatus, Rupertus Abbas, Innocentius Tertius, S. Raymundus, S. Bonaventura, aliique permulti; à quorum testimoniis colligendis eximunt nos Joannes Launojus, Morinus, Farvaquius, Le Drou, Witassius, atque posteriores Theologi accuratissimi. Visum quoque prælaudato Morino pag. 41. prioris partis *de Contrit.* in eandem sententiam conspirasse aliquando Doctorem Angelicum, cujus art. 2. q. 2. dist. 21. in IV. hæc sunt verba, *Confessio operatur præsuppositа contritione, quæ culpam delet.* Movebat autem Theologos illos, quod Sacerdos neminem debeat solvere, quem prius Deus in gratiam suam non receperit: idque S. Raymundus in Summa lib. 3. de Pœnit. paragrapho 11. explicavit exemplo Lazari, quem prius suscitavit Dominus, quam à discipulis solveretur, & eorum, qui lepra contaminati à Christo mundati sunt, priusquam accederent ad sacerdotes. Nec tamen, ut dixi, hæc sententia

tia reprobata est ab Ecclesia; sed illam in Tridentino Concilio à censura immunem ostendit Tudetanus Episcopus ea ratione, quod *etsi Sacramentum Pœnitentiæ inveniat remissa peccata præeuntis contritionis efficacitate, id tamen præstat virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur.* Atque hanc Tudetani Episcopi assertionem explicat illustri exemplo deprompto à passione Christi, cujus intuitu justificati sunt sancti veteris fœderis, Leonardus Vanroy cap. IV. de Pœnit. q. 3. Est tamen inter causam meritoriam, qualis est passio Christi, & causam instrumentalem, cujus generis sunt Sacramenta, discrimen aliquod. Verum quidquid sit de ea Tudetani ratione, & de allati exempli convenientia; post Tridentinum Concilium Andreas Vega lib. XIII. Comment. ejusdem Conc. cap. 33. eadem recitata sententia, quam agnoscit esse Magistri sent. Okami, S. Bonaventuræ, Alensis, aliorumque, *Neque tamen*, inquit, *quod ita docuerint, cum illis sensisse existimandi sunt, qui absolutionem Sacerdotum inanem crediderunt: nam & ad augmentum gratiæ, & ad remissionem debitæ pœnæ pro peccatis, omnibus rite sua peccata confessis utilem eam esse tradiderunt, quod quidem stare potest, etiamsi nunquam prima gratia per eam conferretur; & hac ratione tueri eos possumus, ne videantur adversari citatis supra Ecclesiæ definitionibus, quod Sacramenta novæ legis causent gratiam.* Ex quibus apparet plurimum illos alucinari, qui censent antiquiorum illorum sententiam rejectam à Tridentino. Eo etiam nomine à censuris intortis in Bajanas propositiones immunis est, quod illi veteres remissionem peccatorum & gratiam *habitualem* à charitate perfecta minime segregabant; eamque, aut saltem augmentum illius adscribebant Sacramento, cujus in perfecta contritione (etiam juxta Tridentini definitiones) votum includitur. Hæc autem ideo commemorata sunt, ut opinionem illam antiquorum vindicaremus, atque ut percipiant adversarii, non proinde nos futuros fore devictos, si fateremur necessariam in Sacramento contritionem & charitatem, quæ justificet apud Deum.

19. Contritio, & amor benevolentiæ non semper Justificat.

Cæterum nos & à sententia illa recedimus, & negamus contritione, & dilectione Dei *propter se*, nisi vehemens sit atque accensa, peccata semper dimitti. Recedimus ab illa sententia ob eas rationes, quæ nobis, & nobiscum pugnantibus communes sunt. Arbitramur enim consultum magis dignitati, & efficientiæ Sacramentorum novæ legis, si horum quædam etiam primam gratiam producant; cujus productionis causa dici solent *Sacramenta mortuorum.* Facilius etiam refutantur hoc pacto propositiones Michaelis Baji, & præsertim quinquagesima septima, affirmans *peccatorem pœnitentem non vivificari ministerio Sacerdotis.* Salvatur quoque melius judiciaria potestas collata Sacerdotibus remittendi peccata, quam potestatem exercent Pœnitentiæ Sacramentum administrantes. Expressa insuper est doctrina Synodi Tridentinæ sess. XIV. cap. 4. & Catechismi Romani P. 2. cap. V. num. 36. charitate perfecta, & contritione acri & vehementi deleri peccata, *priusquam Sacramentum actu suscipiatur:* nec probabile admodum est, in Sacramento talem contritionem requiri, quæ citra ipsum, & cum solo ipsius voto justificet. Insuper proximo num. 32. præfati Catechismi asseritur *ex fidei Catholicæ doctrina* credendum, & constanter affirmandum esse, remitti vi clavium in Confessione scelera omnia, *Etiamsi pœnitens hujusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit:* quæ tamen verba non significant id esse *dogma fidei*, ut interpretantur nonnulli, sed quod ex *fidei doctrina* inferatur necessaria consecutione; nisi asserere velimus Compilatores catechismi ignorasse, quæ in Tridentino Concilio gesta sunt, & quæ nos paulo supra produximus. Denique etiam Clerus Gallicanus in sæpe laudata declaratione anni 1700. in qua tamen requirit inchoatam Dei dilectionem, ait putandum non esse, ut necessaria sit prævia contritio, *quæ sit charitate perfecta, hominemque Deo reconciliet, antequam Sacramentum actu suscipiatur.* In hoc ergo cum adversariis consentimus, non esse in Confessione Sacramentali necessariam contritionem charitate perfectam, quæ prius justificet, & peccata dimittat.

20. Amor initialis non efficit contritionem perfectam.

At negamus hujus generis esse contritionem *initiali* duntaxat charitate animatam. Etenim inchoatæ dilectioni Tridentinos Patres adscribere rationem solius dispositionis ad justificationem, hanc vero tribuere, tanquam *causæ formali*, charitati quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum inhabitantem, & quam scholæ appellant *habitualem*, dictum supra, nec opus est, ut iterum demonstretur. Catechismus autem Romanus cit. num. 36. tribuit utique vim justificandi contritioni perfectæ, sed quænam hæc sit hisce verbis deseri-

describit: *Ut enim hoc concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, & intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit?* Insuper Doctores nostri afferunt exemplum Magdalenæ, quæ etsi ex amore casto detestaretur peccata, priusquam tamen Salvatoris præsentia, & impensis amoris operibus augeretur illius charitas, inquinata erat & sordida, scribente Augustino Sermone 99. num. 2. olim 23. ex 50. *Accessit autem ad Dominum immunda, ut rediret munda: accessit ægra, ut rediret sana;* & Magno Gregorio Hom. 33. in Evangelia, *Nondum lota, sed lavanda, ad fontem misericordiæ cucurrit.* Proferunt & exemplum ipsiusmet Augustini, qui libro IX. Confessionum cap. 2. suam ante Baptismum charitatem describit; & nihilominus peccata sua *horrenda & funerea* dimissa fuisse scribit *in Aqua sancta.* Addunt Augustinum apertissime exigere dilectionem Dei à catechumenis, tum de Catechizandis rudibus cap. 4. ubi ait, diligenter curandum, ut catechumenus priusquam regeneretur sacro fonte baptismatis, *audiendo credat, credendo speret, sperando amet,* & cap. 10. ubi inquit, præceptum illud, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, *pertinere ad baptizandum:* tum Tract. 13. & 96. in Joannem, ubi affirmat catechumenum, antequam ad baptismum veniat, etiamsi credat & diligat, portare adhuc *sarcinam iniquitatis suæ.* Neque hoc postremum pronuntiat Augustinus de catechumenis baptismum dedignantibus (quod audio respondere nullos;) non enim est vera charitas, ubi est contemptus Sacramentorum: sed contra id scribit, *ne quis dedignetur baptizari,* baptismi contemptum non supponens, sed ne subrepat inde admonens, quod catechumeno credenti, speranti, & diligenti, peccatum non dimittitur, *nisi cum venerit ad Baptismum.* Itaque sententia nostra est, ad hunc modum sese invicem complecti charitatem, atque justitiam; ut si charitas sit *habitualis,* quæ diffunditur per Spiritum sanctum inhabitantem, habeatur justitia *habitualis* & inhærens: si charitas sit adeo flagrans, ut pariat acerbitatem doloris acris atque vehementis, sit ad justitiam inhærentem ultima dispositio, cui statim subsequatur *forma* ipsa justitiæ; si autem sit charitas initialis, inchoata, & remissa, nequeat ad gratiam habitualem perducere, nisi augeatur & flammescat, aut supleatur defectus ipsius per efficacitatem Sacramenti: ad eum ferè modum, quo si ignis lignum pervadat, illudque, ut ajunt, *informet,* lignum fit ignis; si lignum summo afficiatur calore, confestim igneſcit; at si paululum calefiat, sitque viride aut humidum, nequit vi illius caloris incendi. Quamobrem non sequitur, Charitas justificat, igitur qui habet amorem initialem, est justus; sicuti non recte concluditur, ignis inflammat, ergo lignum mediocriter calefactum flammam concepit, & est ignitum. Hæc autem pro ampliori explicatione Augustinianæ sententiæ hactenus producta decem illas argumentationes unico ictu subvertunt.

21. Nunc respondetur Objectioni primæ.

Respondeamus nihilotamenminus ad singulas. Quod charitas deleat, operiatque multitudinem peccatorum, bene sacræ literæ affirmant: nam si charitas est *habitualis,* confert inhærentem justitiam; si actualis intensa, cum justitia ipsa connectitur; si initialis & inchoata, ad eandem justitiam disponit; atque talis est justitia, qualis est charitas; ut in libro de Natura & gratia inquit splendidissimum Ecclesiæ lumen Augustinus. Præterea charitas nos Dei amicos constituit, si cætera adhibeantur: etenim de timore etiam dictum est, *Timor Domini expellit peccatum,* Eccli. I. 27. Inde tamen nihil aliud inferunt adversarii, nisi timorem esse dispositionem ad gratiam, & justificare, modò accedat virtus Sacramenti. Idem nos affirmamus de amore inchoato, si de isto accipiantur loca scripturæ: nam si dicta velis de charitate diffusa per Spiritum sanctum inhabitantem, admittimus totum quantum est argumentum. Et quod de timore dixi, affirmo de fide, de qua ait Apostolus ad Romanos III. 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem:* necnon de spe, de qua in eadem Epistola VIII. 24. legitur, *Spe salvi facti sumus.* Deinde ex quo Deus diligat diligentes se, ad eos veniat, in ipsis permaneat, illis peccata dimittat, qua, peto, illatione deducitur hæc omnia concedi non diligentibus? Si objecta demum testimonia inspicias, cognosces agi in Proverbiis de sapientia, ad quam non perveniunt inertes, sed qui ejus desiderio inflammantur. Joannis XIV. 21. justis in dilectione manentibus promittitur manifestatio gloriæ, ut constat ex textu, demonstratque Augustinus Tract. LXXV. num. 5. Apostolus ad Rom. III. 9. & 10. docet ad charitatem referri omnia legis præcepta. Joannes & Petrus in locis productis

ductis hortantur ad charitatem proximi, quoniam charitas est filiorum Dei character & nota, & qui diligit, habet in se vitam & spiritum Dei; moventem quidem, si actu diligat, inhabitantem vero, si exornatus sit habitu charitatis.

22. Secundæ & tertiæ.

Hæc ad primam objectionem. Quod sequitur, est facillimæ expeditionis: nam Tridentinum appellat *contritionem charitate perfectam*, quæ est acris, & vehemens; hac enim tantum remitti absque Sacramento peccata, tanquam rem omnibus manifestam affirmat Catechismus Romanus; ac potest id erui ex ipso Concilio, à quo amor initialis requiritur, *ne pœnitentia sit infructuosa*, prout docet Historicus præstantissimus. Est insuper sententia Suarez 3. p. q. 85. disput. 4. sect. 2. non oportere, ut quæ à Tridentino dicuntur de contritione charitati perfectæ conjuncta, intelligantur *de actu*; cum accipi possint *de infusione gratiæ, & charitatis*. Ad testimonia Patrum, quæ objecta sunt tertio loco, primum respondeo non solum ab his commendari charitatem, verum etiam inculcari charitatis præceptum, quo non obstringi pœnitentes, dum veniam à Deo petunt, affirmare quidem possunt adversarii, persuadere non possunt. Deinde Chrysostomus loquitur de charitate fervida & vehementi, qua justi adversa omnia propellunt; quod vel satis commonstrant duo illa verba τῆς ἀγάπης θερμότης, *fervor charitatis*. At S. Gregorius in caput 3. 1. Regum pertractat quæstionem, an salvetur qui pœnitentiam agit morti proximus, & respondet salvari, si visitetur à Spiritu sancto, qui, *ut se menti infuderit, eam protinus in peccatorum & vitiorum odia, & in virtutum amorem ineffabiliter excitat*: imo in ea conversione exigit *tantum amoris ignem, qui consumere in anima possit omnem congestam peccati rubiginem*. Vide edit. Vatic. pag. 72. Nihil ergo adversus nos isti faciunt, cum Gregorius nec Pœnitentiæ Sacramentum excludat, nec loquatur de quocunque genere conversionis; & solum pertractet de exitu mortis: in quo reperiri potest, ut dicam infra, ratio aliqua peculiaris. Augustini autem verba, tum producta, cum alia plurima, sunt omnia recte sapienterque prolata, quippe quæ in charitate agnoscunt spiritalem vitam, ac Spiritum sanctum, eo modo, quo habetur ipsamet charitas, id est, inhabitantem, si charitas sit inhærens; moventem ad perfectam contritionem, si charitas sit actualis intensa; disponentem ad gratiam, si charitas sit initialis & inchoata. Sunt enim in vita spirituali, atque in ipsa justitia distinguendi motus & actus hominis se disponentis ad gratiam, qui excitantur auxilio gratiæ actualis, à forma justitiæ, quæ infunditur per gratiam habitualem: unde in Bajo proscriptæ fuere propositiones 62. & 63. negantes hanc distinctionem duplicis justitiæ, & duplicis vivificationis, ut dicam modò. Quod ergo ad Bajum spectat, cujus propositiones 31. 32. & 70. nobis objiciuntur; quis crederet sententiam nostram in urbe Roma, magistra veritatis, & coram Apostolica Sede potuisse hactenus propugnari, si vel minima Bajanæ labis fuligine foret aspersa? At propugnatur, atque approbantibus viris doctissimis libri illam tenacissime defendentes prodeunt in lucem, summis quoque Pontificibus consecrati, ut testantur Theologica opera Francisci Genetti, Friderici Gavardi, Lamberti Le-Drou, Francisci-Mariæ Campioni, ut mittam alios sexcentos alibi excusos. Immunis est ergo, ut ostendi prop. 1. capitis præced. hæc sententia ab omni Bajani erroris suspicione. Et revera hujus positiones non de charitate *initiali*, sed de charitate *habituali*, quam Bajus ab actuali non secernebat, prolatæ sunt; ut fatetur Franciscus Suarez cit. disput. 4. sect. 7. quamquam Bellarminus lib. 2. de Pœnit. cap. 13. scribat locutum Bajum de charitate flagranti & perfecta: quod pariter nobis non adversatur. Apparet mens Baji ex prop. 43. *In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in catechumenis ante baptismum est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum*: ex 62. *Illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis justificatio impleatur, ut odiosissima & pertinacissima rejicitur*: atque ex proxima 63. *Denique & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, qua vivificatur qui vere justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia judicatur, & scripturis minime congruens*. In hoc ergo situs est error Baji, quod non secernat *habitualem* ab actuali justitia; ideoque toto cœlo distant à Bajo qui docent

23. Quartæ.

docent per charitatem habitualem impium justificari, & per actualem disponi ad justificationem, discrimen duplicis justitiæ, & duplicis vivificationis à Bajo sublatum apertissime tradentes & propugnantes. Plura sunt alia ad Baji propositiones spectantia, quæ legi possunt apud memoratum Le-Drou dissert. IV. cap. I. & in Confut. discussionis Augustini *Micheli*, cap. XI. §. 4. necnon apud Vitassium pag. 214. edit. Venetæ, & Le Droint tom. 2. pag. 105.

24. Quintæ, sextæ, & septimæ.

quæ exscribere non oportet. Circa doctrinam D. Thomæ respondet auctor nuper laudatus, accipiendum esse de gratia habituali, & de contritione per eandem gratiam formata: quod utique perspicuum erit legenti eundem sanctum Thomam, sese manifestius, quàm faciant singuli Commentatores, explanantem. Subjectæ ratiocinationes paucis exsufflantur: ad priorem quippe dicimus, amorem initialem esse charitatem *perfectam* comparate ad objectum, non respectu conversionis cordis, & motus animi. Insuper fatemur eundem amorem opponi amori noxio *contrarie:* at etiam contraria se invicem patiuntur, nisi intensa sint; & præsertim simul consistunt dispositio duntaxat inchoata & forma opposita, prout explicavi rerum naturalium comparatione. Objectio, quæ sequitur, ob duplicem causam nulla est; primum, quia datur aliqua ad creaturam conversio, quæ tamen non infert maculam lethalis culpæ, ut contingit in veniali peccato: deinde, quia conversio actualis ad Deum non inducit natura sua gratiam sanctificantem, sed ex Dei promissione, & ministerio Sacramentorum; ut diximus dissserentes de Justificatione libro XIX. cap. 6. & 7. Proxima oppositio nullius est roboris; non enim omnia, quæ sunt ejusdem speciei, pollent eadem energia, uti constat ex calore remisso, atque intenso.

25. Octavæ, nonæ, & decimæ.

Ad octavam dico, hac de causa confugiendum ad Sacramenta, quæ gratiam supra dispositionem suscipientium producunt, ut quiescat anxietas & perturbatio animorum. Si vero Sacramenta nequeant ministrari, admitendum, ut doloris acerbitas æquari possit cum magnitudine scelerum: quod ait Catechismus Romanus, ac tradiderunt Cyprianus de lapsis, Augustinus cap. 65. Enchiridii, aliique Patres. Nona, quæ est cavillatio cujusdam Augustiniani à patria institutione degeneris, extruditur hac veteri urbanitate: Igitur charitas actualis justificat actualiter *justitia actus*, concedo; *justitia habitus*, nego. Ad postremam respondemus cum Christiano Lupo in hac dissertat. pag. 544. Opusc. veteris editionis, in *mortis* casu votum Sacramenti eundem ac Sacramentum ipsum conferre effectum; tunc enim Sacramenti susceptionem, ut inquit Innocentius III. lib. 3. decret. tit. 43. cap. 2. *non contemptus Religionis, sed terminus necessitatis excludit*, quæ verba deprompta sunt ex Augustino lib. IV. de Baptismo cap. 22. num. 29. Amplectimur hanc sententiam, quod videatur consona Patribus, & Ecclesiæ definitionibus ibidem productis à Lupo; ex quibus apparet commendandam in orationibus atque oblationibus memoriam Catechumenorum, qui morte præventi non potuerunt sacro lavacro regenerari. Ad memoriam tamen revoco, quæ idem sapientissimus Auctor subjicit pag. 548. ex Epistola nonagesima prima sancti Leonis Magni: *Non necesse est nos eorum, qui sic obierint, merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit, ita potestatem suam timeri volens, ut hic error omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum autem utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur.* Utilissimo hoc monito extrema persequor.

26. Ultimò adhuc pauca objiciuntur ex efficacia Sacramenti, & numero contradicentium.

Adversus tandem sententiam nostram quædam minoris momenti objiciuntur, quorum aliqua petuntur ex efficacia Sacramenti, aliqua vero ex oppositæ sententiæ celebritate. Quorum primum est, Pœnitentiam esse *sacramentum mortuorum*, ideoque produci vi illius gratiam sanctificantem in pœnitentibus, quamvis nullo charitatis actu vivificentur. Cum insuper Sacramenta novæ legis gratiam conferant efficientia sua, & *ex opere operato*, dummodo non inveniant obicem in subjecto; dicendum est efficacitate Pœnitentiæ gratiam tribui accedentibus cum timore servili, quoniam idem timor non est impedimentum ad gratiam, sed dispositio. Insuper si amor Dei propter se necessarius esset ad justificationem in lege nova, nullam haberet hæc lex dignitatem supra legem veterem, in qua non erat reconciliationis Sacramentum, & nihilominus impii se ad Deum toto animo convertentes contrahebant pristinam cum illo amicitiam. Præter hæc autem sententia, quæ defendit sufficientiam attritionis servilis, habet patronos innumeros

meros cujuscunque ordinis, doctissimos ac celeberrimos: est autem in moralibus validum argumentum plurimorum consensio. Deinde Alexander VII. in decreto suo anni 1667. de sententia negante necessitatem aliqualis dilectionis in attritione ex metu gehennæ concepta, *Quæ hodie* (inquit) *inter Scholasticos communior videtur.* Conformatur denique eadem sententia communi praxi, & multum confert ad animarum tranquillitatem, fovendamque spem veniæ; cum opposita pauciorum sit, asperior, & altrix pavoris atque anxitudinis. Atque hæc sunt argumenta, quæ adversarii postrema incursione naviter intentant.

27. Quibus suo ordine satisfit.

Respondent ad 1. nonnulli cum Juenin in Comment. de Sacr. pag. edit. Lugdun. 550. Pœnitentiam dici *Sacramentum mortuorum*, etiamsi administretur justis, aut impiis charitate flagrantibus, affectisque dolore acerbissimo; necnon tali nomine fore Sacramentum hoc designandum, quamvis esset vera antiquiorum quorumdam opinio adstruentium necessitatem charitatis *habitualis:* de qua opinione dictum supra. Verum hisce in casibus Pœnitentia eâ nomenclaturâ potiretur, non quod actu *mortuum* vivificaret, sed quia vivificare posset, aut vivificasset reipsa præcedens in voto; nec responsio ista locum habet in communiori, & à nobis etiam recepta sententia, propugnante Sacramentum istud vere nondum justificatis vitam spiritalem, remissionem peccatorum, & gratiam primam conferre. Dicendum ergo, Pœnitentiam esse Sacramentum mortuorum, quia confertur non habentibus *vivificationem* & gratiam inhærentem, quæ diffunditur per Spiritum sanctum inhabitantem, licet habeant *vivificationem illam* & gratiam actualem, quæ excitatur per Spiritum sanctum moventem; qua si destituti essent, non solum non possent diligere, ut oportet, ad hoc ut justificationis gratiam consequantur, verum etiam nec credere, nec sperare, nec agere pœnitentiam, ut docet fides Catholica, & definit Synodus Tridentina. In altero autem argumento immorandum non est, cum ex dictis appareat timorem servilem non esse quidem impedimentum ad gratiam, posse tamen cum impedimento ad gratiam simul consistere, scilicet cum voluntate peccandi, quatenus peccatum est Dei offensa. Ad tertium abunde sufficiunt quæ volumine IV. pag. 68. scripsi de suavitate legis Evangelicæ, & quæ ad consimilem objectionem respondi eodem volumine pag. 188. Ibi enim ostendi nullum esse facilius & dulcius præceptum illo, quo nobis præcipitur dilectio Dei; dilectionem ipsam Christianæ legis esse notam & characterem; nonnisi iis, qui non diligunt, difficilia esse mandata Dei; atque, ut ait Augustinus in locis ibidem laudatis, laborem non esse ubi est charitas, charitate omnia reddi facilia, atque duo charitatis præcepta non esse pondus onerati, sed alas geminas volaturi. Innumera etiam nos ad Dei amorem invitant, atque illud maximum divinæ erga nos charitatis argumentum, quod, cum inimici essemus, Unigenitum suum pro nobis tradidit hominem factum, & crucifixum. Nunc vero cum à nobis veniam petentibus amorem exigat, atque ipse amore præveniat, amorem inspiret, ad amorem provocet, graveid, atque asperum existimabimus? At *jugum suave*, & *onus leve* appellat Dominus amantissimus. Hæc cum ita sint, recens quidam Theologus (Witassium dico pag. 217.) recte existimavit objectionem, in qua versamur, admiratione dignam esse, non responsione.„ Hoc inquit, piis auribus intolerandum est, quod Theologi reperti fuerint in eo novæ legis supra veterem excellentiam collocantes: quod adeo nostræ religionis decus non est, ut etiam hominis opprobrium sit. Non ita profecto à majoribus instituti sumus. Itane vero quanto majoribus à Deo cumulati sumus beneficiis, tanto minus eum diligere tenebimur? Absit à nobis tam turpe privilegium; commentitiam illam de non amando Deo prærogativam abdicemus„. At ne videar eludere oppositum argumentum oratoria declamatione; respondeo insuper contritionem, quæ sine Sacramento dimittit peccata, esse vehementem, & acrem, atque tam intensam, ut doloris acerbitas conferri possit cum scelerum magnitudine, ut docet nos Catechismus Romanus de Pœnit. n. 36. Talis ergo contritio necessaria erat in lege veteri, in qua pœnitentium unus ajebat, *Rugiebam à gemitu cordis mei, Cinerem tanquam panem manducabam, Lavabo per singulas noctes lectum meum*, atque alia plura vehementissime dolentis indicia. At hoc præstat nobis institutum à Christo Sacramentum; ut, etiamsi non maceremur tanta acerbitate doloris, justificemur tamen, atque de hoc etiam certiores reddamur sacrorum ministrorum absolutione. Quamobrem Catechismus magna illa contritione descripta, *At quoniam*, inquit, *pauci admodum ad hunc gradum cum pervenirent, fiebat*

fiebat etiam, ut à paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset; quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret: quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves regni cœlorum Ecclesiæ tradidit. Hoc itaque est nostrum in lege Evangelica commodum, atque emolumentum.

28. Satisfaciendo pergitur.

Auctores ac patroni sententiæ oppositæ, quamquam sunt innumeri, fatentur sententiam suam non esse indubitatam, & nonnulli scribunt ignotam fuisse majoribus, plurimi tenendam negant in mortis articulo, quidam etiam monent in praxi abjiciendam; ideoque frustra nobis illorum auctorum opponitur multitudo. Audiamus unum ex recentioribus, Franciscum Hennum, qui postea quam pro attritione servili pugnavit acerrime, disput. XIV. de Pœnit. art. 9. fatetur, quod non videatur prudenter agere qui sententiam illam teneat in praxi: „ Primò ob numerum & gravitatem contradicentium. Secundò ob eorum rationes non spernendas, tum ex Augustino, tum ex aliis Patribus, tum ex antiquis Theologis, tum etiam ex Tridentino desumptas. Tertiò, quia authoritati, quam ex Tridentino desumpserat sententia nostra, non parum detraxit Tridentina Pallavicini Historia ex Actis originalibus ejusdem Concilii desumpta, ubi asserit per expulsionem harum particularum, *Verum etiam sufficere*, nempe attritionem, *ad hujus Sacramenti constitutionem*, nihil voluisse circa materiam hìc agitatam decidere. Quartò, quia ante Tridentinum vix, aut ne vix reperiebantur auctores, qui in terminis dicebant sufficere attritionem sine aliquo Dei amore benevolo. Quintò, quia etiam præcipui sententiæ nostræ patroni nolunt eam saltem in articulo mortis practicandam, *ob grave*, ut ajunt, *damnationis periculum:* si grave periculum; ergo non tanta certitudo. „ Hæc ille tom. 2. pag. edit. Venetæ 420. Ita adversarii suamet evertunt machinamenta. Quod addunt ex Alexandro VII. nihil optamus magis, quam ut ejus decretum sancte ac religiose servetur: cæterum Pontifex dum *communiorem* dixit sententiam de sufficientia attritionis servilis, consultò addidit adverbium temporis *Hodie*, ne quis existimaret in illa extitisse majores nostros: appositè quoque usus est verbo *Videtur*, non enim omnes, qui tenent attritionis sufficientiam, de *servili* loquuntur; sed plures illam à contritione distinguunt ratione graduum: complures alii de *servili* pertractantes eo sensu ajunt sufficere, quatenus accedentibus ad Sacramentum supervenit timori actus aliquis charitatis. Hi autem *videntur* utique tradere attritionis servilis sufficientiam: sed non tradunt. Nec aliquid modo asserimus, quod non fuerit in hac dissertatione evidentissime comprobatum. Praxim deinde nobis objiciunt: at quam praxim? Pœnitentiumne? Puto neminem esse adeo ingratum offerenti Deo veniam, qui non curet excitare in se scintillulam charitatis: atque si hujus generis sit aliquis, eum justificari nimium confidenter asseritur. Intelligis vero praxim Confessariorum? Et hos arbitror dare operam, ut pœnitentem hortentur ad Deum diligendum: siquidem Dominicus Soto, quamvis pugnet pro attritione, in IV. tamen dist. 18. art. 2. *Revera*, inquit, *eum, qui mihi diceret non se pœnitere propter Deum, absolvere non auderem.* Cæteri si audeant, *timendum*, ait Hieronymus Harts pag. 77. *ne in illis verissimum sit axioma, Sacramentum conferimus, non securitatem.* Quæ demum dicta sunt de sententiæ nostræ asperitate, ultro fatebimur talem videri non habentibus charitatem; siquidem rectissime ajebat Augustinus Tract. IX. in Epist. Joan. num. 1. *Ubi charitas non est, amarus exactor est.* Utrum vero sententia hæc nostra pariat animorum anxietatem, an pacem, experiri quisque poterit, modò, ut ipsius Augustini utar phrasi, ambulare studeat *in latitudine amoris, non in timoris angustiis.* Vide S. P. serm. XI. in Psalmum 118. num. 1. Sed jam ad amplissimæ hujus quæstionis, & ad septimi voluminis finem perveni: nec aliud addam, nisi quæ dulcissimus Parens scribit Tract. VIII. in Epist. Joan. num. 11. *Hæc dixi, Fratres, & longiuscule: tamen quia vehementius commendanda fuit charitati vestræ charitas ipsa, ideo commendanda sic erat. Si enim charitas nulla est in vobis, nihil diximus. Si autem est in vobis, tanquam oleum in flammas adjecimus: & in quo non erat, forte verbis accensa est.*

29. Conclusio.

Explicit Volumen septimum.

SEPTIMI

SEPTIMI VOLUMINIS
PROPOSITIONES.

I. *Confirmationem*, quamvis hoc, aliisque vocabulis, quibus explicari solet à rerum divinarum Tractatoribus, non semper eadem res designetur, 4

II. Esse verum, propriumque Sacramentum novæ legis demonstratur divinarum Scripturarum auctoritate, 8

III. Atque perpetua, & exploratissima Traditione. 12

IV. Institutum fuisse idem Sacramentum à Christo Domino certissima fide tenendum est: 19

V. Et quamquam tempus hujus institutionis non sit omnino compertum, probabilius existimatur id contigisse post Domini resurrectionem. 20

VI. Materia autem *essentialis* sacrosancti hujus mysterii non solum est impositio manuum sacrorum Antistitum, 23

VII. Verum etiam *Chrismatis* unctio; 25

VIII. Adeo, ut in utroque, impositione scilicet manuum & Chrismate, constitui debeat materia adæquata *Confirmationis*. 26

IX. Utrum vero fidei sit dogma, quod unctio pertineat ad Sacramenti hujus *essentiam*, relinquitur Scholasticorum disputationi. 32

X. Quod attinet ad Chrisma; ad hoc conficiendum necessario primum requiritur oleum ex olivis expressum; 33

XI. Deinde permixtio balsami, 34

XII. Non tamen necessariæ sunt omnes illæ fragrantium rerum species, quas adhibent Græci. ibid.

XIII. Mixtionem illam balsami quidam necessariam putant necessitate præcepti, quidam necessitate etiam Sacramenti: istis autem arbitramur esse adnærendum. 35

XIV. Præterea debet Chrisma consecrari ab Episcopo, ad quem duntaxat, jure saltem ordinario, pertinet hæc consecratio; sed utrum consecratio ipsa necessaria sit ad Sacramenti *essentiam*, nos inter discrepantia Theologorum placita nolumus definire. 37

XV. Ut nunc dicamus de *forma*; hæc non est, ut censent permulti, oratio Episcopi præcedens unctionem Chrismatis; 41

XVI. Sed sunt verba inunctionem illam comitantia, videlicet, *Signo te, &c.* 43

XVII. Quæ utique verba apud Latinos varias subierunt mutationes; sed accidentarias duntaxat, nec immutantes significationis substantiam. ibid.

XVIII. At Græci utuntur hac formula, Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, valida itidem & perantiqua. 44

XIX. Soli Episcopi sunt sacramenti Confirmationis *ordinarii* Ministri. 47

XX. Tametsi ex dispensatione, sive *extraordinaria* facultate, possit à simplici Sacerdote conferri. 52

XXI. Verum ut simplex presbyter valide confirmet, requiritur in Ecclesia Occidentali delegatio summi Pontificis; & in Orientali consuetudo universim recepta, quam idem Romanus Pontifex aut approbet, aut saltem permittat. 60

XXII. Idonei sunt ad hoc Sacramentum suscipiendum quicunque sunt initiati baptismate; 63

XXIII. Homines etiam infantilis ætatis, ac parvuli: ibid.

XXIV. Licet consultius expectetur in confirmandis usus rationis: 64

XXV. Cæterum etiam ægroti, amentes, & energumeni, dummodo quædam regulæ serventur, sunt ab Episcopis consignandi. ibid.

XXVI. Adulti, qui sibimet conscii sunt mortalis culpæ, debent Confirmationi

tioni præmittere Confessionem Sacramentalem. 65
XXVII. Oportet insuper, ut insistant orationibus, ac sint jejuni. 66
XXVIII. Quamvis autem hoc Sacramentum non sit necessarium *necessitate medii* ad salutem: 68
XXIX. Necessarium est tamen *necessitate præcepti*, sive in re, sive in voto, iis omnibus, qui vel coram tyranno fidem profiteri debent, vel adversus eandem fidem crebris gravibusque tentationibus exagitantur. ibid.
XXX. Reliqui pariter, qui hoc saluberrimum Sacramentum contemnunt, peccant *mortaliter*. 69
XXXI. At qu nam contempsisse dicendi sunt? Arbitror non eos tantùm, qui illud spernunt tanquam inutilem ceremoniam, quod redolet crimen hæresis & sacrilegii, sed etiam, qui nullo legitimo impedimento detenti, Episcopo præsente & hortante, negligunt consignari. 70
XXXII. Debent igitur ad Confirmationem accedere, qui provocantur ad negandam Christianam fidem: qui commorantur inter hæreticos: qui tentationibus fidei deserendæ percelluntur: qui prima tonsura sunt initiandi, & fortasse etiam, qui religiosam professionem emittunt; & denique omnes, qui parato Episcopo possunt ab eo confirmari. 71
XXXIII. Prior ejusdem Confirmationis effectus *est gratia sanctificans*. 72
XXXIV. Quæ baptizatis confert gratiæ perfectionem, robur ac firmitatem: 73
XXXV. Atque hæc gratia differt à gratia per baptismum collata, eâque perfectior est, non *absolute*, sed tantum comparative. 74
XXXVI. Hæreticis resipiscentibus Sacramentum Confirmationis non confert absque pœnitentia, vel contritione, primam gratiam; quidquid affirmet Morinus. 75
XXXVII. Effectus alter hujus Sacramenti est *character*, ideoque Confirmatio iterari non potest. 76
XXXVIII. Ritus itaque, quo hæretici olim recipiebantur in Ecclesiam, non erat repetitio sacramenti Confirmationis: 77
XXXIX. Neque Cyprianus, aut Augustinus ullibi affirmavere, recipiendos esse repetito hoc Sacramento venientes ab hæresi. 81
XL. Statuenda est inter characterem Baptismi, & characterem Confirmationis aliqua *connotativa* distinctio. 84
XLI. In Chrismatis consecratione recte observantur ritus omnes à Romana Ecclesia præscripti. ibid.
XLII. Recte quoque in Confirmatione adhibentur patrini: 86
XLIII. Item inunctio frontis, 88
XLIV. Quæ ex vetusta consuetudine liganda est linea vitta. 89
XLV. Probanda postremò ceremonia, qua confirmandus leviter cæditur alapâ. ibid.
XLVI. Sequitur Sacramentum *Eucharistiæ*; quod situm est invisibili *specie* elementorum, & invisibili Domini nostri carne, & sanguine, non autem in sola symbolorum consecratione, aut sumptione. 92
XLVII. De hujus Sacramenti institutione differentes principio ostendimus immolatum olim fuisse *Pascha* Judaicum in mense Nisan luna xiv. exeunte. 96
XLVIII. Affirmamus deinde, tempore Christi Domini non fuisse in usu apud Judæos duplicem Neomeniam. 99
XLIX. Illud etiam statuimus, Christum pridie, quàm pateretur, *Legale Pascha* cum Discipulis suis manducasse. 100
L. Præterea asserimus, celebratum eadem die *Pascha* typicum à Judæis, 103
LI. Nullumque istorum anno Christi emortuali solemnitatem azymorum in diem proximam distulisse. 104
LII. Cum his assertionibus minimè pugnat textus aliquis Evangelicæ Historiæ; 107
LIII. Nec quod Scaliger, aliique objiciunt de Festo Pentecostes; de quo examinantur varia Scriptorum placita. 111
LIV. Ad hæc demonstramus Dominum Jesum in suprema Cœna observasse *legalis Paschatis* ceremonias. 114
LV. Ex quibus omnibus inferimus, Eucharistiam fuisse institutam in Azymo, idque à Græcis perperam denegari. 117
LVI. Viguit autem in Romana Ecclesia ab Apostolorum ætate ad hanc usque perpetuus azymi usus; 119
LVII. Eratque Eucharistia in pane azymo consecrata *Fermentum* illud, quod olim in Ecclesia Romana dirigebatur ad *Titulos*. 122
LVIII. Panes azymi in Eucharistiam con-

consecrandi debent esse exiles, & figura rotundi. 124
LIX. Fatemur quidem usum Fermentati obtinuisse apud Græcos ante exortum Schisma Photianum, 125
LX. Atque tam in azymo pane, quam in fermentato valide confici Eucharistiam; 126
LXI. Est enim sacramenti Eucharistiæ *materia* panis triticeus, 127
Cujus loco nequit materia alia substitui; 128
LXII. Quamvis idem triticeus panis validè consecretur, cujusvis quantitatis sit, modò sit præsens atque sensibilis. 130
LXIII. Verùm imperite quidam Græcorum vitio vertunt Romanæ Ecclesiæ, quod consecret azymum; 131
LXIV. Nam si ratione pugnandum foret, facile Latini commonstrare possent majorem sui ritus convenientiam. ibid.
LXV. Falluntur, qui censent Græcis apud Latinos commorantibus, aut peregrinantibus fas esse consecrare azymum, & econtra Latinis apud Græcos fermentatum. 132
LXVI. Est præter panem *materia* divinæ Eucharistiæ vinum, nec hujus loco substitui potest aqua, sive alius liquor; etiamsi communi usu deserviat ad potum. 133
LXVII. Vino consecrando modicum naturalis aquæ ex perantiquâ traditione, & Ecclesiæ præcepto debet infundi: 134
LXVIII. Hujusmodi tamen commixtio non est de necessitate Sacramenti. 138
LXIX. Aqua ipsa vino permixta convertitur in Christi sanguinem, 140
LXX. *Immediate*, ut probabilius existimamus. 141
LXXI. Devenientes ad pertractandum de *forma* Eucharistiæ, dicimus Christum in illius institutione usum fuisse verbis: 145
LXXII. Hoc tamen nullo Ecclesiæ decreto esse apertissime definitum. 146
LXXIII. Sanè verbis consecrant Sacerdotes, & quidem Dominicis, non precibus, quæ ante, vel post in Liturgiis recitantur. ibid.
LXXIV. Eadem consecrationis verba sunt hæc duntaxat, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est calix sanguinis mei*, aut, *Hic est sanguis meus*: quamvis omne studium sit adhibendum, ne cætera prætermittantur. 151
LXXV. Melius est proferre hæc verba submissâ voce, quam elatâ. 155
LXXVI. Vere in Eucharistia contineri corpus, & sanguinem Domini N. J. C. profitentur catholici, innixi sacrarum literarum auctoritati. 158
LXXVII. Confirmant eandem veritatem sacrosancta Concilia, 161
LXXVIII. Perpetua sanctorum Patrum traditio; ibid.
LXXIX. Momenta, quibus ab iisdem Patribus confutatæ sunt plures hæreses. 164
LXXX. Exempla, quibus Majores nostri fidem huic mysterio concilia-runt; 165
LXXXI. Miracula à Deo patrata in hujus veritatis confirmationem, 166
LXXXII. Ipsi denique Catholicæ fidei adversarii. 167
LXXXIII. Facillimum est refutare omnes hæreticorum objectiones, si attendantur decem regulæ a nobis traditæ & explicatæ. 172
LXXXIV. Singulas nihilominus objectiones ipsas expendimus. 178
LXXXV. Impugnatur quoque evidentissimè asserta ab hæreticis *Consubstantiatio*, sive *Impanatio*. 190
LXXXVI. Haud invicte probatur extitisse hæresim *Stercoranistarum*: quæ tamen, si fuit aliquando, facile refellitur & confutatur. 199
LXXXVII. Ex reali corporis & sanguinis Domini J. C. præsentiâ sub symbolis Eucharisticis, infertur primum ipsi Domino in Eucharistia existenti Latriæ cultum esse exhibendum; 203
LXXXVIII. In templis itidem religiosè ac diligenter ipsam Eucharistiam asservandam; 204
LXXXIX. Optimo consilio solemne festum sacratissimi Corporis Christi fuisse institutum, 206
XC. Et cum eodem solemni festo *Processionem*, in qua sacratissima Eucharistia circumfertur, 208
XCI. Rursus hanc religiosissime exponi, & circumgestari aliis quoque temporibus, modò præceptiones quædam serventur. 209
XCII. At nulli fas est deferre in itineribus Eucharistiam appensam collo, tametsi Romanis Pontificibus iter agentibus præferri queat pompa, & comitatu decenti. 211
XCIII. Eucharistiam consecrare & conficere ad solos attinet Sacerdotes: 212
XCIV. At aliquando illam dispensarunt etiam Diaconi, præsertim sub *specie* vini,

vini, Antistitum tamen jussu, & delegatione. 216
XCV. Non est Eucharistia ita ad salutem omnibus necessaria, ut nemo prorsus possit sine ipsa salutem consequi; 217
XCVI. Licèt manducare corpus Christi mystico sensu, quatenus idem est, ac Ecclesiæ copulari, sit omnino aut in re, aut saltem in voto, de necessitate salutis: 219
XCVII. Atque de communione hac mystica, non de sacramentali, sermonem instituebat Augustinus, quando etiam parvulis necessariam asserebat corporis & sanguinis Domini communionem. 220
CXVIII. Tenentur tamen præcepto divino ad communionem sacramentalem adulti, 221
XCIX. Et præcepto Ecclesiastico semel saltem in anno, recurrente solemnitate Paschali: ibid.
C. Quod Ecclesiæ præceptum adimpleri nequit communione sacrilega. 222
CI. Neque divinum præceptum, neque salutis necessitas exigit, ut laici sub utraque *specie* communicent; 226
CII. In Ecclesia enim Occidentali, etiam ante XII. sæculum, Eucharistia frequentissimè sumebatur sub unica *specie* panis, 227
CIII. Obtinuitque aliquando in Orientali Ecclesia idem usus. 228
CIV. Revera sub utraque *specie* continetur totus, & integer Christus; 229
CV. Eademque gratia confertur communicanti sub unica tantum *specie*, ac conferatur utramque *speciem* sumenti. ibid.
CVI. Quapropter, id posteriorum temporum conditione exigente, usus calicis jure optimo non Sacerdotibus sublatus est: 230
CVII. Nec expedit, ut iterum permittatur. 231
CVIII. Deneganda est Sacramentalis communio publicis peccatoribus, 235
CIX. Pueris itidem, & iis, qui nunquam habuerunt usum rationis. 237
CX. Quibusdam pariter, at non omnibus Energumenis: ibid.
CXI. Non autem supplicio afficiendis extremo; 238
CXII. Sive pœnitentibus in mortis articulo constitutis. 239
CXIII. Nulla autem ratione ori defunctorum est ingerenda. 240
CXIV. Inter dispositiones, quæ requiruntur ad communionem sacramentalem, connumerantur ex parte corporis jejunium, carnis mundities, cultusque præferens honestatem: 242
CXV. Ex parte autem animi status gratiæ, & fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum exercitatio. 243
CXVI. Commendamus frequentem communionem, si circa illam Patrum, & probatissimorum virorum documenta serventur. 244
CXVII. Annotatione denique digna sunt quæ attinent ad ritus communionis Sacramentalis, videlicet, fractio panis, distributio, verborum formula, aliaque id genus; 246
CXVIII. Et quantum spectat ad tempus, etiam post missam, & in Agenda defunctorum, potest Eucharistiæ Sacramentum administrari. 249
CXIX. Non caret mystica significatione peculiaris ille ritus, quo communionem percipit Romanus Pontifex, quando Divinis solemniter operatur. 250
CXX. Ut modo in iis, quæ ad Sacrificium pertinent, refutemus hæreticos; affirmamus Christum, quando Eucharistiam instituit, obtulisse in ea verum sacrificium, atque præcepisse etiam Apostolis, ut illud in sui commemorationem offerrent. 251
CXXI. Sacrificium autem istud, quod Christus instituit, & in Ecclesia offerendum præcepit, non est sacrificium impropriè acceptum, atque ut contendunt hæretici, sola Dominici corporis distributio, & communio, sed vera oblatio habens proprii sacrificii rationem. 253
CXXII. Neque est tantummodo sacrificium *Eucharisticum* & *Latreuticum*, verum etiam est sacrificium *Propitiatorium*, atque *Impetratorium*: 261
CXXIII. Ideoque jure, meritoque offertur tam pro viventibus, quàm pro iis, qui cum pietate defuncti sunt: 262
CXXIV. Pro damnatis verò, aut pro sanctis in cœlo regnantibus nequit hoc sacrificium offerri tanquam *propitiatorium*; pro iis tamen, nempe Sanctis, ob alias causas rite peragitur. 264
CXXV. *Missæ*, quæ dicuntur privatæ, nullo Theologico argumento demonstrari possunt illicitæ: 265
CXXVI. Quare impie, & sacrilege hæretici unam tantum *Missam* communem, reprobatis cæteris, commendant & prædicant, 267
CXXVII. Frustra, audacterque calumniantes multitudinem *Missarum* fuisse pravo fine introductam. ibid.

CXXVIII. De quæstione nuper nata, an Sacerdos privatim celebrans teneatur Eucharistiam laicis petentibus distribuere, observandæ sunt Apostolicæ literæ *S. D. N. BENEDICTI XIV.* 270

CXXIX. Plura sunt vocabula, quibus Latini, & Græci sacrificium *Missæ* designant. 272

CXXX. Varia sunt etiam *Missarum* genera, de quibus singulis nonnulla differimus, 273

CXXXI. Sicuti & de loco ad celebrandum idoneo. 275

CXXXII. Multiplex ratio suadet, ut loca pro sacrificio peragendo, & pro fidelium conventibus erecta, Deo Episcopali consecratione dicentur, 276

CXXXIII. Et, si aliquando polluta sint, purgentur juxta præscriptionem sacrorum canonum. 277

CXXXIV. Attinent præterea ad Missæ sacrificium altaria, horumque consecratio, & ornatus. 279

CXXXV. Sacris insuper indumentis peragentes sacrum uti debent, 282

CXXXVI. Necnon paratis hujus rei causâ instrumentis. 283

CXXXVII. Opportunum deinde Sacrificii tempus attendendum est: 285

CXXXVIII. Itemque cavendum, ne plures *Missæ* ab eodem Sacerdote eodem die celebrentur. ibid.

CXXXIX. Denique congruum est, ut explicetur quid in præcipius Liturgiæ partibus lateat mysterii. 286

CXL. Ut jam de Sacramento *Pœnitentiæ* incipiamus disserere; plura sunt ipsius Pœnitentiæ vocabula, quibus perperam contendunt hæretici significari solam resipiscentiam, seu melioris vitæ propositum. 290

CXLI. Duobus igitur modis accipitur nomen hoc, *Pœnitentia*; & juxta priorem est virtus vera, divinitus inspirata, & distincta à Sacramento, de quo pertractamus: 291

CXLII. Considerata autem juxta rationem alteram Pœnitentia est verum, ac proprium novæ legis Sacramentum, 295

CXLIII. Et quidem diversum à Sacramento Baptismi. 298

CXLIV. Institutum fuit à Christo Domino; 302

CXLV. Atque post baptismum lapsis necessarium est ad salutem. 303

CXLVI. Nullum, quantumvis grave, datur peccatum, quod nequeat per Pœnitentiam expiari, & ab Ecclesia remitti. 304

CXLVII. Partes Pœnitentiæ non sunt terrores incussi, & fides, ut volunt hæretici; sed Contritio, Confessio, & Satisfactio, quemadmodum docent Catholici. 313

CXLVIII. Ad *Contritionem* requiritur odium, & detestatio peccati, melioris vitæ propositum, necnon ut interna sit, vera, supernaturalis, atque ut ad omnia patrata scelera sese extendat. 316

CXLIX. Sententia propugnans necessitatem *amoris initialis* ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, nullâ potest censurâ notari; 320

CL. Etenim è diametro opponitur doctrinæ hæreticorum à sacrosancto Tridentino Concilio proscriptæ: 321

CLI. Quidquid etiam reponere possunt patroni *attritionis servilis* objicientibus illorum sententiam in ipsa Tridentina Synodo anathema subiisse, id sententiam quoque nostram catholicam, & directè hæreticis oppositam esse declarat. 323

CLII. Cæterum Tridentinum Concilium nequaquam definivit attritionem ab amore initiali sejunctam ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam *sufficienter* disponere; 324

CLIII. Sed videtur potius nostra de necessitate amoris *initialis* sententia ejusdem Tridentini Concilii definitionibus omnino conformis. 327

CLIV. Est præterea sententia ipsa literarum sanctarum auctoritati, 330

CLV. Necnon Patrum doctrinæ, atque traditioni cohærens. 333

CLVI. Validè insuper propugnatur argumentationibus Theologicis: 337

CLVII. Neque evertitur, sed corroboratur magno illo numero Theologorum, quorum permulti sententiam oppositam tradiderunt. 342

CLVIII. Amor autem ille, de quo disputatum est, esse debet amor charitatis, non autem solius spei. 344

CLIX. Hæc tandem nostra sententia nullo contrario argumento, (sive petatur ex Tridentina Synodo, sive ex virtute timoris, sive ex charitatis præstantia, sive ex efficacitate Sacramenti, sive ex numero contradicentium) subvertitur, aut infirmatur. 346

INDEX

INDEX II.

RERUM, ET MATERIARUM.

IN

SEPTIMO HOC LIBRO CONTENTARUM.

NB. *Numerus primus ſub littera* P. *denotat paginam : Alter ſub littera* N. *numerum marginalem ſignificat.*

A.

Aaronicus: etſi Sacrificium Crucis in Miſſa iteretur, differt tamen teſtamentum novum â veteri, & Sacrificium noſtrum â Sacrificio Aaronico. p. 259. n. 20.

Abbas: jure ordinario Abbas nequit confirmare, aut Calicem conſecrare. p. 58. n. 17. & 18.

Abrahamus: ſicut circumciſio eſt ſignum pacti Abrahami cum Deo initi: ita Euchariſtia eſt ſignum teſtamenti novi. p. 178. n. 17.

Abſolvo: Waldenſes, Wiclefitæ, & Huſſitæ ajunt, Sacerdotem peccatorem non habere poteſtatem abſolvendi. p. 293. n. 1.

Abſolutio: Lutherus & Melanchthon negant abſolutionem Sacerdotis eſſe actum judicialem. p. 294. n. 2. actus pœnitentis contritio, confeſſio, & ſatisfactio ſunt quaſi materia pœnitentiæ. p. 313. n. 1. Lutherani duas pœnitentiæ partes conſtituunt terrorem conſcientiæ incuſſum ex agnitione peccati, & fidem conceptam ex Evangelio, ſeu abſolutione, qua quis credit, ſibi remiſſa eſſe peccata. p. 313. n. 1. Catholicorum aliqui tenent, Sacramento pœnitentiæ præmittendam eſſe contritionem perfectam, quæ procedit ex charitate perfecta, & delet peccati culpam apud Deum ita, ut abſolutio ſolùm deleat pœnam. p. 319. n. 4.

Accidens: juxta Scotiſtas Euchariſtiæ Sacramentum accidentia ſeu ſpecies vocantur & ſunt. p. 92. n. 3. Thomiſtæ dicunt, Sacramentum Euchariſtiæ eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, ut continentur ſub accidentibus. p. 93. n. 4. Berti dicit, Euchariſtiæ Sacramentum conſiſtere in accidentibus, & inviſibili Domini noſtri corpore & ſanguine. p. 93. n. 5. neutrum tamen Sacramentum eſſe, ſi ſeparetur ab altero. ibid. de accidentibus ſine ſubſtantia in Euchariſtia manentibus. p. 187. n. 22. Domino Jeſu Chriſto in Euchariſtia exiſtenti latriæ cultus eſt exhibendus. p. 202. n. 1. & ſeq. quomodo intelligendum illud: *adorate ſcabellum pedum ejus?* p. 203. n. 4. probatur contra Verinum, Patres dicere, Chriſtum adorandum in Euchariſtia cultu latriæ proprie tali? p. 203. n. 5. adoratio in Euchariſtia non fit accidentibus panis, & vini. p. 204. n. 8. Chriſtus in Euchariſtia eſt præſens, quamdiu durant accidentia, & non in ſolo uſu, aut actione Cœnæ. p. 204. n. 9. Euchariſtiæ accidentia non longo tempore ſervantur. p. 206. n. 13. vid. *ſpecies.*

Acetum: Theodorus Mopſueſtenus damnatur à Synodo. V. quia negat, locum illum Pſalm: *dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto*, eſſe intelligendum de Chriſto. p. 185. n. 21.

Actus an Eccleſia poſſit præcipere internos? & quales? p. 223. n. 16. & 17.

Adoratio: hæretici culpant ſalutationem, quæ fit. S. Chriſmati in feria. V. hebdomadæ Majoris

Majoris ab Episcopo, & Sacerdotibus. p. 84. n. 2. hæc salutatio est cæremonia vetustissima, minimè adoratio absoluta. p. 84. n. 2. ostenditur, quòd salutatio etiam possit fieri rei inanimatæ *ibid.* Domino Jesu Christo in Eucharistia existenti latriæ cultus est exhibendus. p. 202. n. 1. & seq. quomodo intelligendum illud: *adorate scabellum pedum ejus?* p. 203. n. 4. probatur contra Verinum, Patres dicere, Christum adorandum in Eucharistia cultu latriæ propriè tali. p. 203. n. 5. adoratio in Eucharistia non fit accidentibus panis & vini. p. 204. n. 8.

S. Gregorius M. cur Gregorius M. formam confirmationis non memoret? p. 44. n. 8. & 9. Græcorum formula, & quidem valida eſt: *Signaculum doni Spiritûs S.* p. 44. n. 10. præter Epiſcopum etiam ſimplex Sacerdos poteſt ex diſpenſatione extraordinaria conferre Sacramentum confirmationis. p. 52. n. 12. & ſeq. id probatur ex Concilio Florentino contra Herminier. *ibid.* item ex Tridentino, & S. Gregorio M. *ibid.* qualem formam confirmationis præſcribant Gregorius M. Miſſale Romanorum Ambroſii, Indorum? p. 144. n. 2.

Gregorius XIII. conceſſit Patribus Societatis Jeſu Licentiam conferendi Confirmationem in India. p. 52. n. 12.

Guido Carmelita: quid dicendum de ejus opinione, quòd Eccleſia Armenica non recipiat Sacramentum Confirmationis? p. 17. n. 13. & 14.

H.

Hæreticus: revertens recipiebatur olim etiam per manuum impoſitionem, aut unctionem Chriſmatis. p. 5. n. 5. quinam Hæretici negent, Confirmationem eſſe Sacramentum? p. 6. n. 6. & 7. refutantur. p. 8. n. 1. & ſeq. Cyprianus non laudatur, quòd docuerit iterandum Baptiſma collatum ab hæretico. p. 17. n. 13. & 14. contra Græcos, Schiſmaticos, Waldenſes, Huſſitas, Lutherum, Kemnitium, Calvinum, Dallæum, & alios hæreticos probatur, miniſtrum ordinarium confirmationis eſſe Epiſcopum. p. 46. n. 1. hæreticis reſipiſcentibus Sacramentum confirmationis non confert abſque pœnitentia, vel contritione primam gratiam. p. 75. n. 6. Morinus in hoc contrarius refutatur. *ibid.* obex Baptiſmi, quem peccatores & Hæretici ponunt in tali caſu ſuſcipiendo Baptiſmum non tollitur per confirmationem ſine pœnitentia. p. 75. n. 6. in confirmatione imprimi characterem negant hæretici, ac Armenopolus, Nicolaus Cabeſila, & alii. p. 73. n. 2. refutantur. p. 76. n. 7. impoſitio manûs, per quam olim hæretici recipiebantur in Eccleſiam, non erat repetitio Sacramenti Confirmationis. p. 77. n. 9. Sirmondus Maldonatus, Morinus contrarium ſentientes refutantur. *ibid.* idem dic, ſi redeuntibus adhibita fuit chriſmatio. *ibid.* unitio, & manûs impoſitio non fuit confirmatoria, ſed reconciliatoria in ſignum pœnitentiæ. p. 78. n. 10. nec S. Auguſtinus, nec S. Cyprianus affirmavêre, reconciliandos venientes ab hæreſi per iteratum Sacramentum Confirmationis. p. 81. n. 13. & ſeq. an S. Cyprianus docuerit in hæreſi Baptizatos eſſe rebaptizandos? p. 82. n. 14. & 15. Hæretici culpant ſalutationem, quæ fit S. Chriſmati in feria V. hebdomadæ Majoris ab Epiſcopo & Sacerdotibus. p. 84. n. 2. hæc ſalutatio eſt ceremonia vetuſtiſſima, minimè adoratio abſoluta. p. 84. n. 2. oſtenditur, quod ſalutatio etiam poſſit fieri rei inanimatæ. *ibid.* ſententia Calvini, quòd Euchariſtiæ Sacramentum conſiſtat in ſumptione ſacramentali, eſt hæretica. p. 94. n. 6. quòd in Euchariſtia præſens ſit Sanguis & Corpus Chriſti habetur ex Concordia Patrum, quam mirantur ipſi hæretici. p. 185. n. 21. impugnatur aſſerta ab hæreticis conſubſtantiatio, ſive impanatio. p. 190. n. 1. tot. cap. X. in Euchariſtia non manet panis & vini ſubſtantia, ſed vi conſecrationis in ſubſtan-

tiam

tiam Corporis & Sanguinis Christi convertitur, adeóque admittenda est transsubstantiatio. p. 190. n. 1. tot. cap. X. solvuntur sophismata hæreticorum volentium, præceptam, & necessariam esse Communionem sub utraque specie. p. 231. n. 19. & seq. Hæretici non probant, Missam & sacrificium esse ab hominibus institutum, quia orationes, & ritus ab hominibus additi sunt. p. 256. n. 12. & 13. quòd Missa sit Sacrificium latreuticum & Eucharisticum, admittunt Novatores hæretici, sed propitiatorium, & impetratorium negant. p. 261. n. 2. hæretici negant, ad pœnitentiam requiri, ut peccata compensentur aliqua satisfactione, sed sufficere fiduciam in Christum. p. 291. n. 3. refutantur. p. 291. n. 4. hæretici tenent, ad pœnitentiam aliud non requiri, quàm melioris vitæ propositum; unde pœnitentiæ vocabulo rejecto nominant resipiscentiam. p. 291. n. 3. refutantur. p. 291. n. 4. solvuntur objectiones hæreticorum volentium è numero Sacramentorum excludere pœnitentiam. p. 297. n. 7. & 8. Sacramentum pœnitentiæ distinctum est à Baptismo. p. 298. n 9. solvuntur objectiones hæreticorum huic propositioni contrariæ. p. 299. n. 11. & seq. hæretici contritionem calumniantur, tanquam hypocrisin, quæ non præparat ad gratiam, sed magis peccatorem facit. p. 319. n. 3. hæretici rejiciunt omnem contritionem, & putant peccatum, si non procedat ex charitate perfecta expellente terrorem. p. 219. n. 3. eadem sententia propugnans necessitatem charitatis initialis ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam est è diametro distincta à doctrina hæreticorum, quæ damnata est à Tridentini Patribus. p. 321. n. 9. & 10. sententia, quòd ad pœnitentiæ Sacramentum sufficiat attritio servilis non est damnata in Tridentino. p. 323. n. 10. & 11. Missas privatas calumniantur Novatores hæretici, eásque quæstûs causâ introductas asserunt Confessionis Augustanæ compilatores. p. 265. n. 1. impiè & sacrilegè hæretici unam tantùm Missam communem reprobatis cæteris commendant. p. 267. n. 5. frustra calumniantur hæretici multitudinem Missarum pravo fine inductam. p. 267. n. 6. solvuntur objectiones hæreticorum volentium, Missam privatam sine fidelium communione non posse esse licitam. p. 268. n. 7. & 8. an Ecclesia sit polluta, si eam consecret Episcopus excommunicatus, aut si excommunicatus in ea celebret? aut si eadem ab hæreticis occupata sit? p. 278 n. 15.

Hamelmannus dixit, Communionem fieri debere sub utraque specie. p. 225. n. 2.

Heribaldus, ac Rabanus ab hæresi stercoraria eximuntur. p. 201. n. 5. & 6.

Herminier: præter Episcopum etiam simplex Sacerdos potest ex dispensatione, vel facultate extraordinaria conferre Sacramentum Confirmationis. p. 52. n. 12. & seq. id probatur ex Concilio Florentino contra Herminier. *ibid.* item ex Tridentino, & S. Gregorio M. *ibid.*

Hierarchia: an opus de Ecclesiastica Hierarchia sit partus S. Dionysii Areopagitæ? p. 17. n. 13. & 14.

S. Hieronymus: an Epistola ad Rusticum Narbonensem sit opus S. Hieronymi? p. 38. n. 10.

Hispania: extremo supplicio afficiendis olim in Hispania S. Communio negabatur, & adhuc negatur in Gallia. p. 238. n. 8. sed danda est damnatis ad mortem. p. 238. n. 9. & 10.

Historia, & pœna Communionis sacrilegæ. p. 228. n. 13.

Histrio: neganda est S. Communio histrionibus. p. 235. n. 3.

Holocaustum distinguitur ab hostia pacificorum. p. 261. n. 1.

Homo: nequit instituere Sacramentum. p. 19. n. 1. omnes homines sunt subjectum capax confirmationis, dummodo prius Baptismum receperint. p. 63. n. 1. in quo sensu omnes homines dicantur Sacerdotes? p. 213. n. 8. & 9. hæretici non probant, Missam & Sacrificium esse ab hominibus institutum, quia orationes & ritus ab hominibus additi sunt. p. 256. n. 12. & 13. pœnitentiæ Sacramentum hominibus post Baptismum lapsis ad salutem assequendam est necessarium. p. 303. n. 18.

Hordeum solus panis triticeus est Sacramenti Eucharistiæ materia. p. 127. n. 1. an panis ex zea, spelta, hordeo, siligine confectus sit materia valida Eucharistiæ? p. 128. n. 2. & 3.

Hostia: peccatori occulto publicè ad Communionem accedenti non potest dari hostia non consecrata. p. 236. n. 5. qualis in Missæ sacrificio interveniat effusio sanguinis & immolatio hostiæ? p. 260. n. 23. 24. & 25. in sacrificio distinguatur hostia, victima, immolatio, & libamen. p. 261. n. 1. Holocaustum distinguitur ab hostia pacificorum. p. 261. n. 1.

Humbertus ait, Nicetam pectoratum esse Stercoranistam, & Arium horum auctorem. p. 199. n. 2. Nicetas defenditur. p. 200. n. 3.

Hus Joannes, & alii dixerunt Communionem sub utraque specie fieri debere. p. 225. n. 2.

Hussita: contra Græcos, Schismaticos, Waldenses, Hussitas, Lutherum, Kemnitium, Calvinum, Dallæum & alios hæreticos probatur ministrum ordinarium confirmationis

nis esse Episcopum. p. 46. n. 1. Hussitæ ex perverso fine non jejuni accedentes ad Communionem damnati sunt à Concilio Constantiensi. p. 241. n. 3.

Hydroparastatæ: damnantur Aquarii, Hydroparastatæ, & Ebionæi meram aquam pro consecratione calicis adhibentes. p. 133. n. 3. eundem errorem docuerunt Encratitæ, Hydropastatæ, Marcionitæ, & Manichæi. p. 133. n. 3. Beza & Melanchthon docuerunt in defectu vini posse adhiberi alium liquorem pro consecratione calicis. p. 133. n. 3.

Hydropastata: vide *Hydroparastata*.

Hymnus: qualis fuerit dictus post Cœnam ultimam? p. 116. n. 7.

Hypocrisis: hæretici contritionem calumniantur, tanquam Hypocrisin, quæ non præparat ad gratiam, sed magis peccatorem facit. p. 319. n. 3.

I.

Jacobita: pani Eucharistico non potest admisceri oleum, ùt faciebant Jacobitæ. p. 128. n. 4. Gajanitæ, Severiani, & Jacobitæ hæretici fatentur realem præsentiam Christi in Eucharistia. p. 167. n. 14.

S. Jacobus: quænam forma consecrationis habeatur in liturgia S. Jacobi: S. Marci: S. Basilii: S. Chrysostomi: S. Cyrilli? p. 144. n. 2.

Idololatra: Sacramentarii Catholicos traducunt ùt Idololatras cujusdam Dei Panicei. p. 167. n. 14. Catholici adorantes sacramentum Eucharistiæ non sunt Idololatræ. p. 202. n. 1. & seq.

Jejunium: ad Communionem præscribitur naturale, & quid sit? p. 242. n. 6. an solvatur per usum tabaci? *ibid.* an Nicetas docuerit Eucharistiæ Sacramentô frangi jejunium? p. 200. n. 3. aut illud per modum communis cibi egeri, & projici ex alvo? *ibid.*

Jejunus: adulti sint in receptione Confirmationis jejuni, unde Confirmatio non conferatur post meridiem. p. 65. n. 5. ac p. 66. n. 8. Communicantes sint jejuni ex præcepto Ecclesiastico. p. 241. n. 2. Marcionitæ, & Hussitæ ex perverso fine non jejuni accedentes ad Communionem condemnati sunt à Concilio Constantiensi. p. 241. n. 3. infirmi in Mortis articulo possunt communicare etiam non jejuni. item: & parvuli, qui statim post Baptismum apud Græcos communicantur. p. 242. n. 5. Sacerdos, qui inter Sacrificium recordatur se non esse jejunum, potest communicare non jejunus, uti, si alius Sacerdos post consecrationem deficiat. p. 242. n. 5.

Jeremias Patriarcha: an à nobis comedatur in Eucharistia caro, & Corpus, quod Christus gestabat? p. 177. n. 15. excusatur in hac controversia sententia Jeremiæ Patriarchæ Constantinopolitani. *ibid.*

Jerosolymitanus: tempore Christi non utebantur Judæi duplici Neomenia, à Phasè Lunæ, & à Congressu planetarum deducta, neque duplici calculo Astronomico, & Vulgari, quorum unum Dominus, alterum Jerosolymitani secuti fuerint. p. 99. n. 12. pane azymo à priscis temporibus utebatur Ecclesia Jerosolymitana. p. 131. n. 6.

Ignis: species consecratæ corruptæ possunt igne absumi, sed non ante corruptionem: p. 198. n. 18. & 19.

Illuminatus: quomodo intelligendum illud? *impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati rursus renovari ad pœnitentiam.* p. 307. n. 8. & 9.

Immolatio: in Sacrificio distinguatur hostia, victima, Immolatio, & libamen. p. 261. n. 1.

Impanatio: Berengarius, seu Beringerius admisit quidem realem præsentiam Christi in Eucharistia, sed negavit transsubstantiationem: unde ei tribuitur Impanatio. p. 157. n. 3. alii illius assecla putabant, Christi Corpus in cœlo collocatum non posse in terram deferri. *ibid.* Berengarius à variis damnatus Conciliis tres fidei formulas edidit, ac tandem resipuit. *ibid.* Lutherus disputationem de Impanatione, aut Consubstantiatione excitavit inter Lutheranos, & Sacramentarios, tandem transsubstantiationem admisit. p. 157. n. 4. impugnatur ab hæreticis asserta consubstantiatio, sive Impanatio. p. 190. n. 1. tot. cap. X. in Eucharistia non manet panis, & vini substantia, sed vi consecrationis in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi convertitur, adeóque admittenda est transsubstantiatio. p. 190. n. 1. tot. cap. X.

Impanator: an Impanatores sint Stercorarii? p. 201. n. 5.

Impetratorius: Missæ Sacrificium est impetratorium iis, pro quibus est propitiatorium. p. 265. n. 10. Missæ Sacrificium pro Sanctis oblatum est Eucharisticum, & propitiatorium. p. 265. n. 10. an etiam impetratorium? *ibid.* aliud Sacrificium est latreuticum, aliud Eucharisticum, aliud impetratorium, aliud propitiatorium. p. 261. n. 1. quòd Missa sit Sacrificium latreuticum, & Eucharisticum admittunt Novatores hæretici, sed propitiatorium, & impetratorium negant. p. 261. n. 2.

Impositio: cur confirmatio dicatur manûs impositio? p. 4. n. 2. impositio manûs non est semper Sacramentalis. p. 5. n. 5. de Impositione manuum, quæ fit in collatione Ordinum, *ibid.* item de ea, quæ fiebat publicè pœnitentibus, *ibid.* per manuum impositionem aut unctionem Chrismatis recipiebantur

bantur hæretici revertentes. p. 5. n. 5. per manuum impositionem non datur Spiritus Sanctus, sed imponens orat, ut Spiritus Sanctus veniat super eum, cui manus imponit. p. 5. n. 5. an gratia miraculorum per manuum impositionem solis competebat Apostolis? p. 8. n. 3. Cur miracula illa ad manuum impositionem hodie non fiant? *ibid.* an Apostoli per manuum impositionem dederint solam gratiam linguarum, & miraculorum sine gratia aliqua interna? p. 10. n. 5. & 6. an Ananias ad Saulum veniens huic per impositionem manuum contulerit confirmationem, vel solumodò sanitatem corporalem? p. 10. n. 5. & 6. an confirmatio olim conferebatur solâ impositione manuum? p. 14. n. 11. impositio manus est materia essentialis confirmationis. p. 22. n. 1. & seq. per impositionem manûs in confirmatione confertur Spiritus Sanctus. p. 23. n. 2. contra Morinum Joannem probatur etiam apud Græcos confirmationem datam esse per impositionem manus tanquam materiam. p. 23. n. 2. materia totalis confirmationis est manus impositio, & unctio Chrismatis. p. 26. n. 4. solvuntur objectiones negantium, impositionem manûs esse materiam confirmationis. p. 27. n. 5. & 6. solvuntur objectiones negantium chrisma esse materiam essentialem. p. 28. n. 7. & 8. an Apostoli Confirmationem dederint per solam impositionem manuum sine unctione Chrismatis? p. 28. n. 7. & 8. quam formam adhibeant latini in confirmatione? p. 40. n. 1. ánque hæc proveniat ex Apostolica traditione? *ibid.* Oratio unctionem, & impositionem manuum præcedens non est formâ confirmationis. p. 41. n. 2. manûs impositio subin præcedebat; subin sequebatur unctionem in Confirmatione consuetam. p. 41. n. 2. impositio manus per quam olim hæretici recipiebantur in Ecclesiam non erat repetitio Sacramenti Confirmationis. p. 77. n. 9. Sirmodus, Maldonatus, Morinus, Contrarium sentientes refutantur. *ibid.* idem dic, si redeuntibus adhibita fuit Chrismatio. *ibid.* unctio, vel manûs impositio non fuit confirmatoria, sed reconciliatoria in signum pœnitentiæ. p. 78. n. 10. Græci in confirmatione inungebant frontem, oculos, nares, os, aures, & pectus. p. 88. n. 4. quam habeant hæ unctiones significationem? *ibid.* juxta aliquos Græci etiam inungebant manus & pedes. p. 88. n. 4. quomodo intelligendum illud, *& ferebatur manibus suis?* p. 163. n. 10. olim distributio Eucharistiæ facta est, ut communicantes eam manibus acciperent: mulieres tamen in mundo linteo recipere debuerunt. p. 247. n. 3.

India: Frumentius non laicus fuit, dum in India Sacrificabat, sed Sacerdos, & Episcopus. p. 215. n. 11. an Pius IV. concesserit Episcopis Indiæ, ut Balsamo indico confirmarent? p. 36. n. 5. an Balsamum indicum sit verum? p. 37. n. 8. Gregorius XIII. concessit Patribus Societatis Indiæ licentiam conferendi Confirmationem. p. 52. n. 12. Consecratio Chrismatis jure ordinario pertinet ad Episcopos. p. 37. n. 9. an de jure extraordinario licentia consecrandi Chrisma possit dari Sacerdoti simplici? p. 38. n. 10. & 11. an Eugenius IV. eam dederit fratribus minoribus Missionariis Indiæ? p. 38. n. 10. plures Romani Pontifices concesêre fratribus minoribus Missionariis in Regionibus Indiæ Orientalis, & septentrionalis facultatem administrandi Confirmationem. p. 52. n. 12. ac conferendi ordines minores. *ibid.*

Indus: pane azymo â priscis temporibus utebantur Indi. p. 131. n. 6. quam formam Consecrationis præscribant S. Gregorius, Missale Romanorum, Ambrosii, Indorum? p. 144. n. 2.

Infans. vid. *Parvulus.*

Infanticidium: gentes putabant Catholicos se in Communione contaminare crimine infanticidii, ob non rectè intellectum Evangelium. p. 167. n. 14. imò ob hanc causam S. Attalus Martyrio affectus est. p. 167. n. 14.

Infernus: an Pœnitentia exorta ex timore inferni, vel ex malitia peccati sit vera virtus? p. 291. n. 6. timor inferni non est præparatio sufficiens ad gratiam sine charitate initiali. p. 327. n. 17. tot. cap. V. & VI

Infidelis. Ecclesia polluitur ob sepulturam notoriè Excommunicati, pagani, infidelis, & non Baptizati. p. 278. n. 14.

Infirmus: an & quare infirmi, amentes, & sontici, vel energumeni sint confirmandi? p. 64. n. 4. erat olim consuetudo dandi Eucharistiam intinctam communicantibus, & infirmis. p. 115. n. 6. Diaconi possunt Eucharistiam distribuere absente Sacerdote, in casu necessitatis, & jubente Sacerdote, infirmum autem communicet Sacerdos. p. 216. n. 14. infirmis, ac parvulis communio data aliquando erat pane intincto consecrato. p. 224. n. 1. infirmis Græci dabant Communionem modò sub specie panis, modò sub specie vini, pro diversitate infirmitatis. p. 228. n. 14. infirmi in mortis Articulo possunt communicare etiam non jejuni, item parvuli, qui statim post Baptismum apud Græcos communicantur. p. 242. n. 5. Communio non fiat in nocte Nativitatis Christi, nec in die Parasceves, & Sabbatho S. exceptis infirmis. p. 249. n. 7. de Communione ab infirmis facienda. p. 249. n. 10. an Eucharistia possit deferri ad infirmos, si eam non possint sumere, ut eam

eam adorent? 249. n. 10. in privatis domibus, & oratoriis in gratiam infirmorum in die Natali Christi tres possunt legi Missæ. p. 285. n. 26. an licitum sit in die secundam Missam celebrare, ut infirmus viaticum recipiat, aut ob commodum iter agentium, aut ob nuptias? p. 285. n. 26.

Inimicitia: ad Communionem non accedant gravi odio, aut inimicitia gravatus. p. 243. n. 11.

Initiandus: an liber de initiandis sit opus S. Ambrosii? p. 17. n. 13. & 14.

Innocentius I. Chrismatio una erat facta ab initio Ecclesiæ, quam dein Innocentius I. divisit in frontalem, quæ est Sacramentalis, & verticalem, quæ est Ceremonialis Baptismi. p. 61. n. 23. falsum est, S. Augustinum existimâsse, quòd parvuli suscepto Baptismo salvari requeant absque actuali SS. Eucharistiæ Communione. p. 217. n. 2. sed S. Augustinus locutus est de Communione mystica, qua quis per Baptismum in communionem Ecclesiæ recipitur. p. 217. n. 3. ac p. 7. & 8. idem docuit Innocentius I. & Gelasius. *ibidem.*

Innocentius III. prohibet Latinis Sacerdotibus inter Græcos degentibus, ne confirmatione conferant, quod toleratur in Græcis. p. 56. n. 15. & 16. an Sacramentum Confirmationis sit iterandum, si est collatum in oleo simplici benedicto? p. 34. n. 2. & 3. ac p. 35. n. 4. & seq. item p. 36. n. 5. ac p. 37. n. 8. quid desuper statuerit Innocentius III.? *ibid.*

Innocentius IV. Sacerdotibus Cypri & Clemens VIII. Sacerdotibus Albaniæ, non autem omnibus Sacerdotibus Græcis interdixerunt administrationem Confirmationis. p. 56. n. 15. & 16. quid desuper statuerit SS. Benedictus XIV.? *ibid.*

Innocentius VIII. an Pappa possit concedere, ut absque vino conficiatur Eucharistia in iis regionibus, in quibus vinum haberi nequit? an Innocentius VIII. id concesserit Norvegis? p. 142. n. 27. & 28. an id etiam concesserit Alexander VI.? p. 142. n. 27. & 28.

Institutor Confirmationis immediatus est Christus Dominus. p. 19. n. 1. quando illam instituerit? p. 20. n. 2. & 3.

Instrumentum: an traditio instrumentorum sit Materia ordinis? p. 28. n. 7. & 8. Eugenius IV. vocat instrumenta ordinum symbola Munerum ab ordinandis exercendorum, Chrisma autem vocat symbolum gratiæ. p. 28. n. 7. & 8.

Internus: an Ecclesia possit præcipere actus internos? & quales? p. 223. n. 16. & 17.

Intritum non est Eucharistiæ Materia farinæ pasta, seu intritum. p. 128. n. 4.

S. Joannes: Baptizati à Philippo Diacono Confirmati sunt à SS. Petro, & Joanne. p. 14. n. 11.

Joannes Morinus: contra hunc probatur, etiam apud Græcos impositionem manuum fuisse Materiam confirmationis. p. 23. n. 2.

Irregularitas: an primam tonsuram, aut ordines suscipiens ante confirmationem incurrat Irregularitatem? p. 71. n. 16.

Israel: populus Israel die XIV. exeunte Mensis Nisan Pascha immolavit, & eodem die eductus est de terra Ægypti. p. 98. n. 10. & 11.

Iter: etsi olim licitum fuerit, Eucharistiam in itinere collo appensam secum deferre, aut in domibus asservare, id tamen defacto prohibitum est, p. 211. n. 27. & 28. Papæ iter agenti decenti cum pompa, & Comitatu præfertur SS. Eucharistiæ Sacramentum. p. 211. n. 29. an licitum sit in die secundam Missam celebrare, ut infirmus viaticum recipiat; aut ob commodum iter agentium, aut ob nuptias? p. 285. n. 26.

Judæus: an Judæi tempore Christi habuerint jus Gladii? p. 106. n. 20. aliqui tenent Christum instituisse Eucharistiæ Sacramentum, & celebrâsse Pascha Luna XIV. Judæos autem distuliisse mactationem agni ad Lunam XV. p. 94. n. 7. Pascha Judæorum immolabatur Luna XIV. exeunte, id est horis pomeridianis decimæ quartæ diei mensis Nisan, ad quas sequebatur vespera & initium diei decimæ quintæ, & Paschalis solemnitas. p. 96. n. 8. & seq. Pascha quid significet? *ibid.* quid apud Judæos sit duplex vespera? p. 96. n. 9. tempore Christi non utebantur Judæi duplici Neomenia, à Phase Lunæ, & à congressu Planetarum deducta, neque duplici calculo Astronomico, & vulgari, quorum unum Dominus, & alterum Jerosolymitani secuti fuerint. p. 99. n. 12. quid apud Judæos dicatur Neomenia? p. 99. n. 12. Christus eodem die cum Judæis Pascha typicum celebravit. p. 103. n. 17. nullus Judæorum anno Passionis Christi distulit Pascha in proximum Sabbathum, Lunam scilicet XV. exeuntem. p. 104. n. 18. tempore Christi Judæi festa etiam celebrabant, etsi inciderent in feriam 2. 4. & 6. ita nulla fuit tunc translatio festorum. p. 104. n. 18. Judæi Manipulum spicarum ad Sacerdotes deferendum metebant die Sabbathi. p. 105. n. 19. Judæi non distulerunt Pascha, ut Christum morti traderent. p. 106. n. 20. quale discrimen inter Pascha Ægyptiorum, & Judæorum? p. 114. n. 3. an Græci potius, quàm Latini imitentur mores Judæorum? p. 118 n. 3. & 4.

Judaicus: Eucharistiæ Sacramentum est institutum in postrema Cœna consummato Paschate Judaico. p. 94. n. 7.

Judas Apostata: Eucharistiæ Sacramento revera continetur Corpus, & Sanguis Christi. p. 155. n. 1. tot. cap. VIII. hoc negavit Judas Apostata. p. 156. n. 1.

Judas Proditor: an interfuerit consecrationi Panis, & etiam vini? p. 115. n. 4. Bucella panis, qua sumpta Judas exivit, non fuit Sacramentum, sed hoc jam priùs receperat. p. 115. n. 5. & 6.

Judex: an polluatur Ecclesia, si mors contingat in Ecclesia Jussu Judicis, aut sine sanguinis effusione? sive inferatur ab alio, sive à semetipso? p. 277. n. 12.

S. Juliana: Institutio festi Corporis Christi divinitus revelata fuit S. Julianæ Moniali. p. 206. n. 14. dein ab Urbano IV. extensa est ad Ecclesiam universalem. *ibid.*

Junior: Patrinus sit Baptizatus, & confirmatus. p. 86. n. 3. mares non sint Patrini fœminis, nec fœminæ viris: nec Senioribus Juniores. p. 86. n. 3.

Jurisconsultus in quo sensu utatur Confirmationis vocabulo? p. 5. n. 3.

Jus: an Judæi tempore Christi habuerint jus gladii? p. 106. n. 20.

Justificatio: Charitas initialis ad justificationem disponit, sed se sola sine pœnitentiæ Sacramento peccata non delet. p. 357. n. 20. hæc sententia non est obnoxia propositionibus, & erroribus Baji. p. 359. n. 23. timor servilis non videtur sufficere ad justificationem sine charitate Dei saltem initiali. p. 327. n. 17. tot. cap. V. & VI. timor servilis est donum Dei, ac impulsus Spiritus S. *ibid.*

Justitia: Pœnitentia est vera virtus, spectatque subin ad charitatem, subin ad justitiam. p. 291. n. 5.

K.

Kemnitius: negat confirmationem esse Sacramentum. p. 7. n. 7. impugnatur. p. 8. n. 1. & seq. Kemnitius falsò affirmat, de fide esse, requiri ad Chrismatis Confectionem Balsamum. p. 36. n. 6. putat verum Balsamum non amplius haberi. p. 36. n. 5. quæ maledicta effuderit in Chrisma? p. 22. n. 1. contra Græcos Schismaticos, Waldenses, Hussitas, Lutherum, Kemnitium, Calvinum, Dallæum, & alios hæreticos probatur Ministrum ordinarium confirmationis esse Episcopum. p. 46. n. 1. gratiam Sacramento confirmationis conferri, negant Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Dallæus, ac Novatores propemodum omnes. p. 72. n. 1. contra hos probatur, confirmatione conferri aliquam gratiam Sanctificantem. p. 73. n. 3. laudabilissimè in festo Corporis Christi fit Processio, & circumgestatio SS. Corporis Christi. p. 208. n. 17. hæc Processio ortum habet ab Urbano IV. *ibid.* eadem reprobatur à Kemnitio. p. 208. n. 18. & 19. Kemnitius negat Pœnitentiam esse Sacramentum. p. 294. n. 2.

L.

Lacrymæ: Contritio procedat ex corde sincero, sitque interna, unde lacrymæ non sunt semper signum Contritionis. p. 316. n. 7.

Laicus: Waldenses, & Lutherani omnes laicos Eucharistiæ Sacramenti Ministros dicunt: Marcionitæ, ac Pepuziani etiam mulieres admiserunt. p. 212. n. 1. laici nec in defectu Sacerdotum possunt Sacrificare, aut conficere Eucharistiam. p. 213. n. 6. & 7. laici non sunt Ministri Eucharistiæ. p. 213. n. 8. & 11. Frumentius non laicus fuit, dum in India sacrificabat, sed Sacerdos, & Episcopus. p. 215. n. 11. quid sit Communio laica, & peregrina? p. 217. n. 1. Eucharistiæ Communio sub utraque specie data fuit ab initio Ecclesiæ etiam laicis usque ad sæculum duodecimum. p. 224. n. 1. sumere communionem sub utraque specie nunquam fuit de Præcepto respectu laicotum. p. 224. n. 1. & seq. in Domibus laicorum solus consecratus Panis asservabatur. p. 227. n. 12. jure optimo laicis usus calicis sublatus est. p. 230. n. 17. non expedit iterum laicis permittere usum calicis. p. 231. n. 18. an Sacerdos celebrans teneatur in Missa privata porrigere Communionem laicis, si petant. p. 270. n. 9.

Lateranenſis: Dogma transsubstantiationis est antiquius Concilio lateranensi. p. 191. n. 2.

Latinus: quæ unio inita inter Græcos, & Latinos? p. 52. n. 12. quam formam Latini adhibeant in Confirmatione? p. 40. n. 1. unque hæc proveniat ex Apostolica traditione? *ibid.* Oratio unctionem, & impositionem manuum præcedens non est forma Confirmationis. p. 41. n. 2. verba illa, quæ comitantur unctionem, id est: *signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate Salutis in Nomine Patris &c.* apud Latinos vera, & adæquata sunt forma confirmationis. p. 43. n. 5. subin hæc forma fuit mutata salva substantiali significatione verborum. p. 43. n. 6. & 7. quòd soli Episcopi sint Ministri ordinarii Confirmationis, probatur ex Patribus Græcis, & Latinis. p. 47. n. 2. & seq. ut valida sit Confirmatio facta à Sacerdote Simplici, in Ecclesia Latina requiritur Summi Pontificis delegatio, & in Ecclesia Græca perantiqua, & universim recepta Consuetudo, quam Papa approbet, aut saltem permittat. p. 60. n. 21. & seq. an non sufficiat delegatio facta ab Episcopo? *ibid.* an Græci vel Latini omnium primi in Bulgaria fidem disseminârint? p. 56. n. 15. & 16. Nicolaus I. jussit de novo confirmari Bulgaros consignatos à Græcis per Photium missis. p. 56. n. 15. & 16. Innocentius III. prohibet Latinis Sacerdotibus inter Græcos degentibus, ne confirmationem con-

conferant, quod toleratur in Græcis. p. 56. n. 15. & 16. apud Latinos frons ſola inungitur in confirmatione, & cur? p. 88. n. 4. an Græci potiùs, quàm Latini imitentur mores Judæorum? p. 118. n. 3. & 4. ſecundum Scotum uſus fermenti in Eccleſia Latina, & Græca ob Ebionæos introductus eſt, quorum hæreſi oppreſſa Eccleſia Latina tranſiit ad azymos, Græca verò retinuit fermentum. p. 125. n. 15. Major eſt convenientia rationis pro ritu Latinorum utentium azymo, quàm Græcorum aſſumentium panem fermentatum. p. 131. n. 7. falluntur, qui cenſent Græcis apud Latinos commorantibus, aut peregrinantibus fas eſſe conſecrare azymum, & econtra Latinis apud Græcos fermentatum. p. 132. n. 8. quid ſignificet pœnitentia apud Latinos, & quid apud Græcos? p. 290. n. 1. & 2. explicantur varia vocabula, queis Miſſa à Latinis, & Græcis denotatur. p. 272. n. 2. & 3.

Latreuticus: quòd Miſſa ſit Sacrificium latreuticum, & Euchariſticum admittunt Novatores hæretici, ſed Propitiatorium, & Impetratorium negant. p. 261. n. 2. aliud Sacrificium eſt latreuticum, aliud Euchariſticum, aliud impetratorium, & aliud propitiatorium. p. 261. n. 1.

Latria: Domino Jeſu Chriſto in Euchariſtia exiſtenti Latriæ cultus eſt exhibendus. p. 202. n. 1. & ſeq. quomodo intelligendum illud, *adorate ſcabellum pedum ejus?* p. 203. n. 4. probatur contra Verinum, Patres dicere, Chriſtum adorandum in Euchariſtia cultu latriæ propriè tali. p. 203. n. 5. adoratio in Euchariſtia non fit accidentibus panis, & vini. p. 204. n. 8.

S. Laurentius, Diaconus S. Sixti non conſecravit, ſed diſpenſavit S. Calicem. p. 213. n. 8. & 10.

Lex: Confirmatio eſt verum, & proprium novæ legis Sacramentum. p. 8. n. 1. & ſeq. non ſequitur, non dari in nova lege Sacramentum pœnitentiæ, quia in veteri non dabatur. p. 297. n. 7. quid ſit Sacrificium legis naturæ, & legis ſcriptæ, & legis novæ. p. 261. n. 1. in veteri lege altaria erant alia terrea, alia lapidea, alia ænea, alia aurea. p. 279. n. 18. in lege nova altaria quædam erant lignea, nunc non niſi lapidea. p. 279. n. 18.

Libamen: in Sacrificio diſtinguatur hoſtia, victima, immolatio, & Libamen. p. 261. n. 1.

Lineus: de vittis lineis, ſive faſciolis in Confirmatione adhibendis. p. 89. n. 5.

Lingua: cur noviter confirmati non amplius loquantur linguis? p. 8. n. 3. non eſt idem linguis loqui novis, & accipere Spiritum S. p. 10. n. 5. & 6. an Apoſtoli dederint per manuum impoſitionem ſolam gratiam linguarum, & miraculorum ſine gratia aliqua interna? p. 10. n. 5. & 6. etſi per Confirmationem non amplius detur gratia linguarum, & miraculorum, confirmatio minimè ceſſat eſſe Sacramentum. p. 17. n. 13. & 14. ſed verè Spiritus ſanctus datur. *ibid.*

Liquor: vinum Euchariſtiæ materia eſt, nec locò vini ſubſtitui poteſt aqua, vel alius liquor, etſi communi uſu deſerviat ad potum. p. 133. n. 1. & ſeq. damnantur Aquarii, Hydroparaſtatæ, & Ebionæi meram aquam pro conſecratione Calicis adhibentes. p. 133. n. 3. eundem errorem docuerunt Encratitæ, Hydropaſtatæ, Marcionitæ, & Manichæi. p. 133. n. 3. Beza, & Melanchthon docuerunt, in defectu vini poſſe adhiberi alium liquorem pro conſecratione Calicis. p. 133. n. 3.

Liturgia: quænam forma conſecrationis habeatur in Liturgia S. Jacobi, S. Marci, S. Baſilii, S. Chryſoſtomi, & S. Cyrilli? p. 144. n. 2.

Locus: in initio Eccleſiæ locus Miſſarum erat varius. p. 275. n. 8. nunc autem eſt templum. p. 276. n. 9.

Lollardus: vid. *Wicleſiſta.*

Lucar Cyrillus docens, quòd Eccleſia Græca non admittat confirmationem, non habet authoritatem. p. 17. n. 13. & 14.

Lucianus Martyr vulneribus attritus & altari deſtitutus Miſſam legit ſupra pectus ſuum. p. 266. n. 3.

Luciferianus: quid Luciferiani ſenſerint de confirmatione? p. 47. n. 2. & ſeq.

Lumen: ad Miſſæ Sacrificium pertinent lintea, crux, cerea lumina, mappa triplex, tobalea. p. 281. n. 22.

Luna XIV. aliqui tenent, Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiæ Sacramentum, & celebraſſe Paſcha Luna XIV. Judæos autem diſtuliſſe mactationem agni ad Lunam XV. p. 94. n. 7. Paſcha Judæorum immolabatur Luna XIV. exeunte, id eſt, horis pomeridianis decimæ quartæ diei menſis Niſan, ad quas ſequebatur veſpera, & initium diei XV. & Paſchalis ſolemnitas. p. 96. n. 8. & ſeq. Paſcha quid ſignificet? *ibid.* tempore Chriſti non utebantur Judæi duplici Neomenia, à Phaſe lunæ, & à congreſſu Planetarum deducta, neque duplici calculo aſtronomico, & vulgari, quorum unum Dominus, alterum Jeroſolymitani ſecuti fuerint. p. 99. n. 12. ſi Chriſtus exeunte Luna XIV. manducavit Paſcha, quomodo dicitur, *ante diem feſtum Paſchæ?* p. 107. n. 1. & 3. item illud: *ipſi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha.* p. 107. n. 1. & 4. nec non illud: *erat autem Paraſceve Paſchæ?* p. 107. n. 1. & 5. ſolvuntur & aliæ objectiones, volentes, Chriſtum manducâſſe

cæsse Pascha ineunte Luna XIV. p. 107. n. 1. & seq.
Lutheranus: Waldenses, & Lutherani omnes laicos Eucharistiæ Sacramenti ministros dicunt, Marcionitæ, ac Pepuziani etiam mulieres admiserunt. p. 212. n. 1. actus Pœnitentis, Contritio, Confessio, & Satisfactio, sunt quasi materia pœnitentiæ. p. 313. n. 1. Lutherani duas pœnitentiæ partes constituunt, terrorem conscientiæ incussum ex agnitione peccati, & fidem conceptam ex Evangelio, seu absolutione, qua quis credit, sibi remissa esse peccata. p. 313. n. 1. terror incussus ex agnitione peccati nequit esse pars pœnitentiæ. p. 314. n. 3. nec fides modo à Lutheranis explicato. p. 315. n. 4.
Lutherus negat confirmationem esse Sacramentum. p. 7. n. 7. impugnatur. p. 8. n. 1. & seq. quæ maledicta effuderit in Chrisma? p. 22. n. 1. contra Græcos, Schismaticos, Waldenses, Hussitas, Lutherum, Kemnitium, Calvinum, Dallæum, & alios hæreticos probatur, Ministrum ordinarium confirmationis esse Episcopum. p. 46. n. 1. gratiam Sacramento confirmationis conferri negant Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Dallæus, ac Novatores propemodum omnes. p. 72. n. 1. contra hos probatur, confirmatione conferri aliquam gratiam sanctificantem. p. 73. n. 3. Lutherus non solùm verbis Domini, sed etiam præcedentibus, & subsequentibus tribuit aliquam efficaciam consecrationis. p. 144. n. 1. probatur adversus Lutherum, & Græcos, Christum non consecrâsse, nec Sacerdotes modo consecrare per Benedictionem antecedentem, ac gratiarum actionem, & preces subsequentes. p. 145. n. 3. & p. 146. n. 5. & seq. Lutherus voluit negare realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, sed pressus Evangelio non potuit, unde dixit, præter Corpus Christi manere substantiam panis. p. 157. n. 4. Lutherus disputationem de impanatione, aut consubstantiatione excitavit inter Lutheranos, & Sacramentarios, tandem transsubstantiationem admisit. p. 157. n. 4. quòd in forma consecrationis particula *hoc* non panem, sed corpus Christi denotet, probatur contra Lutherum, & Calvinistas. p. 182. n. 19. Lutherus in Professione SS. Sacramenti repentino terrore occupatus contremuit. p. 207. n. 16. Lutherus affirmat, & negat necessitatem communicandi sub utraque specie. p. 225. n. 2. Lutherus negat transsubstantiationem fieri in Sacramento Eucharistiæ. p. 190. n. 1. impugnatur *ibid.* tot cap. X. in lege nova Sacrificium esse offerendum negârunt Petrobrussiani, Lutherus, & alii. p. 250. n. 1. quid de Arianis dicendum? *ibid.* Lutherus negat absolutionem esse actum judicialem. p. 294. n. 2. de missa abroganda edidit librum dictante dæmone. p. 265. n. 1.

M.

Macedonianus: an negaverit confirmationem esse Sacramentum? p. 6. n. 6.
Magus: neganda est S. Communio Magis. p. 235. n. 3.
Maldonatus: impositio manûs, per quam olim hæretici recipiebantur in Ecclesiam, non erat repetitio Sacramenti Confirmationis. p. 77. n. 9. Sirmondus, Maldonatus, Morinus, contrarium sentientes refutantur. *ibid.* idem dic, si redeuntibus adhibita fuit chrismatio, *ibid.*
Manduco: Calvinus docuit, corpus Christi in Eucharistia fieri præsens sola manducantium fide. p. 157. n. 4. in quo sensu Catholici quidam negent, ea verba: *nisi manducaveritis &c.* esse intelligenda de Eucharistia? p. 181. n. 18. textus: *nisi manducaveritis &c.* à pluribus explicatur de communione mystica non reali. p. 218. n. 4.
Manichæus: narratur execrandum sacrilegium Gnosticorum adhibentium pro materia Eucharistiæ res turpissimas. p. 128. n. 4. aliam impietatem commiserant Manichæi. *ibid.* damnantur Aquarii, Hydroparastatæ, & Ebionæi meram aquam pro consecratione calicis adhibentes. p. 133. n. 3. eundem errorem docuerunt Encratitæ, Hydroparastatæ, Marcionitæ, & Manichæi. p. 133. n. 3. Eucharistiæ Sacramento revera continetur Christi Corpus, & Sanguis. p. 155. n. 1. tot. cap. VIII. hoc negarunt Manichæi. p. 156. n. 1. quales errores circa præsentiam Christi in Eucharistia docuerint Manichæi, Faustus, Marcus, Nestorius, Eutychiani, Waldenses? p. 167. n. 14.
Maniplum: Judæi Maniplum spicarum ad Sacerdotes deferendum metebant die Sabbathi. p. 105. n. 19.
Manipulus: quid significet Manipulus, qui Episcopo imponitur facta confessione? p. 282. n. 23.
Manna.
Manus: vid. *impositio.*
Mappa: ad Missæ Sacrificium pertinent lintea, Crux, cerea lumina, Mappa triplex, tobalea. p. 281. n. 22.
Marcionita: Ebionæi, & Marcionitæ negabant, Christum manducâsse Pascha legale. p. 102. n. 16. hi, & horum sequaces variè exagitantur. *ibid.* pane azymo à priscis temporibus utebantur Marcionitæ antiqui. p. 131. n. 6. damnantur Aquarii, Hydroparastatæ, & Ebionæi meram aquam pro consecratione calicis adhibentes. p. 133. n. 3. Eundem errorem docuerunt Encratitæ, Hydroparastatæ, Marcionitæ, & Manichæi.

chæi. p. 133. n. 3. Eucharistiæ Sacramento revera continetur Christi Corpus, & Sanguis. p. 155. n. 1. tot. cap. VIII. hoc negarunt Marcionitæ, p. 156. n. 1. Waldenses, & Lutherani omnes laicos hujus Sacramenti Ministros dicunt, Marcionitæ, ac Pepuziani etiam mulieres admiserunt. p. 212. n. 1. Marcionitæ & Hussitæ ex perverso fine non jejuni accedentes ad communionem damnati sunt à Concilio Constantiensi. p. 241. n. 3.

S. Marcus: quænam forma consecrationis habeatur in Liturgia S. Jacobi, Marci, Basilii, S. Chrysostomi, & S. Cyrilli? p. 144. n. 2.

Marcus quales errores circa præsentiam Christi in Eucharistia docuerit? p. 167. n. 14.

S. Maria: in Eucharistia sumi, & contineri idem corpus, quod de B. Virgine Maria conceptum, ac natum est, probatur contra Berengarium. p. 176. n. 12.

Martyr: an templum violetur, si in eo jussu tyranni trucidaretur Martyr? p. 277. n. 12.

Martyrium sine charitate Dei non prodest. p. 332. n. 25. nomine templi veniunt Basilicæ, Dominicæ, Oratorium, Martyrium. p. 76. n. 9.

Mas: Patrinus sit Baptizatus, & confirmatus. p. 86. n. 3. Mares non sint Patrini fœminis, nec fœminæ viris, nec senioribus juniores. p. 86. n. 3.

Mater: Compater non potest esse Pater, Mater, Vitricus, aut Noverca. p. 86. n. 3.

Materia Confirmationis: vid. *Confirmationis materia.*

Mediolanenſis: Veglones, & Vegloniſſæ vi officii sui offerunt Sacerdoti in Ecclesia Mediolanensi panes azymos. p. 121. n. 9. & 10.

Medium: dicunt plures, nullum esse Præceptum de Sacramento Confirmationis recipiendo, & sic neminem peccare graviter secluso contemptu, si non confirmetur. p. 67. n. 10. Berti propugnat necessitatem. *ibid.* non quidem medii. p. 68. n. 11. sed Præcepti non tantùm Ecclesiastici, verùm etiam Divini. p. 68. n. 12 non respectu omnium, sed eorum, qui coram Tyranno debent profiteri fidem, aut qui graves contra fidem patiuntur tentationes. *ibid.* & n. 13. ac seq. Communionem esse necessariam necessitate medii, docent quidam Græci, Calviniani, ac Novatores alii. p. 217. n. 2. si accipiatur Communio corporis Christi in sensu mystico, quatenus idem est ac Ecclesiæ copulari, est omnino necessaria in re, aut saltem votô de necessitate Medii. p. 219. n. 6.

Melanchthon negat Confirmationem esse Sacramentum. p. 7. n. 7. impugnatur p. 8. n. 1. & seq. Beza, & Melanchthon docuerunt, in defectu vini posse adhiberi alium liquorem pro consecratione Calicis. p. 133. n. 3. Melanchthon negat absolutionem Sacerdotibus esse actum judicialem. p. 294. n. 2.

Meldenſis: vid. *Concilium.*

Meretrix: neganda est sacra Communio publicis meretricibus. p. 235. n. 3.

Meridies: adulti sint in receptione Confirmationis jejuni, unde Confirmatio non conferatur post meridiem. p. 65. n. 5. ac p. 66. n. 8.

Messalanius: Eucharistiæ Sacramento revera continetur Christi Corpus, & Sanguis. p. 155. n. 1. tot. cap. VIII. hoc negarunt Messaliani. p. 156. n. 1.

Miniſter: an soli Apostoli fuerint Ministri Confirmationis, vel an sint etiam Episcopi eorum successores? p. 8. n. 3. Minister Confirmationis vid. *Confirmationis Miniſter.* Abbates, & Chorepiscopi non sunt Ministri ordinarii Confirmationis. p. 58. n. 17. & 18. *Miniſter Eccleſiæ:* vid. *Eccleſiæ Miniſter.* Papa dicitur Vicarius Christi, & Minister, non autem Successor. p. 259. n. 19.

Minor: Consecratio Chrismatis jure ordinario pertinet ad Episcopos. p. 37. n. 9. an de jure extraordinario licentia consecrandi Chrisma possit dari Sacerdoti simplici? p. 38. n. 10. & 11. an Eugenius IV. eam dederit fratribus minoribus Missionariis Indiæ? p. 38. n. 10. plures Romani Pontifices concessêre fratribus minoribus Missionariis in regionibus Indiæ Orientis, & septentrionis facultatem administrandi confirmationem. p. 52. n. 12. ac conferendi ordines minores. *ibid.* an S. Franciscus voluerit, ut à fratribus minoribus solùm una Missa quotidie celebraretur? p. 268. n. 7. & 8.

Miraculum: an gratia Miraculorum per manuum impositionem solis competebat Apostolis? p. 8. n. 3. cur miracula illa ad impositionem manuum hodie non fiant? *ibid.* an Apostoli per manuum impositionem dederint solam gratiam linguarum, & miraculorum sine aliqua gratia interna? p. 10. n. 5. & 6. etsi per confirmationem non amplius detur gratia linguarum, & miraculorum, confirmatio minimè cessat esse Sacramentum. p. 17. n. 13. & 14. sed verè adhuc Spiritus S. datur. *ibid.* in Eucharistiæ Sacramento verè contineri Christi Corpus, & Sanguinem, & non solam figuram, probatur variis miraculis. p. 166. n. 13. Dedicatio templorum commendatur miraculis. p. 276. n. 10. & 11.

Missa: olim in Missa fiebant duæ oblationes, una ex pane fermentato in usum pauperum, altera ex pane azymo in usum Sacrificii. p. 121. n. 9. & 10. etiam Græci in Missa præsanctificatorum absumunt solas species panis in die Parasceves. p. 228. n. 14. cur verba illa ante ultimam orationem in Missa dicantur

dicantur Communio? p. 248. n. 4. Communio fiat sub Missa, quamvis etiam post eam fieri possit. p. 248. n. 5. an Communio possit fieri in Missa defunctorum? p. 249. n. 6. quinam ritus Communionis privatæ, sive extra Missam faciendæ? p. 249. n. 9. quid sit Missa privata? p. 265. n. 1. Missas privatas calumniantur Novatores hæretici, easque quæstûs causâ introductas asserunt Confessionis Augustanæ compilatores. *ibid.* Lutherus de Missa privata abroganda librum edidit instigatore dæmone. p. 265. n. 1. Missæ privatæ nullo theologico argumento demonstrari possunt illicitæ. p. 266. n. 2. non est prohibitum celebrare Missam, etsi nullus adsit Communionem recepturus præter sacrificantem. p. 266. n. 2. & seq. Lucianus Martyr vulneribus attritus & altari privatus Missam legit supra pectus suum p. 266. n. 3. impiè & sacrilegè hæretici unam tantùm missam communem reprobatis cæteris commendant. p. 267. n. 5. frustra calumniantur Hæretici multitudinem Missarum pravo fine inductam. p. 267. n. 6. solvuntur objectiones Hæreticorum volentium missam privatam sine fidelium Communione non posse esse licitam. p. 268. n. 7. & 8. an S. Franciscus voluerit, ut à fratribus minoribus quotidie solùm una missa celebraretur? p. 268. n. 7. & 8. an Sacerdos celebrans teneatur in missa privata Communionem porrigere laicis, si petant? p. 270. n. 9. quid Missæ vocabulum importet? p. 272. n. 1. explicantur varia vocabula, queis Missa à Latinis & Græcis denotatur. p. 272. n. 2. & 3. varia Missarum genera. p. 273. n. 4. quid sit Missa catechumenorum? & an hæc potuerit fieri à Diacono? p. 273. n. 4. quid Missa fidelium, seu Sacramentorum? p. 273. n. 4. quid Missa præsanctificatorum? p. 274. n. 5. quid sit Missa sicca, seu nautica? & an licita? p. 274. n. 6. quid sit Missa bifaciata, & trifaciata? p. 275. n. 7. in initio Ecclesiæ locus Missarum erat varius. p. 275. n. 8. nunc autem templum. p. 276. n. 9. nomine templi veniunt Basilicæ, Dominica, Oratorium, Martyrium. p. 276. n. 9. templa sint consecrata ab Episcopo. p. 276. n. 10. an Apostoli & Papæ priorum sæculorum habuerint dedicationes templorum? p. 276. n. 10. & 11. dedicatio templorum commendatur miraculis. *ibid.* quando Ecclesia censeatur polluta, ut nequeat in ea Missa celebrari? p. 277. n. 12. vid. *templum:* vel *Eucharistia ut Sacramentum est.* Missa non celebretur in domibus privatis. p. 279. n. 17. in quibus festis nequeat celebrari Missa in privatis domibus, & Oratoriis? p. 279. n. 17. quando in portatili possit celebrari extra Ecclesiam? p. 279. n. 17. an Missa possit celebrari in navi? p. 279. n. 17. an in castris possit haberi Missa? p. 279. n. 17. de tempore, quo missa potest celebrari, quale in hoc puncto privilegium habeant Regulares? p. 285. n. 25. quolibet die non nisi una Missa potest celebrari, excepto Natali Christi. p. 285. n. 26. in privatis domibus & oratoriis in gratiam infirmorum in die Natali Christi tres possunt legi Missæ. p. 285. n. 26. an licitum sit in die secundam Missam celebrare, ut infirmus viaticum recipiat, aut ob commodum iter agentium, aut ob nuptias? p. 285. n. 26. in Aragonia in die commemorationis omnium defunctorum Sacerdotes sæculares duas: Regulares tres celebrant Missas. p. 285. n. 26. de stipendio Missæ. p. 286. n. 27. non est licitum, Missam applicare pro eo, qui proximè daturus est stipendium. p. 286. n. 27. de Missæ partibus. p. 286. n. 28. altare, in quo celebratur Missa, unde nomen habeat? p. 279. n. 18. in veteri lege altaria erant alia terrea, alia lapidea, alia ænea, alia aurea, p. 279. n. 18. in nova lege altaria quædam erant lignea: nunc non nisi lapidea. p. 279. n. 18. de altarium consecratione, ac sepulchro SS. Reliquiarum. p. 280. n. 19. quot altaria sint in Ecclesia? p. 280. n. 20. quid sit altare portatile? an in eo inclusæ sint Reliquiæ? p. 281. n. 21. an eo uti possint Regulares, & Episcopi? p. 281. n. 21. de altaris ornamentis. p. 281. n. 22.

Missale: quam formam consecrationis præscribant S. Gregorius, Missale Romanorum Ambrosii, Indorum? p. 144. n. 2.

Missionarius: plures Romani Pontifices concessere fratribus minoribus Missionariis in regionibus Indiæ, Orientis & Septentrionis facultatem administrandi confirmationem. p. 52. n. 12. ac conferendi ordines minores. *ibid.* idem de confirmatione Missionariis Indiæ è Societate Jesu concessit Gregorius XIII. *ibid.* an consecratio Chrismatis jure ordinario pertineat ad Episcopos? p. 37. n. 9. an de jure extraordinario licentia consecrandi chrisma possit dari fratribus minoribus Missionariis Indiæ? p. 38. n. 10.

Mithra à gentilibus vocabatur sol, & huic sacrificium obtulerunt. p. 255. n. 8.

Montanista: an Tertullianus fuerit Montanista? p. 17. n. 13. & 14. Montanistæ admiserunt mulieres ad Ministerium Altaris in Baptismo solemni. p. 17. n. 13. & 14. Montanistæ ad confectionem panis pro materia Eucharistiæ adhibent sanguinem infantis anniculi. p. 128. n. 4. pœnitentiæ Sacramentum negarunt Montanistæ. p. 293. n. 1.

Mopsuestenus: vid. *Theodorus.*

Moravus: Moravis concessus erat à Pio IV. usus Communionis sub utraque specie. p. 230.

p. 230. n. 17. sed postea à Pio V. ob abusus quosdam sublatus. p. 231. n. 18.

Moribundus: Eucharistia in templis est asservanda pro dando moribundis viatico. p. 205. n. 11.

Morinus: hæreticis resipiscentibus Sacramentium Confirmationis non confert absque Pœnitentia, vel contritione primam gratiam. p. 75. n. 6. Morinus in hoc contrarius refutatur. *ibid.* impositio manûs, per quam olim hæretici recipiebantur in Ecclesiam, non erat repetitio Sacramenti confirmationis. p. 77. n. 9. Sirmondus, Maldonatus, Morinus contrarium sentientes refutantur. *ibid.* idem dic, si redeuntibus adhibita fuit Chrismatio. *ibid.* unctio, vel manûs impositio non fuit confirmatoria, sed reconciliatoria in signum Pœnitentiæ. p. 78. n. 10. vid. *Joannes Morinus.*

Mors: Extremo supplicio afficiendis olim in Hispania sacra Communio negabatur, & adhuc negatur in Gallia. p. 238. n. 8. sed danda est damnatis ad mortem, p. 238. n. 9. & 10. In mortis articulo S. Communio danda est etiam maximo peccatori, si Pœnitentiam agat, & usum rationis habeat. p. 239. n. 11. Infirmi in mortis articulo possunt communicare etiam non jejuni, item parvuli, qui statim post Baptismum apud Græcos communicantur. p. 242. n. 5. sententia, quòd ad Sacramentum pœnitentiæ sufficiat sola attritio servilis sine omni charitate etiam initali, non est practicanda in articulo mortis. p. 362. n. 28. an polluatur Ecclesia, si mors contingat in Ecclesia jussu Judicis, aut sine sanguinis effusione? sive inferatur ab alio, sive à semetipso? p. 277. n. 12. an Ecclesia polluatur, si mors vel sanguinis effusio fiat extra januam Ecclesiæ, in portæ limine, in Sacrario, turri, Cœmeterio? p. 277. n. 12.

Mortalis: peccata mortalia sunt materia necessaria, venialia autem materia sufficiens Pœnitentiæ. p. 303. n. 1. venialia etiam aliis modis à Pœnitentia distinctis expiari possunt. p. 303. n. 1.

Mortuus: aliquando Eucharistia posita fuit supra pectus defuncti, & cur? p. 239. n. 12. & 13. S. Communio non est danda mortuis, nec ponenda supra pectus illius. p. 240. n. 14. Pœnitentia est Sacramentum mortuorum. p. 360. n. 26. & 27.

Mozarabis: Pane azymo à priscis temporibus utebantur Mozarabes. p. 131. n. 6.

Mulier: Montanistæ admittebant mulieres ad Ministerium Altaris in Baptismo Solemni. p. 17. n. 13. & 14. Viri ac mulieres emittentes Professionem Religiosam priùs confirmationem recipiant ratione congruentiæ, non præcepti. p. 71. n. 16. Mulieres constituerunt Ministros Eucharistiæ Marcionitæ, ac Pepuziani. p. 212. n. 1. mulieres nequeunt conficere Eucharistiæ Sacramentum. p. 213. n. 8. & 12. arcendi sunt à S. Communione excommunicati, ac publicè denuntiati, item mulieres, quæ ad altare accedunt habitu ad lasciviam compositio. p. 235. n. 3. SS. Benedictus XIV. damnavit ritus Sinensium, arcentes mulieres à Communione, tempore, quo menstruali laborant morbo. p. 243. n. 8. olim distributio Eucharistiæ facta est, ut communicantes eam manibus acciperent: mulieres tamen in mundo linteo recipere debuerunt. p. 247. n. 3.

Mundus: qui volunt accedere ad Communionem, sint mundi carne, & qualiter? p. 242. n. 7.

Mutus: surdi simul & muti quando sint capaces Communionis? p. 237. n. 6.

Mysterium: an libri de Mysteriis, & sacramentis sint opus S. Ambrosii? p. 17. n. 13. & 14.

N.

Nares: Græci in Confirmatione inungebant frontem, oculos, nares, os, aures, & pectus. p. 88. n. 4. quam habeant hæ unctiones significationem? *ibid.* juxta aliquos Græci etiam inungebant manus, & pedes. p. 88. n. 4.

